Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/jusnaturaeetgent00sick



St. Valentinus Bischof von Terni

Würzburg bei A. Sturm

JUS NATURÆ ET GENTIUM
IN
DUOS DIVISUM TRACTATUS,
QUORUM PRIMUS CONTINET
JUS PUBLICUM UNIVERSALE,
ALTER
HUGONIS GROTII
JUS BELLI ET PACIS EXPLICATUM
SUB
AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS
SACRÆ CÆSAREÆ,
ET REGIÆ CATHOLICÆ
MAJESTATIS &c. &c.
IN
EJUSDEM PERANTIQUA UNIVERSITATE
FRIBURGENSI BRISGOICA
UNA CUM
PARERGIS EX JURE PUBLICO IMPERII ROMANO-GERMANICI
PUBLICÆ DISPUTATIONI SUBJECTUM
A

FERDINANDO SEBASTIANO
L. B. de SICKINGEN HOHENBURG.
AUTHORE ET PRÆSIDE
JOANNE SIGISMUNDO STAPFF
U. J. D. Ss. Can. Jur. Nat. & Gent. ac Publici Profeſſore,
nec non præfatæ Univerſitatis Seniore.

MOGUNTIÆ, ex Typographejo Electorali Aulico - Academico Mayeriano. 1735.

JC
189
S5

LIBRARY
NOV 9 1967
UNIVERSITY OF TORONTO

AUGUSTISSIMO
AC
INVICTISSIMO
CAROLO VI.
ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO

Germaniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, Legionis, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ & Indiarum ac Terræ firmæ, Maris Oceani REGI, ARCHI-DUCI Auſtriæ, DUCI Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Mantuæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Calabriæ, Athenarum & Neopatriæ, PRINCIPI Sueviæ, Cataloniæ & Aſturiæ, MARCHIONI Sacri Romani Imperii Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & Inferioris Luſatiæ, COMITI Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ & Artheſiæ, LANDGRAVIO Alſatiæ, MARCHIONI Oriſthani, COMITI Goziani, Namurci, Roſſilionis & Ceritaniæ, DOMINO Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Maonis, Biſcajæ, Molinæ Salinarum, Tripolis & Mechliniæ, &c. &c. &c.

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.

SACRATISSIME CÆSAR!

N*On longè arceſſendæ ſunt rationes* , Auguſtiſſime Imperator , *quas excuſandæ audaciæ meæ afferre debeam, quod haſce ſtudiorum meorum Primitias* Sacræ Cæſareæ Regiæ Catholicæ Majeſtati Tuæ *profundiſſimè adgeniculatus offerre præſumpſerim. Ipſa ſubdito in ſummum Imperantem obligationem imponens natura , mea inſuper ceu* Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Sereniſſimæ Archi-Domûs Tuæ *vaſalli*

&

& Statûs Provincialis conditio, Cæſarea *in majores meos*, *de* Sereniſſima Archi-Domo Tua *Sagô & Togâ utcunque meritos Munificentia*, *Genitoris mei*, *quem maximis decoras gratiis*, *ſumma in* Te *pietas*, *quam totam quoque in me tranſtulit; præterea & illa ſingularis*, *ac in tantùm*, *quantùm humana patitur natura Deo ſimilis* Beneficentia Tua, *quâ tot Gentium & populorum*, *qui* Te Principe *ſuperbiunt*, *Amor*, *& Delicium efficeris*, *temeritatis meæ auctores ſunt. Accedit* Majeſtatis Tuæ *in honeſtam animorum culturam ſplendidiſſima propenſio*, *quæ me cogit*, *ut hâc publicâ allocutione*, *pro me privatim quoque* Tibi *gratias agam*, Imperator Clementiſſime, *quòd ad primam parentis mei demiſſiſſimam petitionem placidiſſimo adnutu (ut ne vel ſemel* Tuæ *in nos Indulgentiæ curſum impedîſſe videaris) paſſus ſis*, *poſſe hoſce hauſtæ per quadriennium qualiscúnque ſcientiæ meæ fructus ſub* Tui Numinis *tutelâ lucem publicam aſpicere*, *ſub*

Cujus

Cujus *felici Imperio litterarum ſtudia ad ſummum perveniſſe faſtigium publicè conſtat.*

Sed, ut ne vererer omninò Auguſtum Nomen Tuum *operi præfigere, ipſa præſens de Jure Naturæ & Gentium Tractatio effecit. Tanta eſt argumenti hujus dignitas & eminentia, ut in hoc univerſo, quod ei comparem, inveniam nihil. Quid enim cum pulcherrima ſcientia componi mereatur? quæ circa Creatoris Opt. Max. Leges per congenitæ rationis lumen nobis manifeſtatas occupatur, hæc ordinat, quidquid eſt amicæ inter homines congregationis, hæc ductu ſuo mortalibus inſinuat, quæ inſtituta & Bello & Pace eorum vitam temperent, quibus legibus diverſarum inter ſe Gentium negotia regantur, quæ cauſa civilium Societatum, quid illud divini Potentatûs ſpecimen & imitamentum* Majeſtas, *quæ ejus Vis & efficacia, quod Imperantium in ſubditos, & horum erga illos ſit vinculum &c. Quæ omnia non tam*

calles

calles funditùs, Cæſar Sapientiſſime, *quàm publicis actionibus & comprobas & exemplis indies extollis, adeò, ut quas nos naturæ & æquitatis regulas in libris hìc adumbramus, in* Te *tanquam in pulcherrimâ Divinæ Rectitudinis imagine quotidiè intueamur.*

Sublimiora equidem, fateor, hæc ſunt myſteria, quàm ut ea tenuis juveníſque intellectus pro dignitate aſſequi poſſit; at ſaltem in eo totus ero, ut, quæ Cæſareæ hujus Univerſitatis per novem ferè luſtra Profeſſor hucúſque mihi inſtillavit principia altiùs indies imbibam, & indefeſſò labore magis ac magis perficiam; cui labori civilis quoque Juris notitiam, & illius excultricem juncturus ſum praxin, ut nihil prætermittam earum rerum, queis in ſpem erigar certiorem, fore ut ſtudioſi hi conatûs mei viam mihi ſternant, quâ propiùs Majeſtatis Tuæ *Solio accedere liceat, &* Clementiæ Tuæ *munera experiri. Plura audebo,* Sacratiſſime Cæſar, *ubi campus ab Imperiali Deſtinatione* Tua *mihi apertus,*

vitáque

vitáque ſuperſtes fuerit, utpote qui nil ardentiùs exopto, quàm ut talenta mea qualiacúnque, fortunas, & ipſum ſanguinem obſequiis & Gloriæ Tuæ *liceat immolare.*

Interea Tibi CAROLE MAXIME, Principum Sanctiſſime, *unà &* Juſtiſſime, *Religionis Catholicæ Tutori, eruditarum artium Aſylo, civium Amori, Delicióque humani generis, vitam prolixam, Domum felicem, Imperium glorioſum, & quantùm ubique maximis Principibus in votis eſſe ſolet, Deus Pacis, Deus Juſtitiæ largiatur; quod ſicut felicitatis publicæ, ita & votorum meorum caput eſt.*

Sacræ Cæſareæ Regiæ Catholicæ
MAJESTATI TUÆ

Devotiſſimus & Subjectiſſimus
Ferdinandus Sebaſtianus
L. B. de Sickingen.

APPROBATIO THEOLOGICA.

PRodit tandem opus, quod orthodoxus jam dudum exſpectabat orbis, ne Juventutem Catholicam hæreticis, & Apoſtolicæ Sedi, ac Imperatoriæ Majeſtati parùm honorificis principiis poſthac imbui contingeret, opus numeris omnibus abſolutiſſimum, & Authore ſuo per Germaniam celebratiſſimo digniſſimum; ſive enim ſtyli claritatem, ſive doctrinæ ſoliditatem, ſive eruditionis amplitudinem, & concinnam brevitatem ſpectes, nihil in eo mediocre, omnia ſumma deprehendes: meritò proinde gloriatur Academia noſtra de tanti partûs excellentiâ, qui rem litterariam mirùm quantùm illuſtrat, undequaque nobilitat. Ita cenſeo.

Menradus Rosé Soc. Jeſu,
Ss. Theol. Doct. ejusdémque
Profeſſor Ordinarius.

APPROBATIO FACULTATIS JURIDICÆ.

PRæſens JUS PUBLICUM UNIVERSALE, unà cum Commentario in Hugonis Grotii Tractatum DE JURE BELLI ET PACIS non minori cum animi voluptate, quàm attentione perlegi. Continet illud ſoliditſima ſublimioris *Civilis Sapientiæ* principia, clarâ exactâque methodo elaborata, Nobili Viro, teſte ipſo Hugone Grotio, ſcitu digniſſima, quæ, qui intelligunt, eos *Spes pulcherrima fovet* (utor verbis Juſtiniani in fin. proem. Inſt.) *poſſe aliquando Rempublicam in partibus, ipſis credendis gubernari.* Prodeat ergo in lucem publicam hæc Jurisprudentia Univerſalis, ab intelligentibus rerum arbitris univerſalem laudem, ac approbationem latura, nec non JCtiſſimo & per alia jam ſcripta orbi litterario notiſſimo Domino Authori immortale nomen paritura, & Perilluſtris ac Generoſi D. Defendentis quadriennale Juris ſtudium (in quo ſemper eminuit) glorioſiſſimo certamine coronatura. Ita cenſeo loco Decani.

Joſephus Walgram J. U. Doctor
ſſum & Jur. Feudal. Profeſſor Ord.

PRÆ-

PRÆFATIO.

INter armorum Strepitus hoc meum opus in lucem publicam prodit. Dici quidem vulgò ſolet, inter arma ſilere Leges. At, licèt inter hoſtes ſileant Leges civiles, judiciariæ, & pacis propriæ, non tamen ſilent, quas ipſa natura dictat, aut Gentium conſtituit conſenſus. Exigua quidem proh dolor! haud rarò juris Naturæ ratio haberi ſolet, ſi occaſio ſe offerat, proferendi fines imperii, aut alio ex capite utile eſſe videatur, pacem rumpere, & ad bellum decurrere, adeò ut ne juratam quidem fidem frangere religioni ducatur, utpotè quam Machiavelliſmus eò uſque duntaxat ſervandam eſſe docet, quò uſque id utile eſſe judicatur. Verùm propterea abrogatum haud eſt, nec abrogari poteſt jus Naturæ, altiùs enim Deus tanquam Author naturæ quaſi divino ſuo digito mentibus hominum hoc

jus inſcripſit, quàm ut Machiavelliſtarum malitia illud poſſit eradere.. Nemo quidem ex eorum numero palàm haberi vult, adeò ipſis etiam Machiavelliſtis inviſum eſt hoc nomen. Unde vanos, & inanes, qui nunquam deſunt, allegant prætextus. exoletas, & publicis pactis, ac tranſactionibus jam pridem extinctas prætenſiones in medium proferunt, quin ipſa quandóque Religio Chriſtiana pro pallio ſervire debet. At, fruſtra conantur Machiavelliſmum tegere; uti enim volucres ex cantu, ita illi ex ſuis cognoſcuntur actionibus, quæ non niſi Machiavellicis nituntur principiis. Verùm perverſum hócce genus hominum non moramur, immutatum nihilominus manet jus Naturæ, & Machiavellica eorum conſilia, injuſtitiam, perfidiam, perjurium damnare non ceſſat. Interim finis, quem in conſcribendo hoc opere intendi, non niſi ſtudioſæ Juventutis fuit utilitas, cùm benè ſciam, quantùm non modò cujusvis Reipublicæ,

ſed

ſed & univerſi generis humani interſit, ut illa veris & genuinis imbuatur principiis, quantum ex adverſo noceat, ſi eidem falſa, & adulterina, & præſertim Machiavellica implantentur principia, unde non tantùm ſtylo uſus ſum ſcholaſtico, ſed præterea etiam brevitati ſtudui, quia juventus prolixitatem non amat; ego ipſe odi eos, qui absque neceſſitate ſe diffundunt, quia chartam quidem implent, legenti autem non niſi faſtidium pariunt. Conſtat autem Jus naturæ triplicis generis præceptis, vel enim homo dirigitur in ordine ad Deum, vel in ordine ad ſe ipſum, vel denique in ordine ad alios homines. Præcepta primi, & ſecundi generis in propoſito non, aut ſaltem rariſſimè attingemus, utpote quæ ad ſolum forum Theologicum pertinent, ſed illis tantùm inhærebimus, quæ hominem dirigunt in ordine ad alios homines. Diviſi autem Tractatum primum in quinque Partes, quarum prima porro dividitur in duo Capita.

Primum agit de Jure Publico Univerſali, & ejus partibus. Alterum de Civitate. Pars ſecunda continet Caput unicum de Summo Imperio in communi. Pars tertia tractat de Juribus Summæ Poteſtatis Civilis, & in tria diſpeſcitur capita. In primo explicantur jura Poteſtatis civilis, quæ immediatè perſonas reſpiciunt. In ſecundo illa, quæ immediatè reſpiciunt res privatorum. In tertio verò illa, quæ competunt in ipſum territorium. Pars quarta complectitur jura libertatis Majeſtati connexa, & quatuor comprehendit Capita. Primum agit de jure belli. Secundum de jure pacis. Tertium de jure Fœderum. Quartum de jure Legatorum. Pars denique quinta tractat de Subditis, & in duo dividitur Capita. Primum exponit jura ſubditorum adversùs Summos Imperantes. Secundum verò obligationes ſubditorum. Tractatus Secundus obſervat ordinem, quem Grotius habet in ſuo Opere de Jure Belli, & Pacis. Quòd ſi cuidam ſcholaſticâ libertate alicubi à me diſſentire lubeat, non indignor, modò eâdem erga me moderatione utatur, quâ ego aliorum ſententias refutavi; turpe enim eſt Viris doctis, ſi non tam rationum momentis, quàm acribus potiùs, & pungentibus verbis inter ſe certent. Interim Lector benevole vale, & fave.

)o(

INDEX PARAGRAPHORUM QUOS PRIMUS CONTINET TRACTATUS.

PARS I.

Pag.

De Jure Publico Univerſali in communi. - - 1
De Jure Naturæ. - - - - - 7
De Jure Gentium. - - - - - 28
De Civitate in genere. - - - - 38
De Civitatibus mixtis. - - - - - 53
De Civitatibus irregularibus. - - - 62
De Civitatibus morboſis. - - - - 68
De Syſtemate Civitatum. - - - - - 71

PARS II.

De Nomine, Definitione, ac Diviſione Summi Imperii 77
De Origine Majeſtatis, ſeu ſummæ Poteſtatis Civilis. 84
De Modis, quibus ſummum Imperium voluntate Regnantis expreſsâ, vel tacitâ in alios transfertur. - 90
De Succeſſione in Regnis ab inteſtato. - - 101
De Translatione Summæ Poteſtatis per occupationem bellicam. - - - - 126
Utrùm etiam præſcriptio modus ſit acquirendi Summam Poteſtatem. - - - 134
De Subjecto & objecto Summæ Poteſtatis Civilis. - 146
De Forma Poteſtatis Civilis. - - - 155
De Effectu & proprietatibus Sumæ Poteſtatis Civilis. 165
De Contrariis Summæ Poteſtatis Civilis. - - 177
De Regia Tutela. - - - - - 180

PARS

PARS III.

De Jure ferendi Leges. - - - - 183
De Jure puniendi transgreſſores Legum. - 200
De Jure conſtituendi Magiſtratus. - - - 219
De Poteſtate Jus dicendi. - - - - 225
De Jure imponendi tributa. - - - 237
De Jure imponendi vectigalia. - - - 246
De Alto & eminenti dominio. - - 253
De Juribus in ipſum territorium. - - 258

PARS IV.

De Nomine, Definitione, ac Diviſione Belli. - - 261
De Cauſis belli juſtis & injuſtis. - - 269
De Cauſa efficiente belli. - - - - 279
De Objecto & formâ belli. - - - 291
De Effectibus belli publici. - - - - 297
De Arbitris compromiſſariis, ſorte & ſingulari certamine. 321
De Induciis & Commeatu. - - - 333
De Repreſſaliis. - - - - - 347
De Pace in ſe ſpectatâ. - - - - 355
De Amneſtia. - - - - - 367
De Obſidibus, Pignoribus, & Aſſecuratoribus Pacis. 380
De Neutralitate. - - - - 390
De Fœderibus. - - - 397
De Sponſionibus. - 411 De Legatis. - 415
De immunitate, & inviolabilitate Legatorum. - 425

PARS V.

De Vario ſubditorum ſtatu. - - - 438
De Juribus ſubditorum adverſùs Summos Imperantes. 447
De Obligationibus ſubditorum. - - - 453

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De Jure Publico Univerſali, & ejus Partibus.

§. I.

De Jure Publico Univerſali in communi.

SUMMARIA.

I. *Vocabulum* Juris *multas habet ſignificationes.*
II. *Accipitur enim primò pro juſto: juſtum autem dicitur tum in ſenſu negativo, tum poſitivo.*
III. *Secundò ſumitur pro qualitate morali ad aliquid juſtè habendum, vel agendum: & dividitur in perfectam, & minùs perfectam.*
IV. *Tertiò accipitur pro Lege, & ità definitur.*
V. *Ac dividitur.*
VI. *Adducitur diverſa acceptio Juris Publici.*
VII. *Quid in propoſito intelligatur per τὸ univerſale.*

VIII. *Deſcribitur Jus Publicum Univerſale.*
IX. *Dividitur in Affirmativum & Negativum.*
X. *Adducitur cauſa ejusdem efficiens.*
XI. *Item ſubjectum.*
XII. *Ut & objectum.*
XIII. *Affertur forma, ſeu differentia, quâ diſtinguitur â jure publico particulari.*
XIV. *Quis ſit ejus Effectus.*

I.

TAmetſi potior ſit rerum cura, prior tamen verborum ratio vulgò haberi ſolet, & rectè; *Initium enim doctrinæ*, ùt inquit alicubi Epictetus, *eſt conſideratio nominum.* Huic recepto paſſim mori ut & nos morem geramus, tractationi præſentis argumenti meritò præmittimus expoſitionem verborum. Ubi primo loco ſe nobis offert vocabulum *Juris*, quod multas quidem ſignificationes habet, ex quibus tamen tres duntaxat delibare placet, cæteris, quia minùs ad propoſitum faciunt, ſilentio præteritis. Interim illæ legi poſſunt apud Dn. D. Gletle *in Jurisprud. Fundam. Lib. I. Cap. 1. §. 1. num. 2.*

II.

Accipitur itaque primò pro juſto, ùt in illo XII. Tabb. *Paterfamilias uti legâſſit ſuper pecuniâ, tuteláve rei ſuæ, ita jus eſto.* Dicitur autem aliud juſtum in ſenſu poſitivo, aliud in negativo. Hoc poſteriori modò juſtum eſt omne id, quod injuſtum non eſt. Deinde juſtum aliud eſt ex æquo inter ſe viventium, veluti civium, fœderatorum &c. Aliud ejus, qui regit, & qui regitur, quà tales ſunt. Illud æquatorium, hoc Rectorium appellat Grot. *de J. B. & P. Lib. I. Cap. 1. §. 3. num. 2.* Dixi, *quà tales ſunt*; nam extra hunc reſpectum quidquid inter Regentes, & parentes intercedit, id omne ad jus Æquatorium pertinet, & ideò dici ſolet, Principes in contractibus jure privatorum uti.

III.

Secundò vox *Juris* ſumitur pro qualitate morali ad aliquid juſtè habendum, vel agendum; eſtque duplex, perfecta, & minùs

perfecta.

perfecta. Perfectam nomine facultatis, minùs perfectam autem nomine aptitudinis inſignivit Grot. *Cit. Cap. 1.* §. *4.* Facultatem, quam nos deinceps cum communi ſchola jus propriè & ſtrictè dictum appellabimus, reſpicit Juſtitia commutativa, quam idem Grot. *dict. Cap.* §. *8. num. 1.* expletricem vocat, ratus, vocabulum commutativæ nimis arctum eſſe, eò quòd, ſi poſſeſſor rei meæ eam mihi reddat, nulla inter me, & illum intercedat commutatio, & tamen ad eandem hanc juſtitiam pertineat. At hæc ratio tanti non eſt, ut nomen ſcholaſtico uſu receptum reformare cogat; inſolens enim non eſt, ut denominatio ſumatur ab actu frequentiore; aut quid vetat, vocabulum commutationis latiùs nonnihil accipere, ut actús omnis eodem deſignetur, quo propter jus alterius rigoroſum res vel datur, vel traditur, vel reſtituitur? Aptitudinem verò reſpicit juſtitia diſtributiva, quam attributricem, item aſſignatricem vocat Grot. *Cit.* §. *8. num. 1. & Lib. II. Cap. 17.* §. *2. num. 2.*

IV.

Tertiò nomen *Júris* ſæpiſſimè uſurpatur pro Lege, voce hac latiùs ſumptâ, atque ita definitur ab eodem Grot. *Alleg. Cap. 1.* §. *9. num. 1.* quòd ſit *regula actuum moralium obligans ad id, quod rectum eſt.* At hæc definitio etiam complectitur præceptum, ac per conſequens latior eſt ſuo definito, cùm præceptum propriè Lex non ſit, ſed tantùm affine Legis; nam Lex procedit ab eo, qui poteſtatem Jurisdictionis obtinet, præceptum verò imponere poteſt quilibet, qui poteſtatem dominativam habet, veluti ſunt dominus, paterfamilias, ac perſonæ id genus aliæ: Deinde Lex per ſe reſpicit bonum commune, præceptum verò reſpicit bonum privatum. Plures differentias inter legem, & præceptum ſtudio prætereo. Quare expeditior eſt illa definitio, quòd Lex ſit *ordinatio rationis in bonum commune publicâ authoritate conſtituta, vel approbata, & promulgata.*

V.

Dividi ſolet jus pro Lege ſumptum in Naturale, & Poſitivum. Hoc porrò in Divinum, & Humanum. Humanum ulteriùs in Sacrum, & Profanum. Profanum iterum in Jus pluribus Gentibus commune, & certæ Reipublicæ proprium. Illud Jus Genti-

um : hoc verò civile nuncupatur. Jus Naturæ ex ea parte, qua publicum eſt, uti & Jus Gentium noſtri ſunt fori, Jus autem Divinum, Sacrum, & civile ſuis propriis relinquimus Cathedris diſcutiendum.

VI.

Secundo loco occurrit vox *publicum.* Accipitur autem Jus Publicum itidem non uno modo. I. Jus publicum vocatur omne, quod authoritate publicâ conſtitutum eſt. Hoc ſenſu excuſatio tutorum, detractio falcidiæ, uſucapio, teſtamenti factio, ac negotia id genus alia juris publici eſſe dicuntur *L. 29. ff. de Teſtam. tut. L. 15. §. 1. ff. ad Leg. falcid. L. 18. §. 1. ff. de damn. infect. L. 3. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* quia ſcilicet authoritate nituntur publicâ, non privatæ tantùm conventionis placito. II. Appellatione Juris publici quandoque intelligitur jus, quod civium omnium ejusdem civitatis commune eſt, ùt *in L. 116. §. 1. ff. de R. J. & L. 2. Cod. Ne uxor pro marito &c.* Et hoc ſenſu jus publicum opponi videtur privilegio, quod non pertinet ad univerſos, ſed ad ſingulos. III. Nomine juris publici plerumque venit illud, quod immediatè reſpicit felicitatem publicam. Atque hæc ſignificatio primaria, & hujus loci eſt. Confer. Vinn. *ad §. 4. num. 1. Inſt. de J. & J.*

VII.

Ultimo denique loco ſe ſiſtit τὸ *univerſale*, quæ vox ſubinde latiùs, ſubinde ſtrictiùs acccipitur. Hoc autem loco Jus univerſale dicitur illud, quod vel ubique terrarum, vel ſaltem inter plures populos obtinet, nec intra terminos certæ, ac determinatæ Reipublicæ concluſum eſt, ac proinde opponitur juri cujuslibet Civitatis proprio, & peculiari, veluti Athenienſium, Romanorum &c. Unde

VIII.

Jus Publicum Univerſale deſcribi poteſt eſſe illud, *quod ad Statum, Gubernationem, & conſervationem omnium, vel plurium ſaltem Civitatum per ſe, ac directè pertinet. Omnium*, inquam, *vel plurium ſaltem civitatum*; nam Jus Publicum Univerſale partim ex præceptis naturalibus, partim ex placitis Gentium conſtat; illa ad omnes: hæc verò ſaltem ad plures pertinent civitates.

IX. Divi-

IX.

Dividitur in affirmativum, & Negativum. Affirmativum eſt, quod actum aliquem præcipit: Negativum verò, quod actum aliquem prohibet; multa enim ſunt, quæ tum Imperantes, tum parentes quà tales in bonum publicum vel agere, vel omittere tenentur.

X.

Cauſam efficientem juris publici Univerſalis partim Deus tanquam Author Naturæ, partim Gentes conſtituunt; nam, ùt paulò antè dictum, jus hoc tum ex præceptis naturalibus, tum ex placitis gentium conſtat; cùm enim hominibus ab ipſa natura inſitus ſit appetitus ſocietatis civilis, neceſſariò Author Naturæ etiam Leges præſcribere debuit, quibus Imperantes, & parentes, ſi naturâ ducente plures homines in communitatem perfectam coaleſcerent, tum reſpectu ſui invicem, tum intuitu exterarum civitatum ad conſervandam pacem, & obtinendam ſalutem publicam dirigerentur, aliàs Deus defeciſſet in neceſſariis. Cùm autem Jus Naturale fundetur in neceſſitate naturæ, ac ea duntaxat præcipiat, vel prohibeat, quæ continent intrinſecam honeſtatem, vel malitiam: ex adverſo ad colendam ſocietatem, & mutuum commercium inter Gentes pro communi ipſarum felicitate pluribus, & magis ſpecialibus præceptis opus eſſe videretur, quia Regulæ, quas ipſa ratio naturalis ad dirigendas actiones Gentium ſuggeſſit, nimiùm generales ſunt, neque ſingulis negotiis, in quibus Liberæ Gentes inter ſe communicant, determinandis ſufficiunt; ideò præceptis naturalibus neceſſitate quadam, & utilitate publicâ exigente ex conſenſu Gentium plura fuere ſuperaddita, quæ Jus Gentium appellamus.

XI.

Subjectum Juris publici univerſalis ſunt illi, qui hoc jure diriguntur. Diriguntur autem eodem I. *Imperantes quà tales in ordine ad ſubditos*, & quidem non tantùm ſummi, ſed & inferiores, ac ſubalterni, quibus poteſtas regendi, & adminiſtrandi certam Reipublicæ partem ab iis, qui ſummum obtinent imperium, conceſſa eſt, quorum functiones procul dubio Regimen civitatis, ejúsque ſtatum publicum concernunt. II. Hoc jure diriguntur *ſubditi in or-*

dine ad Imperantes, *& ſuam Rempublicam*, cujus ſunt membra. Si autem inter ſe invicem conſiderentur, non jure publico univerſali, ſed tum univerſali privato, tum ſuæ Reipublicæ proprio reguntur. III. Denique eodem diriguntur *Civitates vel omnes*, *vel plures inter ſe*; tametſi enim nonnulli ſint, qui jus publicum univerſale ad ſolos Imperantes, & parentes cujuslibet civitatis reſtringant, nihil tamen obſtare videtur, quò minùs etiam jus, quod inter Gentes quà tales intercedit, publicum appelletur, cùm & ipſum publicam Gentium felicitatem reſpiciat. Conſentit Grot. *Epiſt. 4.* ubi in appendice ita ſcribit: *Jus publicum ordinat totum ad partem*, *& partem ad totum*, *& duo tota inter ſe*, addens, *juris publici magnam partem eſſe jus feciale*, quo totam belli æquitatem ſanctiſſimè præſcriptam fuiſſe, teſtatur Cicer. *Lib. 1. de offic. Cap. 11.*

XII.

Objectùm Juris Publici Univerſalis ſunt actiones publicæ, quo nomine non illas tantùm intelligo, quæ ordinem imperandi, & parendi reſpiciunt, ſed & illas complector, quibus Gentes quà tales tum tempore pacis, tum belli inter ſe communicant; nam & hæ ad conſervationem, ac felicitatem Reipublicæ tendunt; licèt enim e. g. jura belli, pacis, fœderum, & Legatorum directò non in imperio in ſubditos, ſed in naturali fundentur libertate, ab eo tamen, qui ſummum obtinet imperium, in bonum Reipublicæ ſibi commiſſæ exerceri debent.

XIII.

Forma conſiſtit in differentia ſpecificâ, qua Jus publicum Univerſale diſtinguitur â jure publico particulari, quæ, ùt ex dictis eluceſcit, in eo ſita eſt, quòd jus publicum Univerſale immediatè pertineat ad ſtatum, gubernationem, & conſervationem omnium, vel plurium ſaltem civitatum, ac proinde ab omni civitate particulari penitus abſtrahat, jus publicum autem particulare reſpiciat certam, ac determinatam Rempublicam.

XIV.

Effectus ſtat in ejus vi, & efficaciâ. Obſtringuntur autem hoc jure, quatenus ex præceptis naturalibus conſtat, populi omnes;

quatenus autem continet placita Gentium, illæ tantùm civitates ligantur, inter quas illud communi conſenſu coaluit. De utroque hoc jure jam pleniùs nonnihil diſſeremus. Sit igitur

§. II.

De Jure Naturæ.

SUMMARIA.

I. *Unde Jus Naturæ nomen traxerit?*

II. *Appellatur ab AA. variis nominibus.*

III. *Evolvitur ejus Homonymia.*

IV. *Conſideratum, ùt eſt in Deo, definitur, & explicatur Definitio.*

V. *Ut eſt in nobis, ſpectatur vel in actu primo, vel in actu ſecundo, & in utraq; acceptione definitur.*

VI. *Dividitur in Affirmativum, & negativum.*

VII. *Cauſa ejusdem efficiens eſt Deus ùt Author, & Gubernator naturæ.*

VIII. *Subjectum eſt omnis, & ſolus homo.*

IX. *Jus naturæ in bruta non cadit.*

X. *Adducitur Objectum juris naturalis.*

XI. *Socialitas non eſt principium cognoſcendi univerſale, ſufficit tamen ad colligenda illa officia, quæ homini erga alios homines incumbunt.*

XII. *Rejicitur illorum ſententia, qui objecta juris naturalis ex Decalogo cognoſcenda eſſe contendunt.*

XIII. *Refutantur duæ Regulæ â Balthaſar. Wernero aſſignatæ.*

XIV. *Aſſertur alia Regula, & probatur.*

XV. & XVI. *Explicatur.*

XVII. *Quid expediat eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum ad felicem ſtatum naturæ humanæ?*

XVIII. *Quomodo jus naturæ differat â conſcientia?*

XIX. *Quomodo fiat ejus promulgatio?*

XX. *Adducitur effectus juris naturalis tum generalis, tum ſpecialis.*

XXI. *Quoties actus jure naturæ prohibetur ob defectum poteſtatis, vel ſaltem in agente deficit ſufficiens voluntas, toties actus ex natura ſua eſt nullus, & irritus.*

XXII. *Quan-*

XXII. *Quando actus prohibetur jure naturæ ob incapacitatem materiæ, is itidem eſt nullus, & invalidus.*

XXIII. *Idem dicendum, ſi prohibeatur ob turpitudinem perpetuam, ac in ipſo effectu durantem.*

XXIV. *Extra hos tres caſus actus jure naturæ prohibitus illicitus quidem eſt, non autem invalidus.*

XXV. *Jus Naturæ continet rectitudinem intrinſecam.*

XXVI. *Eſt norma omnium cæterarum Legum.*

XXVII. *Eſt univerſale omnes homines obligans.*

XXVIII. *Non recipit ex diverſitate locorum variationem.*

XXIX. *Utrùm poſſit invincibiliter ignorari?*

XXX. *Eſt immutabile, ubi tamen mutatio impropria, & materialis ſeparari debet â mutatione propriè dictâ, & formali.*

XXXI. *Materia Legis naturalis quandoque ſubjecta eſt poteſtati humanæ, vel ſaltem Divinæ, quandoque verò ne quidem poteſtati Dei ſubjecta eſt.*

XXXII. *Jus naturæ permiſſivum mutari poteſt.*

XXXIII. *Jus autem naturæ præceptivum, & prohibitorium mutationem propriè dictam, & formalem non recipit.*

XXXIV. *Si verò reſpiciat materiam ſubjectam poteſtati Divinæ, vel humanæ, ſaltem impropriè mutari poteſt.*

XXXV. *Et quidem, ſi reſpiciat materiam ſubjectam poteſtati humanæ, voluntate ipſorum hominum hoc modo mutari poteſt.*

XXXVI. *Si autem reſpiciat materiam poteſtati Divinæ ſubjectam, ſaltem impropriè mutari poteſt voluntate Dei.*

XXXVII. *Malè tamen propterea aſſeritur, quòd Deus in jure Naturæ diſpenſare poſſit.*

XXXVIII. *Si denique jus naturæ reſpiciat materiam ne quidem poteſtati Divinæ ſubjectam, nullam penitus recipit mutationem.*

I.

JUs Naturæ, ſeu naturale nomen ſuum ex eo traxit, quòd ex ipſa naturâ rationali quà tali tanquam intrinſeca proprietas profluat, nobisque congenitum ſit.

II.

Romani Juris Authores illud ſæpè appellant *Jus Gentium*, *quaſi quo jure omnes gentes utantur*, ùt inquit JCtus *in L. 9. ff. de J. & J.* &

poſt

poſt eum Imperator *in* §. *1. Inſt. de J. N. G. & C.* Princeps Oratorum Cicero pro Milon. illud vocat *Legem non ſcriptam, quam non didicimus, legimus, verùm ex ipſa naturâ hauſimus, accepimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* D. Ambroſ. eſt *Lex innata*; nam, ùt *Lib. 5. Epiſt. 41.* loquitur, *hæc Lex non ſcribitur, ſed innaſcitur, nec aliquâ percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur.* Senec. *de Benefic. Lib. 4. Cap. 7.* illud nominat *Legem Divinam*, quia Deum Authorem habet. Puffendorff. *de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3.* §. *1.* nuncupat *Legem univerſalem, & perpetuam.* Alii vocant *Legem mentis*, quia mens humana vi luminis naturalis non ſolùm cognoſcit intrinſecam convenientiam, vel diſconvenientiam actuum cum natura rationali quà tali, ſed etiam intimat homini, contrarias actiones diſplicere authori Naturæ tanquam Supremo Domino, & curatori, ac gubernatori ejusdem naturæ. Theologis denique plerumque venit ſub nomine *Legis æternæ.*

III.

Accipitur non uno modo, & quidem I. pro inſtinctu naturæ, quo ad certas actiones brutis, & hominibus communes inclinamur. Hoc ſenſu maris, & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, ac educatio ad jus naturæ referuntur *in L. 1. §. 3. ff. de J. & J. & princ. Inſt. de J. N. G. & C.* ſed hæc acceptio eſt valdè impropria. II. Sumitur latè, ut etiam complectatur jus permiſſivum. Hoc ſenſu libertas, poteſtas venandi, ac jura id genus alia revocantur ad jus naturæ. III. Accipitur ſtrictè pro regula humanarum actionum, qua jubentur, aut vetantur ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea aut diſſentanea. Et ita porrò conſiderari poteſt, vel ùt eſt *in Deo*, vel ùt eſt *in nobis.*

IV.

Conſideratum, ùt eſt *in Deo*, definitur, quòd ſit *ordinatio divinæ ſapientiæ, per dictamen rectæ rationis nobis manifeſtata, præcipiens ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, & prohibens ea, quæ eidem ſunt diſſentanea.* Ita Dn. P. Schmier *de Jur. Legal. Cap. 2. num. 25.*

Dixi I. *Ordinatio Divinæ Sapientiæ:* quibus verbis innuitur, ad Legem naturalem concurrere & intellectum, & voluntatem Divinam, illum quidem cognoſcendo convenientiam, vel diſconvenientiam objecti cum natura rationali: hanc autem volendo homines obligare ad id, quod recta ratio dictat; nam citra voluntatem Legislatoris non poteſt conſurgere obligatio legalis.

Dixi II. *Per dictamen rectæ rationis nobis manifeſtata*; nam dictamen rectæ rationis non eſt formaliter ipſum Jus Naturæ, ſed actus intellectûs, quo judicamus, hoc, vel illud objectum propter ejus convenientiam, vel diſconvenientiam cum natura rationali eſſe ab Authore naturæ præceptum, vel prohibitum, ac proinde jus naturæ tantùm proponit, & nobis applicat, non ſecùs ac actus, quo intellectus judicat, hoc vel illud á Legislatore humano præceptum, vel prohibitum eſſe, non eſt ipſa lex poſitiva, ſed eandem duntaxat proponit, & nobis applicat; nam Lex omnis vi eſſentiæ ſuæ procedere debet á Superiore quà tali: dictamen autem rectæ rationis non procedit á Superiore, ſed provenit à natura rationali, quæ ſeipſá non poteſt eſſe Superior. Interim tamen in dictamine rectæ rationis jus naturæ ſaltem virtualiter dicitur conſiſtere, quia dictamen illud non ſolùm nobis repræſentat convenientiam, aut diſconvenientiam objecti cum natura rationali, ſed etiam ſignum eſt voluntatis divinæ præcipientis, vel prohibentis actum. P. Suarez *de Legib. Lib. 2. Cap. 6. num. 13.* Clariſſ. Dn. P. Schmalzgruber *Diſſert. Proœm. ad Jus Eccleſiaſt.* §. *2. num. 51. & ſeqq.*

V.

Conſideratum, ùt eſt *in nobis*, rurſùs ſpectari poteſt vel *in actu primo*, ſeu tanquam lumen charactere indelebili cordibus noſtris impreſſum, vel *in actu ſecundo*, ſeu tanquam regula proximè directiva noſtrarum operationum. Spectatum *in actu primo* nihil aliud eſt, quàm *vis cognoſcendi voluntatem Dei, qua præcipiuntur nobis ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, & prohibentur ea, quæ eidem ſunt diſſentanea.* Spectatum verò *in actu ſecundo* eſt *judicium rectæ rationis, quo manifeſtatur nobis voluntas Dei præcipiens ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, & prohibens ea, quæ eidem ſunt diſſentanea.* Cum hac definitione coincidit illa, quam tradit

tradit Grot. *Lib. 1. Cap. 1.* §. *10. num. 1.* quòd ſit *dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientia, aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab Authore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi.*

VI.

Dividitur in affirmativum, & negativum. Affirmativum dicitur, quod præcipit ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea: Negativum verò, quod prohibet ea, quæ eidem ſunt diſſentanea. Illud ſemper quidem obligat, non tamen pro ſemper, ſed pro illis duntaxat circumſtantiis, in quibus omiſſio actûs eſt mala. Hoc verò obligat ſemper, & pro ſemper. Sic nunquam poſſum furtum, adulterium, vel aliud ſimile delictum committere. Econtrà non ſingulis momentis teneor Deo cultum, vel parentibus reverentiam exhibere.

VII.

Cauſa ejusdem efficiens eſt Deus, ùt Author, & Gubernator naturæ, qui illud quaſi divino digito mentibus, & cordibus noſtris inſcripſit. *ad Roman. 2. verſ. 14. & 15.* ubi Apoſtolus, *Gentes,* inquit, *quæ legem,* Moſaicam ſcilicet, *non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejusmodi legem,* nempe Moſaicam, *non habentes ipſi ſibi ſunt lex, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente ipſis conſcientiâ ipſorum.* Conſentit S. Auguſtin. qui *Lib. 2. Confeſſ. Cap. 4.* ad Deum converſus ait: *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum; quis enim ſcribit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus?*

VIII.

Subjectum hujus Juris eſt *omnis, & ſolus homo.* Dixi primò: *omnis homo*; obligatio enim juris naturalis fundatur in recta ratione, qua manifeſtatur nobis voluntas Dei præcipiens, vel prohibens ea, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, vel diſſentanea. Cùm igitur omnis homo vi naturæ ſit capax rectæ rationis, omnis etiam vi naturæ ſubjicitur legi naturali. Unde etiam infantes, perpetuò furioſi, & mente capti in actu primo obſtringuntur jure naturæ, ac proinde talem furioſum, aut mente captum indu-

cere non licet ad committenda ea, quæ vetita ſunt jure naturæ, ſecùs improbitas facti imputatur impellenti, tanquam cauſæ principali, interim tamen ipſe furioſus, aut mente captus, ſi legem naturæ violet, excuſationem meretur, quia vim ejus non intelligit; in quo jus naturæ differt â legibus humanis, utpote quibus illi ſoli obligantur, qui uſum rationis habent, aut aliquando habuerunt. Ratio diſparitatis eſt, quòd ea, quæ jure naturæ vetita ſunt, eſſentialem diſconvenientiam habeant cum ipſa natura rationali quà tali: ergò ſuppoſito, quòd Deus creaturam rationalem producere velit, non poteſt non illa eidem prohibere, tametſi hæc vel illa in particulari propter impedimentum aliquod non poſſit vim legis prohibentis agnoſcere, nihilominus enim objectum eſt, & manet â parte rei naturæ ipſius rationali diſconveniens, adeóque malum. Ex adverſo ea, quæ jure arbitrario prohibentur, per ſe, & ex eſſentia ſuâ diſſona non ſunt creaturæ rationali, ac proinde infantes, perpetuò furioſi, & mente capti per ſe, & ex natura rei non comprehenduntur ſub lege humanâ, uti hoc ipſo, quòd ſint creaturæ rationales, comprehenduntur ſub lege naturæ, neque etiam ratio felicitatis publicæ exigit, ut ejusmodi perſonæ in actu primo legibus humanis obſtringantur, cùm tamen felix ſtatus naturæ humanæ omninò exigat, ut ſaltem in actu primo teneantur legibus naturalibus.

IX.

Dixi ſecundò: *ſolus homo*; nam jus naturæ in bruta non cadit; ut enim natura ſit capax juris, debet quoque capax eſſe rationis, ut qualitatem actûs, & vim regulæ eum præcipientis, vel prohibentis poſſit agnoſcere; debet item eſſe capax libertatis, quia fruſtra imperatur, vel prohibetur, quod agitur, vel omittitur ex neceſſitate; debet porrò eſſe capax obligationis, quia lex omnis, quæ aliquid præcipit, vel prohibet, obligationem inducit; denique etiam pœnæ capax eſſe debet, quia omnis transgreſſio legis pœnam meretur: atqui bruta neque rationis, neque libertatis, neque obligationis, neque pœnæ ſunt capacia: ergò neque juris. Deinde, ſi jus naturæ etiam in bruta caderet, poſſent illa jus habere adverſùs hominem, ac proinde citra injuſtitiam, & injuriam interfici haud poſſent, quod

utique

utique falſum eſt, cùm homini pleniſſimum dominium in omnes res ſublunares animatas, & inanimatas à Deo ſit tributum. *Pſalm. 3. verſ. 6. & ſeqq.* Non adverſatur *princ. inſt. de J. N. G. & C.* ubi jus naturæ dicitur eſſe illud, *quod natura omnia animalia docuit*; nam, ùt ſuprà jam dixi, jus naturale hoc loco ſumitur impropriè pro inſtinctu naturæ ſenſitivæ, quo ad certâs actiones brutis, & hominibus communes inclinamur; alio ſenſu ſi accipiatur, ſuſtineri non poteſt definitio Imperatoris, ex cujus authoritate utique rerum eſſentiæ haud pendent; tametſi enim ſint, qui definitionem illam tolerari poſſe exiſtiment, ſi ita exſplicetur, ut ſenſus ſit, jus naturæ eſſe illud, quod dirigit actiones brutis, & hominibus communes, tamen ne ſic quidem ſuſtineri poteſt, quia dantur actus jure naturæ prohibiti, á quibus tamen bruta per inſtinctum naturæ non abhorrent, ùt eſt vagus concubitus, conjunctio venerea cum parentibus, & vice verſâ occurrunt objecta jure naturæ præcepta, quorum tamen ſimulacra in brutis non inveniuntur, ùt eſt cultus divini Numinis, reverentia parentum. Confer Dn. Gletle *in Juriſprud. Fundam. Lib. 1. tit. 2. Cap. 2. §. 1. num. 1. & ſeqq.* Dn. P. Schmier *ubi ſuprà num. 13. & 14.* Dn. P. Schmalzgruber *Cit. §. 2. num. 42. & ſeqq.* Adde P. Suarez. *de Legibus Lib. 2. Cap. 17. num. 16.*

X.

Objectum juris naturalis ea omnia, & ſola conſtituunt, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, aut diſſentanea, ſeu quæ continent intrinſecam, & eſſentialem honeſtatem, vel malitiam, ac proinde ad jus naturæ pertinent principia moralia omnia, quæ evidentem habent honeſtatem neceſſariam ad rectitudinem morum, ita ut oppoſita moralem inordinationem, ſeu malitiam evidenter contineant, ſive deinde ſint generalia per ſe, & ex terminis nota, qualia ſunt, bonum eſt faciendum, malum eſt vitandum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. Sive ſpecialia, modò per neceſſariam, & evidentem illationem vel proximè, vel remotè ex primis principiis deducantur, hæc enim continentur in generalibus, ac per conſequens, ſi generalia ſunt juris naturæ, etiam ſpecialia, quæ intrinſecam, & evidentem connexionem habent cum generalibus, eò pertineant, neceſſe eſt, cùm veritas principii continea-

tur in concluſione, & qui unum præcipit, vel prohibet, neceſſariò etiam præcipiat, vel prohibeat ea, quæ continentur in illo. P. Suarez *Cit. Lib. 2. Cap. 7. num. 4 & ſeqq.* Dn. P. Schmalzgruber *Cit.* §. *2. num. 57. & ſeqq.* At

XI.

Quæres: Unde cognoſci poſſit, hoc, illudvé objectum jure naturæ licitum, præceptum, vel prohibitum eſſe? Diverſi diverſas aſſignant regulas, quas omnes referre, & ſub cenſuram vocare nimis longum, & operoſum foret. Hinc præcipuas ſaltem adducere, & noſtram deſuper mentem paucis aperire placet. Primò igitur haud pauci pro regula dignoſcendi ea, quæ jure naturæ præcepta, aut vetita ſunt, *ſocialitatem* ſtatuunt, ita ut, quidquid naturæ ſocietatis humanæ repugnat, hoc jure prohibitum, quidquid autem ad pacem, & tranquillitatem ejus facit, præceptum eſſe dicant. Ita Puffendorf. *de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3.* §. *15.* Nicola. Herz. *de Socialit. Sect. 2.* §. *1. num. 2. & ſeqq.* ac plures alii. Sed hoc principium univerſale non eſt, ùt illi ipſi fatentur, qui id adſtruunt, cùm in eo officia hominis erga Deum, & ſeipſum ſaltem directò erui haud poſſint, ſufficere tamen videtur ad colligenda illa officia, quæ homini erga alios homines incumbunt; ipſa enim natura communem inter omnes homines conſtituit ſocietatem, quæ nos invicem non tantùm nexu phyſico fundato in ſimilitudine naturæ, ſed etiam morali, & velut politico mutui amoris, & miſericordiæ conjungit. Hinc mundum quaſi unam civitatem ſpectare oportet, cujus magnæ civitatis nos omnes incolæ, & cives ſumus, prout Cicer. *Lib. 1. de Legib. in fin. ſe civem totius mundi, quaſi unius urbis agnovit*, & Socrates interrogatus, *cujus eſſet, mundanum ſe eſſe* reſpondit. Eodem modo Senec. *de Ot. Sapient. Cap.* 31. *terminos*, inquit, *civitatis noſtræ cum ſole metimur.* Hæc magna igitur ſocietas univerſum genus humanum complectitur. Cùm autem ſocietas ſalva eſſe non poſſit, niſi amore, & cuſtodiâ partium, ideò quidquid ad conſervandam humani generis ſocietatem ſimpliciter, & neceſſariò conducit, jure naturæ præceptum, quidquid verò eandem turbat, dirimit, aut tollit, eodem jure vetitum intelligi debet. Eleganter Cicer. *Lib. 3. de offic. quemadmodum*, inquit, *ſi unumquodque membrum*

ſenſum

ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, ac interire totum corpus neceſſe eſt: ita ſi unusquisque noſtrûm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq́ue, quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratiâ, ſocietas hominum, & communitas evertatur, neceſſe eſt. Et quamvis hoc principium exiſtentiam plurium hominum ſupponat, ut dictamina ex eo profluentia in actum deduci poſſint, non tamen neceſſariò ſupponit hominem in ſocietate civili exiſtentem, ſed etiam illos dirigit, qui extra civilem degunt ſocietatem, quippe qui non magis ea facere poſſunt, quæ communem illam humani generis ſocietatem, cujus membra ſunt, turbarent, vel abrumperent, quàm illi, qui ſocietate civili circumſcripti ſunt.

XII.

Secundò alii objecta juris naturalis *ex Decalogo* dignoſcenda eſſe volunt; quidquid enim in Decalogo præcipitur, vel prohibetur, evidentem, neceſſariam & immutabilem continet veritatem honeſtatis, vel malitiæ, exceptâ ſolâ circumſtantiâ Sabathi, quæ juri poſitivo determinationem ſuam refert in acceptis; tametſi enim recta ratio dictet, Deum authorem naturæ colendum eſſe, tempus tamen, vel diem, quo colendus ſit, non determinat. At prætérquam quòd hoc principium non â priori, ſed â poſteriori tantùm demonſtret, quænam objecta jure naturæ præcepta, vel prohibita ſint, inſuper non ſervit omnibus, ſed illis duntaxat, qui Decalogum agnoſcunt, ejusque præcepta â Deo promulgata fuiſſe credunt; cùm autem jus naturæ univerſo humano generi commune ſit, neceſſariò ad aliud principium omnibus, & quidem ex vi ſolius rationis notum, recurrendum erit. Accedit, quòd hoc principium neceſſariò ſupponat aliud prius, ex quo dignoſcatur, ea omnia, quæ in Decalogo præcepta, vel prohibita ſunt, ipſo jure naturæ præcepta, vel prohibita eſſe, ac per conſequens non eſt primum. Deinde non poterat ſervire hominibus ante promulgatum Decalogum: ergò non eſt accommodatum omni tempori. Quare omninò in aliud principium nobis erit inquirendum.

XIII.

Tertiò D. Balthaſar Werner olim Profeſſor Wüttenberg. & nunc Conſiliarius Imperialis Aulicus *in Clement. Jur. Nat. & Gent. Cap. 5.* §. 17. duas aſſignat regulas, unam pro præceptis affirmativis, alteram pro negativis. Prior eſt hæc: *quidquid ita comparatum eſt, ut, ſi ab omnibus hominibus omitteretur, generi humano pereundum eſſet, illud per legem naturæ â Deo præceptum eſt.* Poſterior verò hæc: *quidquid ita comparatum eſt, ut, ſi ab omnibus hominibus fieret, generi humano pereundum eſſet, illud naturaliter â Deo prohibitum eſt.* At prior regula ideò diſplicet, quia ex ea ſequeretur, matrimonium ſingulis præceptum eſſe; ſi enim omnes homines omitterent matrimonium, neceſſariò generi humano pereundum eſſet; cujus tamen ſequelæ falſitatem non modò Catholici omnes, ſed & ex ipſis Acatholicis Puffendorf. *Lib. 6. Cap.* 1. §. 7. & Jacob â Ryſſel *de Jur. Nat. Lib.* 1. *Cap.* 18. *num. 8.* agnoſcunt, qui ultrò fatentur, præceptum de contrahendo matrimonio eſſe præceptum affirmativum indefinitum, & indeterminatum, quod totam quidem communitatem hominum obliget, non autem ſingulos, ubi nullus adeſt defectus hominum. Poſterior autem ideò improbanda eſſe videtur, quia ex ea ſequeretur, multa delicta, quæ jure naturæ certò prohibita ſunt, non eſſe eo jure vetita; tametſi enim e. g. domi tuæ concubinam alas, aut vivente uxore tuâ cum ſoluta pecces, & omnes ita facerent, propterea tamen generi humano pereundum haud eſſet. Unde haſce Regulas nonniſi pro ſpuriis agnoſcere poſſumus.

XIV.

Quartò alii hanc aſſignant regulam: *illud omne ſpectato jure Naturæ eſt licitum, præceptum, vel prohibitum, quod ſimpliciter, & neceſſario expedit eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum, ad felicem ſtatum naturæ humanæ*, & quidem *illud graviter eſt prohibitum, quod ſimpliciter, & neceſſariò expedit graviter eſſe prohibitum, illud verò leviter eſt prohibitum, quod ſimpliciter, & neceſſariò expedit leviter tantùm eſſe prohibitum*; neque enim omnia, quæ exigunt prohiberi, ſtatim exigunt prohiberi graviter, aliàs natura rationalis non poſſet moraliter felicitatem conſequi, ad quam ab Authore naturæ deſtinata eſt, cùm ea ſit fragilitas naturæ humanæ, ut non poſſit, ſaltem longo tempore,

pore, ita ſibi cavere, ut nunquam ceſpitet, aut labatur, ſepties enim in die etiam juſtus cadit. Quæ ſententia etiam nobis probatur. Ratio eſt, quia jus naturæ eſt vera lex, & quidem lata univerſo generi humano: ergò pro fine ſuo habet felicem ſtatum totius generis humani, quia omnis lex per ſe reſpicere debet bonum communitatis, cui fertur, ac proinde, cùm jus naturæ latum ſit univerſo generi humano, per ſe reſpicere debet felicem ſtatum totius generis humani: ergò ſpectato jure naturæ illud debet eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum, quod ſimpliciter, & neceſſariò expedit eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum, ad felicem ſtatum generis humani, & quidem, quod neceſſariò expedit, graviter eſſe prohibitum, etiam graviter erit prohibitum, quod autem expedit, leviter tantùm eſſe prohibitum, leviter duntaxat erit prohibitum.

XV.

Dixi autem primò: *quod expedit, eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum*, hoc eſt, cujus licentia, præceptum, vel prohibitio plus boni, quàm mali affert generi humano; non autem dixi, *quod hìc, & nunc fieri expedit*; ſæpè enim contingit, quòd aliquid fieri expediret Reipublicæ, nec tamen propterea expedit, illud eſſe licitum, eò quòd ex licentia talis actionis plus mali metuendum, quàm boni ſperandum foret generi humano. Sic ſi homo Reipublicæ noxius authoritate privatâ interficeretur, ex tali homicidio plus boni, quàm mali redundaret in Rempublicam, & tamen non expediebat, homicidium tale eſſe licitum; Si enim authoritate privatâ liceret occidere homines, quos Reipublicæ noxios eſſe judicamus, vix quiſquam ampliùs ſecurus foret. Sic etiam, ſi levi mendacio tota communitas ab interitu conſervari poſſet, mendacium tale hìc, & nunc plus boni, quàm mali afferret Reipublicæ, & tamen non expediebat, tale mendacium eſſe licitum, quia, ſi toties mentiri liceret, quoties majus emolumentum ſperandum, quàm damnum timendum eſſet, omnis ferè inter homines communicatio, & fides tolleretur, totúmque humanum commercium diſſolveretur.

XVI.

Dixi ſecundò: *quod ſimpliciter, & neceſſariò expedit*; Si enim bono humanæ Reipublicæ tantùm utile, & perquam proficuum eſſet,

aliquid eſſe prohibitum, non autem ſimpliciter, & neceſſariò expediat, hoc non ad objectum juris naturalis, ſed juris poſitivi reducendum erit. Sic multùm expediiſſet bono communi, ſi matrimonia clandeſtina ob plurima incommoda, quæ ſecum trahunt, ſemper fuiſſent invalida, & tamen ea usque ad Sacrum Concilium Tridentinum valuiſſe conſtat.

XVII.

Illud autem expedit eſſe licitum, præceptum, vel prohibitum ad felicem ſtatum naturæ humanæ, in cujus licentiam, præceptum, vel prohibitionem homines in ſtatu poſſibilitatis conſtituti, & de futurá conditione ſuâ, ac caſibus fortuitis adhuc incerti conſenſiſſent, ſi ab authore naturæ fuiſſent conſulti, ut de licentia, præcepto, vel prohibitione actionis ferrent ſuffragium. Ratio eſt, quia homines in tali ſtatu prorſùs indifferenti conſtituti, & ab Authore naturæ ſanciendæ legis cauſâ in conſilium vocati non aliud certè conſulerent, quàm quod ſimpliciter, & neceſſariò conducere cenſerent ad felicem generis humani conditionem; nam hoc ipſò, quòd nulli penitus de futuro ſtatu ſuo conſtaret, ſed ſpes fortunæ proſperæ, & metus adverſæ reſpectu omnium planè æqualis eſſet, nonniſi naturale lumen rationis conſulere poſſent, ac per conſequens non aliud Authori naturæ darent conſilium, quàm quod dictaret recta ratio. Cùm igitur lumen vultûs divini ſuper nos ſignatum ſit, & jus naturæ mentibus, atque cordibus noſtris inſcriptum, & inſitum, rectè concludere poſſumus, illud, quod ita dictaret recta ratio præcipiendum, vel prohibendum, aut permittendum eſſe, etiam ab Authore naturæ præceptum, vel prohibitum, aut permiſſum fuiſſe. Confer P. Haunold. *Theolog. ſpeculat. Lib. 2. Tract. 1. Cap. 5. Contr. 1. §. 9. num. 350. & ſeqq.* Dn. Gletle *ſuprà Cit. Cap. 2. §. 3. num. 7. & ſeqq.* Dn. P. Schmier *de Jur. Legal. Cap. 2. Sect. 2. §. 3. per tot.* Dn. P. Schmalzgrueb. *ſuprà Alleg. §. 2. num. 61. & ſeqq.*

XVIII.

Forma Juris Naturalis duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, qua diſtinguitur â conſcientia, quæ ſita eſt in eo, quod jus naturale ſit regula univerſalis de

iis,

iis, quæ creaturæ rationali quà tali ſunt conſentanea, vel diſſentanea: conſcientia verò eſt dictamen practicum de iis, quæ hìc, & nunc in particulari agenda ſunt, ac proinde per conſcientiam jus naturæ potiùs promulgatur, & applicatur. Deinde conſcièntia latiùs patet, quàm jus naturæ, quia non tantùm leges naturales, ſed etiam poſitivas applicat, & quidem non tantùm applicare ſolet legem veram, ſed etiam exiſtimatam, hinc datur conſcientia erronea. Denique jus naturæ tantùm reſpicit agenda, conſcientia verò etiam verſatur circa ea, quæ acta ſunt, & ideò conſcientia accuſator, vel defenſor, & ſimul teſtis eſſe dicitur. P. Suarez *de Legib. Lib. 2. Cap. 5. num. 15.* Dn. Gletle *Cit. Cap.* 2. §. *4. num. 2.*

XIX.

Forma extrinſeca ſtat in ejus promulgatione. Promulgatur autem jus naturæ per dictamen rectæ rationis. Et licèt hæc promulgatio fiat in ſingulis, non tamen cenſetur eſſe propoſitio particularis, ſed communis vox totius naturæ, vel potiùs Authoris naturæ; quamvis enim loquatur ad ſingulos, non tamen loquitur ùt perſona privata, ſed ùt publica, quia loquitur ùt Author ipſius Naturæ. P. Suarez *Lib. 1. Cap. 11. num. 4.*

XX.

Effectus juris naturalis eſt vel generalis, vel ſpecialis. Generalis eſt obligatio conſcientiæ ponendi actionem præceptam, vel omittendi actionem prohibitam. Specialis verò, quòd actus contra legis prohibitionem poſitus non tantùm illicitus, ſed aliquando etiam invalidus ſit; *aliquando*, inquam; non enim eò ipſò, quòd actus aliquis jure naturæ prohibitus ſit, hoc jure ſtatim etiam irritus eſt. Sic matrimonium contrahere poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, aut poſt promiſſionem ſponſalium alteri factam prohibitum eſt jure naturæ, & tamen cum ejusmodi impedimento impediente defacto contractum valet. Sic etiam jus naturæ prohibet vendere rem ultrà juſtum pretium, nihilominùs tamen talis venditio non eſt irrita jure naturæ. Unde hac in re ſequentes tenendæ ſunt Regulæ, quarum

XXI.

Prima eſt: *Quoties actus prohibetur jure naturæ ob defectum poteſtatis, vel ſaltem deficit in agente ſufficiens voluntas, toties actus ex natura ſuâ eſt nullus, & irritus.* Ita P. Suarez *Lib. 2. Cap. 12. num. 4.* Dn. P. Schmier *Cit. Cap. 2. Sect. 3.* §. 2. *num. 101. & ſeq.* Dn. P. Schmalzgrueber *Alleg.* §. 2. *num. 70.* Ratio eſt, quia poteſtas, & voluntas ſunt duo actionum humanarum principia ſubſtantialia, ac proinde, ſi unum, aut alterum deficiat, non poteſt actus humanus eſſe validus. Sic matrimonium ſecundum vivente priori conjuge contractum eſt ipſo jure naturæ nullum, quia nemo in alterum transferre poteſt, quod quis non habet, velut ex terminis notum eſt. *Mulier autem ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier,* ùt loquitur Doctor gentium *1. ad Corinth. 7. verſ. 4.* Ergò, poſtquam dominium corporis in ordine ad generationem prolis in primam conjugem translatum eſt, deficit poteſtas illud in ſecundam transferendi. Sic contractus dolo ſubſtantiali obtentus eſt ipſo jure naturæ nullus, quia tollit conſenſum, ac proinde deficit voluntas, ſine qua non poteſt contractus humanus perfici.

XXII.

Secunda eſt: *Quando actus prohibetur jure naturæ ob incapacitatem materiæ, is non tantùm illicitus, ſed ſimul etiam invalidus eſt.* Ita rurſùs P. Suarez. Dn. P. Schmier, & Dn. P. Schmalzgrueb. *Cit. loc.* Sic irritum eſt jure naturali matrimonium cum impotentiâ perpetuâ contractum, quippe quod inter corpora perpetuò inhabilia ad generationem dari non poteſt; matrimonium enim talis eſt contractus, quo mas, & fœmina ſibi invicem jus tradunt in corpora ſua ad uſum humanæ generationis: implicat autem, ut aliquis jus tradat in corpus ſuum ad uſum humanæ generationis, ſi còrpus ipſius ad hunc uſum perpetuò eſt ineptum.

XXIII.

Tertia eſt: *Quando actus jure naturæ prohibetur ob turpitudinem perpetuam, ac in ipſo effectu durantem, itidem actus non tantùm illicitus, ſed etiam invalidus eſt.* Ita denuò P. Suarez *ubi ſuprà num. 5.*

Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. *10. num. 1.* Dn. P. Schmier *Cit.* §. 2. *num. 103. & ſeqq.* Dn. P. Schmalzgrueb. *Alleg.* §. 2. *num. 71.* Ratio eſt, quia, ſi actus prohibitus ſit ob turpitudinem perpetuam, ac in ipſo effectu durantem, ipſe valor talis actûs eſt contra jus Naturæ, ac per conſequens non poteſt non eſſe irritus. Sic irritum eſt matrimonium inter patrem, & filiam, matrem, & filium contractum, quia vitium perpetuò adhæret effectui, cùm tale matrimonium non tantùm turpiter contrahatur, ſed etiam, & quidem multò turpior ſit uſus talis matrimonii. Sic etiam irritus eſt contractus uſurarius, quia turpitudo, quæ reperitur in conventione, etiam invenitur in exactione uſurarum, & ſolutarum retentione, cùm ſemper maneat nullitas tituli, & inæqualitas inter datum, & acceptum.

XXIV.

Extra hos tres caſus actus jure naturæ prohibitus illicitus quidem eſt, non tamen invalidus; quia ſuppoſitâ poteſtate, & voluntate agentis, capacitate materiæ, ac deſitione turpitudinis in ipſo effectu concurrunt omnia requiſita ad ſubſtantiam actûs, ac proinde, licèt ille aliunde prohibitus, & illicitus ſit, non tamen is erit invalidus. Sic, ùt ſuprà dictum, validum eſt matrimonium cum voto ſimplici caſtitatis contractum, quia votum hoc non abſtulit, ſed tantùm ligavit poteſtatem, quam homo habet in corpus ſuum, poteſt inſuper in matrimonio poſt votum contracto honeſtus ipſius uſus eſſe reddendo, non autem petendo debitum. Similiter venditio ultra verum rei pretium facta relinquit quidem perpetuam obligationem reſtituendi exceſſum pretii, hoc tamen ſi fiat, ceſſat omnis turpitudo in valore, & perpetuitate contractûs, adeóque nulla ſubeſt ratio, cur ejusmodi contractus ſimpliciter & abſolutè irritus eſſe debeat. P. Suarez *Cit. Cap.* 12. *num. 6.* Dn. P. Schmier *ubi ſuprà num. 105.* Dn. P. Schmalzgrueb. *Dict.* §. 2. *num.* 72.

XXV.

Proprietates Juris Naturalis plures occurrunt. Prima eſt rectitudo ejus intrinſeca; cùm enim ea demùm præcipiat, vel prohibeat, quæ neceſſariam, & eſſentialem habent veritatem honeſtatis, vel malitiæ, non poteſt non intrinſecam continere rectitudinem.

XXVI.

Secunda, quod ſit norma omnium cœterarum legum, ita ut, ſi ab hac æquitatis regulâ lex poſitiva deflectat, jam nomen legis non mereatur, ſed corruptela ſit; tametſi enim lex humana circumſtantiam aliquam addere, vel detrahere poſſit juri naturæ, quo ſenſu accipiendus eſt *Text. in L. 6. ff. de J. & J.* non tamen poteſt præcipere, quod jure naturæ prohibetur, vel prohibere, quod eo jure præcipitur.

XXVII.

Tertia eſt Univerſalitas, cùm enim fundamentum habeat in recta ratione, omnes illos obligat, in quos cadit recta ratio. Hinc *in Can. 7. Diſt. 1.* dicitur eſſe *commune omnium nationum.*

XXVIII.

Quarta eſt uniformitas, ubique enim idem eſt, & eandem vim habet, nec ex diverſitate locorum variationem recipit, ſicut leges humanæ; nam jus naturæ profluit ex ipſa natura rationali quà tali tanquam intrinſeca ejus proprietas, cùm igitur natura rationalis eadem ſit ubique, & in omnibus, etiam jus naturale idem erit ubique, & in omnibus, & ideò Ariſtoteles *Lib. 5. Ethic. Cap. 7.* illud deſcribit, *quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur, aut non videtur.*

XXIX.

Quinta, quòd omnibus ita notum ſit, ut non poſſit invincibiliter ignorari, quod verum eſt, ſi loquamur de univerſaliſſimis principiis practicis, quæ, ſi modò intelligamus terminos, aſſenſum etiam ab invito extorquent. Si autem ſermo ſit de concluſionibus, quæ ex primis principiis practicis deducuntur, tunc intereſt, utrùm ſuâ ſponte, ac ſine operoſo diſcurſu ex illis profluant, vel utrùm magno ingenii conatu opus ſit, ut ex illis deducantur. Prioris generis quæ ſunt, non poſſunt ſaltem diu inculpabiliter ignorari, quia fieri vix poteſt, ut non tandem animus ſuſpicetur, latére malitiam, quòd ſi fiat, jam ignorantia deſinit eſſe inculpabilis. Quæ verò poſterioris ſunt generis, etiam ad longum tempus, & fortè ab hominibus

minibus rudioribus per totam vitam ignorari poſſunt. Confer P. Suarez *Lib. 2. Cap. 8. num. 7.* & Dn. Gletle *dict. Cap. 2.* §. *5. num. 5.*

XXX.

Ultima proprietas eſt immutabilitas; *Quæ enim Divinâ quadam providentiâ conſtituta ſunt, ſemper firma, ac inconcuſſa permanent*, ùt ait Imperator *in* §. *11. Inſt. de J. N. G. & C.* ubi tamen primò mutatio legis propriè dicta, & formalis ſeparari debet â mutatione impropriâ, & materiali. Mutatio propria, & formalis dicitur, quæ directò afficit ipſam legem, vel ejus obligationem, ùt accidit, ſi voluntate legislatoris expreſſâ, vel tacitâ lex abrogetur, aut in ea diſpenſetur. Impropria verò, & Materialis, quæ directò non incurrit in ipſam legem, ſed in ejus materiam, quod fit, ſi circumſtantia, quæ obligationem fundat, tantùm mutetur, ita ut materia exuat conditionem, ſub qua terminabat prohibitionem legis.

XXXI.

Porrò materia legis naturalis quandoque ſubjecta eſt poteſtati humanæ, quandoque verò non eſt ſubjecta. Subjecta eſt, ſi vel reſpiciat res exiſtentes in dominio humano, vel ex præcedente actu voluntatis humanæ pendeat, ſecùs verò ſubjecta non eſt, & hoc caſu vel ſaltem ſubjacet poteſtati Dei, vel nequidem poteſtati divinæ ſubſtat. Poteſtati Dei ſubjacet, ſi immutari poſſit absque præjudicio alicujus perfectionis divinæ. Si verò exemptio materiæ â lege repugnet perfectioni, aut ſanctitati Dei, tunc nequidem poteſtati divinæ ſubjecta erit.

XXXII.

Denique jus Naturæ permiſſivum ſeparari debet â præceptivo, & prohibitorio. Permiſſivum mutari poteſt, quia id, quod permittitur, non præcipitur, ſed tamdiu duntaxat permittitur, donec â Legislatore humano ex juſtâ cauſâ non fuerit contrarium ſtatutum. Sic jus naturæ ſtatum libertatis, quem homo beneficio naturæ habet, non determinat, nec præcipit, ut ſinguli homines in libertate relinquantur, ac proinde potuit jure humano introduci ſervitus. Sic etiam jus naturæ non præcipit, ut res omnes ſint com-

munes,

munes, nec prohibet rerum diviſionem, licèt prohibeat, ne ſtante rerum communione ullus impediatur, vel arceatur ab uſu neceſſario rerum communium, ac per conſequens potuerunt homines â primævâ rerum communione recedere, & eas inter ſe dividere. Eodem modo jure naturæ teſtamentum etiam inſolenne valet, modò de voluntate teſtatoris conſtet, interim tamen hoc jus non prohibet, ne ſeptem teſtes, & aliæ ſolennitates per Legislatorem civilem ad valorem teſtamenti requirantur: ergò potuit jus civile diſponere, ut teſtamentum non aliter valeat, quàm ſi coram ſeptem teſtibus confectum, & aliis inſuper ſolennitatibus munitum ſit. Similiter jus naturæ omnibus quidem venari permittit, non autem præcipit, ut omnes venari poſſint, ac per conſequens potuit â Legislatore humano juſtis ex cauſis promiſcua Venatio prohiberi.

XXXIII.

Jus autem Naturæ præceptivum, & prohibitorium mutationem propriè dictam, & formalem non recipit; nam, ùt paulò antè dictum, mutatio propria, & formalis illa vocatur, quæ directò afficit ipſam Legem, vel ejus obligationem; talem autem mutationem non recipit jus Naturæ, quia illa, quæ hoc jure præcipiuntur, vel prohibentur, intrinſecam, & eſſentialem continent honeſtatem, vel malitiam, quam conditionem ut exuant, ne Deus quidem efficere poteſt, ſi nulla interveniat mutatio ex parte materiæ, cùm is non poſſit mutare eſſentias rerum; quamdiu autem manet honeſtas, vel malitia objecti, tamdiu manet præceptum, vel prohibitio juris naturalis, cùm Deus non poſſit non præcipere ea, quæ evidentem habent honeſtatem neceſſariam ad rectitudinem morum, & prohibere ea, quæ continent intrinſecam malitiam, & deordinationem; tametſi enim divina voluntas libera ſit in omnibus actionibus ad extra, ex ſuppoſitione tamen unius actûs liberi neceſſitari poteſt ad alium. Sic ſuppoſitâ promiſſione abſolutâ neceſſitatur ad implendum promiſſum, &, ſi vult loqui, vel revelare, neceſſariò debet revelare verum. Eodem igitur modo ſuppoſito, quòd creare velit naturam rationalem inſtructam libertate operandi benè, vel male, non potuit non velle prohibere tali creaturæ actus intrinſecè malos, vel nolle præcipere honeſtos neceſſarios. Suarez *Cit. Lib. 2. Cap. 6.*

Cap. 6. num. 13. Deinde quæ præcipit, vel prohibet Jus Naturæ, neceſſariam habent convenientiam, vel diſconvenientiam cum natura rationali quà tali. At ne Deus quidem facere poteſt, ut, quod habet neceſſariam convenientiam, vel diſconvenientiam cum natura rationali, eandem non habeat, ſi nulla interveniat mutatio circumſtantiarum ex parte objecti: ſtante autem convenientiâ, vel diſconvenientiâ non poteſt non velle præcipere, aut prohibere tale objectum. Denique præcepta juris Naturæ vel negativa ſunt, vel affirmativa: at neutrum genus præceptorum mutari poteſt. Non primum, quia præcepta negativa prohibent res per ſe, & intrinſecè malas; uti ergò res intrinſecè mala non poteſt deſinere eſſe mala, ita nec poſſunt præcepta negativa per ſe deſinere, aut mutari. Non etiam ſecundum, quia præcepta affirmativa ſolùm obligant ad actum honeſtum pro illis circumſtantiis, in quibus omiſſio talis actûs eſſet per ſe, & intrinſecè mala: ergò, ſicut illa omiſſio non poteſt non eſſe mala, ita nec obligatio præcepti affirmativi ad actum illi omiſſioni contrarium per ſe deſinere, aut mutari poteſt, ac proinde talia præcepta ſemper obligant pro ſuo tempore. P. Suarez *Cit. Lib. 2. Cap. 13. num. 4.*

XXXIV.

Si autem jus naturæ reſpiciat materiam ſubjectam poteſtati divinæ, vel humanæ, ſaltem impropriè mutari poteſt; mutatio enim impropria, & materialis illa dicitur, quæ directò non afficit ipſam Legem, aut obligationem ex Lege fluentem, ſed incurrit in materiam Legis: atqui talem mutationem recipit jus naturæ, ſi reſpiciat materiam ſubjectam poteſtati divinæ, vel humanæ; nam hoc ipſo, quòd materia ſubjecta ſit poteſtati divinæ, vel humanæ, poteſt illa voluntate Dei, aut hominum ita immutari, ut, quæ affecta certis circumſtantiis præcepta, vel prohibita erat, jam non ampliùs ſit præcepta, vel prohibita; Si enim jus naturæ reſpicit materiam ſubjectam poteſtati divinæ, vel humanæ, non terminat illa præceptum, vel prohibitionem in omnibus, ſed in certis duntaxat circumſtantiis, ac proinde poſſunt illæ voluntate Dei, aut hominum ita immutari, ut objectum extrahatur ex numero præceptorum, vel prohibitorum.

XXXV.

Si Jus Naturæ reſpicit materiam ſubjectam poteſtati hominum, mutari poteſt impropriè voluntate ipſorum hominum, quia hoc caſu non inducit obligationem abſolutam, ſed ex certa conditione pendentem, quæ voluntate hominum auferri poteſt. Sic Lex naturæ, quæ jubet, ut damnum injuſtè illatum reparetur, non obligat abſolutè, ſed tantùm ſub hac conditione, niſi creditor jure ſuo cedat. Sic etiam Lex, quæ imperat, ut res aliena reſtituatur, non obligat abſolutè, ſed ſub hac conditione, niſi Legislator humanus ex juſtâ cauſâ rem priori domino auferat, & poſſeſſori addicat. Similiter Leges, quæ jubent, ut res contractu valido promiſſa præſtetur, juramentum ſervetur, votum emiſſum adimpleatur, non obſtringunt abſolutè, ſed ſub hac conditione, niſi legitimus Superior contractum ex juſtâ cauſâ diſſolverit, vel juramentum, aut votum relaxaverit. Dn. Gletle *Cit.* §. *5. num. 12.* P. Suarez *dict. Lib. 2. Cap. 14. num. 20. & 21.* ubi plura affert exempla.

XXXVI.

Si Jus Naturæ reſpicit materiam poteſtati divinæ ſubjectam, ſaltem mutari poteſt impropriè voluntate, & authoritate Dei; quia non aliter obligat, quàm ſub hac conditione, niſi Deus conſenſum præſtet. Exemplum talis mutationis habemus in ſacris literis *Geneſ. 22.* ubi Deus dixit ad Abraham: *Tolle filium tuum unigenitum, & offer eum in holocauſtum.* Cùm enim Deus vitæ, & mortis poteſtatem habeat. *Sapient. 16.* potuiſſet is Iſacum per ſeipſum interficere, ac per conſequens etiam Abrahamo uti potuit tanquam inſtrumento. Alterum occurrit *Exod. 3.* ubi dixit ad Hebræos: *Cùm egrediemini, non exibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à vicinâ ſuâ, & ab hoſpitâ ſuâ vaſa argentea, & aurea, ac veſtes, & ponetis eas ſupra filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.* Potuit enim Deus vel tanquam *ſupremus rerum omnium Dominus* ſpolia illa Hebræis donare, vel tanquam *ſupremus Judex* eis reddere mercedem laborum ſuorum, ùt dicitur *Sapient. 10. verſ. 17.* Tertium nonnulli deſumunt ex Oſea *Cap. 1.* ubi Deus juſſit, ut Propheta ſibi aſſumat uxorem fornicationum; nam Deus tanquam ſupremus corporum humanorum Dominus abſolutè potuit Oſeæ dominium dare in corpus mulieris fornicariæ,

etiam

etiam ſine ejus conſenſu, quo facto copula jam non erat fornicaria, quia Propheta non acceſſit ad alienam, ſed ad ſuam. At nulla cogit neceſſitas, ut ad hanc interpretationem confugiamus; dici enim poteſt, quòd Deus juſſerit aſſumere eam, quæ priùs fornicaria erat, non ſolùm ad uſum, ſed etiam ad matrimonium, & in conjugem; illud autem, quod ſequitur, *fac tibi filios fornicationum*, ita intelligi debet, filios, quos mulier illa antea ex fornicatione ſuſcepit, fac tuos per adoptionem. Lyran. *ibid.* P. Suarez *ſæpè cit. Lib. 2. Cap. 15. num. 20.* Quartum haud pauci in polygamia ponunt, tametſi enim pluralitatem uxorum jure naturæ prohibitam eſſe dicant, viri tamen ſanctiſſimi, & Patriarchæ veteris Teſtamenti ex conceſſione divinâ, ùt colligitur ex *Deuter. Cap.* 21. plures ſibi junxerunt uxores; cùm enim Deus pleniſſimus corporum noſtrorum Dominus ſit, potuit is uni viro jus dare in corpora plurium fœminarum, & quamvis per mutuam traditionem corporum uni ab uno factam jus quæſitum ſit in ſolidum, hoc ipſum tamen jus ſubjacet dominio Dei, qui proinde illud ex parte auferre, & corpus unius viri pluribus fœminis commune facere potuit.

XXXVII.

Quanquam autem jus naturæ impropriè voluntate Dei mutari poſſit, ſi materiam reſpiciat poteſtati divinæ ſubjectam, illorum tamen ſententiam probare haud poſſumus, qui propterea aſſerunt, Deum in jure naturæ diſpenſare poſſe, cùm ejusmodi mutatio multùm differat à verâ, & propriè dictâ diſpenſatione; diſpenſatio enim fit vi ſolius poteſtatis legislativæ, quia tollere, & condere Legem ejusdem poteſtatis eſt, adeóque tunc Deus diceretur in jure naturæ diſpenſare, ſi aliquem ab ejus obligatione eximeret tanquam ſupremus Legislator: Atqui in allatis exemplis Deus non uſus eſt poteſtate legislativâ, ſed proceſſit tanquam ſupremus Dominus, vel ùt ſupremus Judex extrahendo objectum ex numero prohibitorum: ergò &c. Deinde ſi Deus diſpenſare poſſet in Jure Naturæ, vel poſſet diſpenſare in primis univerſaliſſimis principiis practicis, qualia ſunt, bonum eſt faciendum, malum eſt vitandum &c. vel in concluſionibus ſive proximè, & immediatè, ſive remotè, & mediatè per neceſſariam conſequentiam exinde deductis: atqui in neutro

genere diſpenſare poteſt; non in primo, ùt omnes fatentur: non etiam in ſecundo; ſi enim Deus diſpenſare non poteſt in primis principiis practicis, neque diſpenſare poteſt in concluſionibus per neceſſariam conſequentiam inde deductis, cùm omnis falſitas, vel defectus in concluſione redundet in falſitatem, vel defectum, aut mutationem principii. Confer P. Suarez *alleg. Cap. 15. num.* 19. *&* 29.

XXXVIII.

Quòd ſi Jus Naturæ reſpiciat materiam nequidem poteſtati divinæ ſubjectam, nullam penitus recipit mutationem, non propriam, ùt ſuprà oſtenſum eſt, non etiam impropriam, quia hoc ipſo, quòd ejus materia ne quidem poteſtati divinæ ſubjecta ſit, illa à Deo immutari haud poteſt; quamdiu autem materia perſiſtit in ſuo ſtatu, tamdiu etiam perdurat fundamentum inhoneſtatis, ac per conſequens prohibitio, cùm Deus non poſſit non prohibere illud, quod intrinſecam continet turpitudinem. Certè ſi materia non eſt ſubjecta poteſtati divinæ, illa ſemper, & in omnibus circumſtantiis retinet ſuam turpitudinem, & malitiam, quia ſemper manet diſſona naturæ rationali quà tali: ergò ſemper manet prohibita. Sic Jus naturale prohibens idololatriam, blasphemiam, perjurium, odium, vel contemptum Dei, mendacium &c. omnem penitus mutationem reſpuit, quia reſpicit materiam nequidem poteſtati divinæ ſubjectam. P. Suarez *cit. Cap.* 15. *num.* 22.

§. III.

De Jure Gentium.

SUMMARIA.

I. *Jus Gentium ſumitur vel latè, vel ſtrictè: Et ſtrictè porrò vel propriè, vel impropriè.*

II. *Propriè acceptum definitur, & pro genere ponitur* Conventio: *Unde*

III. *Primò improbatur eorum ſententia, qui contendunt, Jus Gentium eſſe ſpeciem Juris Naturalis.*

IV. *Secun-*

IV. *Secundò refutatur Nonnemo, qui ait, virtutem legalem, & obligativam provenire à Deo tanquam Authore humanæ ſocietatis.*

V. *Tertiò refellitur eorum opinio, qui gentibus collectivè ſumptis adſcribunt prærogativam imperii.*

VI. *Dividitur Jus Gentium primò in affirmativum, & negativum.*

VII. *Secundò in Univerſale, & particulare.*

VIII. *Tertiò in externum, & internum.*

IX. *Quartò in ſcriptum, & non ſcriptum.*

X. *Utrùm ſuſtineri poſſit diviſio in primarium, & ſecundarium?*

XI. *Cauſa efficiens ſunt Gentes vel omnes, vel pleræque, vel etiam paucæ, ac fortè duæ tantùm.*

XII. *Cauſa impulſiva fuit quædam neceſſitas.*

XIII. *Subjectum ſunt Gentes quà tales, ſeu quatenus ſunt membra generis humani.*

XIV. *Objectum Juris Gentium conſtituunt ea, quæ pertinent ad convenientem ſocietatem, & communicationem Gentium inter ſe.*

XV. *Quomodo differat, tum à Jure Naturæ, tum à civili?*

XVI. *Quomodo promulgetur?*

XVII. *Effectus ejus ſtat in obligatione juſtitiæ, quam tamen comitatur obligatio legalis, quæ naſcitur ex Jure Naturæ.*

XVIII. *Jus Gentium propriè ſumptum etiam propriè dictam, & formalem recipit mutationem, ab una tamen gente ſolâ mutari haud poteſt.*

XIX. *Jus Gentium autem impropriè dictum à qualibet Gente liberè mutari poteſt.*

XX. *Quomodo Jus Gentium probetur?*

I.

JUs Gentium ſumitur vel latè, vel ſtrictè. Latè pro ômni illo jure, quo Gentes humanæ utuntur, ùt *in L.* 1. §. *4. ff. de J. & J.* Atque hoc ſenſu etiam Jus naturale complectitur. Sic *in L.* 2. *ff. eod.* JCtus Religionem quoque erga Deum, reverentiam in parentes, pietatem in patriam ad Jus Gentium retulit, quæ tamen haud dubiè juris ſunt naturalis. Si verò ſtrictè ſumatur, appellatione Juris

Gentium intelligitur jus pluribus quidem populis commune, à naturali tamen diſtinctum. Et hoc modo rurſus ſumitur vel propriè, vel impropriè. Propriè accipitur pro eo jure, quod inter plures Gentes quà tales cum mutuâ obligatione receptum eſt. Impropriè verò denotat illud jus, quod ob utilitatem aliquam pluribus populis ſine obligatione mutuâ placuit; ſæpè enim diverſi populi eodem jure utuntur, vel quia certæ Leges, utut in neceſſitate naturæ fundatæ haud ſint, adeò tamen propinquæ, & conſentaneæ ſunt naturæ, ut populis moratioribus ultrò ſe commendaverint, vel quia neceſſitas, aut utilitas easdem pluribus gentibus Leges perſuaſit, vel denique quia ipſa morum ſimilitudo diverſas gentes ad easdem Leges recipiendas invitavit, quia tamen non ex mutuo pacto, ſed ex libera cujusque gentis voluntate fuerunt receptæ, nec convenientem ſocietatem, & communicationem gentium inter ſe, ſed cujusvis populi ſeorſim felicitatem reſpiciunt, ideò Jus Gentium propriè dictum non conſtituunt, & hoc ſenſu JCti Romani multa ad Jus Gentium referunt, quæ non niſi juris civilis ſunt, quod tamen à pluribus populis obſervatur. P. Suarez *ſæpè cit. Lib. 2. Cap. 19. num. 8. & 10. & Cap. 20. num. 1.* Dn. Gletle *Tit. 2. Cap. 3.* §. *3. num. 1.*

II.

Jus Gentium propriè acceptum *in* §. *2. Inſt. de J. N. G. & C.* ab Imperatore deſcribitur eſſe illud, *quòd uſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus Gentes ſibi conſtituerunt.* Accuratiùs ita definiri poteſt, quòd ſit *Conventio, qua Gentes quà tales in ordine ad ea obligatione mutuâ conſociantur, quæ ad communem ipſarum felicitatem pertinent.* Ita Dn. Gletle *Tit. 2.* §. *3. num. 2.* Ajo, Jus Gentium eſſe *Conventionem*, in quo aſſentientem etiam habeo Grot. qui *in Prolegom. num. 1.* Jus Gentium, ſcilicet univerſale, moribus, & pacto tacito introductum eſſe, & porrò *num. 53.* tanquam ex condicto obligare ſcribit. Item *Lib. 2. Cap. 3.* §. *5.* expreſſè aſſerit, Jus Gentium vim pacti inter Gentes habere. Diſſentiunt multi, & quidem

III.

Primò haud pauci contendunt, Jus Gentium ſpeciem eſſe juris naturalis. At malè; nam Jus Naturæ ea tantùm præcipit, vel prohibet,

hibet, quæ continent intrinſecam, & eſſentialem honeſtatem, vel malitiam: quæ autem Jus Gentium præcipit, vel prohibet, non continent intrinſecam, & eſſentialem honeſtatem, vel turpitudinem. Sic Jus Gentium prohibet, hoſtem veneno interficere, quod tamen, ſuppoſitâ belli juſtitiâ, non continet intrinſecam turpitudinem; quid enim intereſt, utrùm hoc, vel illo modo hoſtem interficiam, ſi ille jure interfici poteſt? Sic etiam Jus Gentium præcipit, ut, niſi juſta ſubſit recuſandi cauſa, Legati admittantur, & tamen admiſſio Legatorum non continet eſſentialem honeſtatem, ita ut ejus oppoſitum ſit intrinſecè, & eſſentialiter turpe.

IV.

Secundò Nonnemo ait, virtutem legalem, & obligativam Juris Gentium provenire à Deo, tanquam Authore humanæ ſocietatis, ſeu Supremo Politiarum, & rerum publicarum Principe. At rurſùs malè; quia ad convenientem communicationem gentium inter ſe præter jus naturæ, quo non tantùm ſinguli homines, ſed & gentes omnes quà tales obſtringuntur, ſufficit, quòd illæ in ordine ad ea, quæ ad communem felicitatem ipſarum inter ſe pertinent, arbitrariâ conventione conſociari poſſint, ex qua cùm non tantùm naſcatur obligatio rigoroſa juſtitiæ, ſed inſuper ex jure naturæ reſultet obligatio legalis fidem datam ſervandi, nulla penitus apparet neceſſitas fingendi, quòd Deus præterea tacitæ illi conventioni inter Gentes initæ ſuperaddat virtutem legalem, præſertim cùm ſacræ literæ ne remotum quidem ejus rei ſuppeditent indicium.

V.

Tertiò alii aſſerunt, Jus Gentium procedere ab omnibus Gentibus collectim, non ſigillatim ſumptis, eſſe autem Gentes omnes collectim ſumptas Superiores ſingulis, perinde ùt in ſtatu polyarchico omnes, qui jus ſuffragii habent, ſimul ſumpti Superiores ſunt ſingulis. At hæc opinio nullo modo ſuſtineri poteſt; ſi enim Gentes collectim ſumptæ ſingulis gentibus Superiores eſſent, prærogativam Imperii non niſi Deo, quippe à quo omnis poteſtas procedit, referrent in acceptis, & quidem vel tanquam libero Collatori, vel tanquam Authori naturæ: neutrum autem dici poteſt. Non primum,

mum, quia in ſacris literis de hoc ne verbulum quidem habetur: non etiam ſecundum, quia conſervatio, & felix ſtatus generis humani poteſtatem hanc non exigit, cùm felicitati, ac incolumitati Gentium ſatis proſpectum ſit per hoc, quòd communitates perfectæ ſummum obtineant imperium, ac quoad ea, quæ pertinent ad convenientem communicationem plurium Nationum inter ſe, pacto, & arbitrariâ conventione conſociari poſſint. Deinde ſi Gentes omnes collectim ſumptæ à Deo tanquam Authore Naturæ haberent prærogativam Imperii, debuiſſet Genus humanum conſenſu omnium Nationum coaluiſſe in unam aliquam Rempublicam: atqui hoc manifeſtò falſum eſt, tum quia de eo neque ex hiſtoriis, neque ex monumentis aliis conſtat, tum quia fieri non potuit, ut ſuffragiis omnium Gentium conſurgeret magna hæc Reſpublica, cùm plurimæ Nationes etiamnum nobis incognitæ ſint. Porrò ſi Gentes collectim ſumptæ haberent prærogativam Imperii, ſinguli eſſent veri, ac propriè dicti ſubditi illius magnæ Ariſtocratiæ, quod itidem evidenter falſum eſt; cùm enim certum, ac indubitatum ſit, quòd ſingulæ Gentes ſummâ inſtructæ ſint poteſtate, non poſſunt illæ alicui Superiori poteſtati ejusdem ordinis, & lineæ ſubjectæ eſſe, cùm implicet, habere ſummam poteſtatem, & tamen poteſtatem Superiorem ejusdem ordinis, & lineæ agnoſcere, ſic enim eſſet ſumma, & non eſſet ſumma. Jus Gentium igitur non eſt univoca ſpecies juris pro Lege accepti, quia Lex omnis vi eſſentiæ ſuæ procedere debet à Superiore quà tali: atqui Jus Gentium non procedit à Superiore, cùm una Gens non ſit Superior alterâ, nec omnes collectim ſumptæ, Superiores ſunt ſingulis: ergò &c. Confer Dn. Gletle *Cit. Tit. 2. Cap. 3. §. 2.*

VI.

Dividitur I. in affirmativum, & negativum. Affirmativum dicitur, quod actum aliquem præcipit, v. g. admiſſionem Legatorum. Negativum, quod actum aliquem prohibet, v. g. violationem Legatorum, ne arma, & fontes veneno inficiantur.

VII.

Dividitur II. in univerſale, & particulare. Univerſale eſt, quod plurium, & fortè Gentium moratiorum omnium convenientem ſocietatem,

cietatem, & communicationem pro fine ſuo habet. Particulare, quod paucarum, ac fortè duarum tantùm Gentium communem felicitatem reſpicit. Sunt quidem, qui Jus Gentium particulare non agnoſcunt, ac proinde hanc diviſionem improbant. At ego cauſam non video, cur non poſſit retineri, cùm Jus Gentium non ex numero Gentium, ſed ex fine ſit æſtimandum. Unde ſi vel duo populi arbitrariâ conventione conſocientur in ordine ad ea, quæ ad communem felicitatem ipſarum inter-ſe pertinent, verum jus gentium conſurgit. Si tamen ſimpliciter fiat mentio juris gentium, ſemper per excellentiam intelligitur univerſale. Dn. Gletle *Cit. Cap. 3. §. 4. num. 3.*

VIII.

Dividitur III. in externum, & internum. Externum dicitur, quod impunitatem tantùm extrinſecam, vel etiam tutelam publicam actui conciliat. Internum, quod actum in foro quoque interno juſtum reddit, uti fit, ſi verſetur circa actum indifferentem; Si verò permittat aliquid, quod jure Naturæ prohibitum eſt, tunc actui tantùm impunitatem extrinſecam conciliat, ita ut in foro externo non poſſit puniri, qui talem actionem exercuit. Sic Jus, quod hoſti hoſtem & in perſona, & in rebus lædere permittit, reſpectu illius, qui juſtum bellum gerit, internum eſt, ſi conſiſtat intra modum jure naturæ conceſſum, reſpectu alterius verò externum; licet enim is in alio territorio fortè deprehendatur, propterea tamen tanquam homicida, aut raptor puniri haud poteſt, quin publicâ etiam judiciorum authoritate ab omnibus Gentibus in poſſeſſione rerum hoſti ereptarum tuendus eſt; interim tamen, ſi belli cauſa injuſta ſit, etiamſi bellum ſolenni modo fuerit ſuſceptum, in foro interno injuſti ſunt tales actus.

IX.

Dividitur IV. in ſcriptum, & non ſcriptum. Scriptum eſt, quod expreſſo conſenſu Gentium conſtat, quò pertinent fœdera, & aliæ conventiones publicæ, quæ communem felicitatem Gentium paciſcentium reſpiciunt. Non ſcriptum, quod conſenſu tacito, ſeu uſu, & conſuetudine Gentium fuit introductum. Huc ſpectant jura

Legationum, libertas exercendi commercia cum exteris, jura belli, Repreſſaliæ, & cœtera juris Gentium univerſalis capita.

X.

Dividitur ab aliquibus V. in primævum, & ſecundarium. Primævum vocant, quod ratio naturalis inter omnes homines conſtituit: Secundarium verò, quod uſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus Gentes ſibi conſtituerunt. At hanc diviſionem rectè alii rejiciunt, quia falſo nititur ſuppoſito, quaſi ſcilicet jus naturale ſit illud, quod natura omnia animalia docuit, quam definitionem ſuo loco refutavimus. Unde cùm Jus Gentium, quod ipſi primævum appellant, ſit ipſum Jus Naturæ, illud autem, quod ab ipſis ſecundarium dicitur, demùm ſit verum Jus Gentiùm, ideò per ſe corruit hæc diviſio. Planè ſi Jus Gentium latè accipiatur pro omni illo jure, quo Gentes humanæ utuntur, tolerari quidem poteſt hæc diviſio, at tunc Jus Gentium non erit ſpecies juri naturali contradiſtincta, ſed reſpectu Juris naturæ, & Juris Gentium ſtrictè ſumpti genus conſtituet, quo modo ſubinde Grot. Jus Gentium accepit; nam ſæpè jus illud, quod uſu, & humanis neceſſitatibus exigentibus Gentes ſibi conſtituerunt Jus Gentium voluntarium appellat ad diſtinctionem ſcilicet Juris naturalis, quod & ipſum Jus Gentium dici poſſe ait *Lib. 1. Cap. 2. §. 4. num. 1. & 2. & alibi.*

XI.

Cauſa efficiens Juris Gentium ſunt Gentes quà tales, vel moratiores omnes, vel pleræque, vel etiam paucæ, & fortè duæ tantùm; nam, ùt paulò antè dictum eſt, Jus Gentium non ex numero Gentium, ſed ex fine æſtimari debet.

XII.

Cauſa impulſiva fuit quædam neceſſitas; tametſi enim genus humanum in varios populos, & nationes fuerit diviſum, ſemper tamen retinet unitatem aliquam, non ſolùm ſpecificam, ſeu fundatam in ſimilitudine naturæ, ſed etiam quaſi politicam, & moralem propter naturale præceptum mutui amoris, & miſericordiæ, quod ad omnes etiam extraneos extenditur. Hinc, licèt quævis Gens commu-

communitatem perfectam conſtituat, quælibet tamen etiam membrum eſt hujus univerſi, prout ad genus humanum ſpectat. Cùm autem nulla earum ſibi adeò ſufficiens ſit, ut non interdum ad melius eſſe, & majorem utilitatem, interdum etiam ob moralem neceſſitatem mutuo auxilio, ſocietate, & communicatione indigeat, ideò jure opus erat, quo Gentes in hoc genere ſocietatis, & communicationis dirigerentur: Et quamvis magnâ ex parte hoc fiat per Jus naturæ, illud tamen ſuppeditat regulas nimis generales, quæ non ſufficiunt ſingulis negotiis determinandis, in quibus Liberæ Gentes inter ſe communicant; neceſſe igitur erat, ut ſpecialia quædam jura uſu Gentium introducerentur. Confer P. Suarez *ſæpè Cit. Lib. 2. Cap. 19. num. 9.*

XIII.

Subjectum Juris Gentium itidem ſunt Gentes quà tales. Poſſunt nimirùm homines conſiderari vel tanquam creaturæ rationales, vel tanquam membra totius generis humani in diverſas Gentes diſperſi, vel denique tanquam membra certæ, ac determinatæ Reipublicæ. Primo modo ſpectati diriguntur Jure naturæ: Secundo Jure gentium: Tertio Jure civili. Non obſtringuntur autem Jure gentium omnes planè gentes: nam, extra Jus naturale, & divinum novum, nullum de facto reperitur Jus omnibus Gentibus commune: Sed illæ tantùm, quarum voluntate expreſſâ, vel tacitâ coaluit; cùm enim vim pacti habeat, non alios obſtringere poteſt, quàm qui in illud conſenſerunt. Unde contingere poteſt, ut, quod in una parte orbis terrarum Jus Gentium eſt, alibi non ſit; quemadmodum jus illud, vi cujus bello ſolenni capti ſervi fiunt capientium, nec ſemper, nec apud omnes Gentes receptum fuiſſe teſtatur Grot. *Lib. 3. Cap. 7. §. 8.*

XIV.

Objectum Juris Gentium in genere conſtituunt ea, quæ pertinent ad convenientem ſocietatem, & communicationem Gentium inter ſe. In ſpecie huc ſpectant admiſſio, & inviolabilitas Legatorum, libertas exercendi commercia cum exteris, jus ſepulturæ, repreſſaliæ &c. Ex adverſo, quæ ad pacem, concordiam, & tran-

quillitatem civium alicujus Reipublicæ inter ſe pertinent, illa ad Jus civile referenda ſunt.

XV.

Forma Juris Gentium duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentia ſpecifica, qua tum à Jure naturæ, tum civili diſtinguitur. A Jure naturæ differt I. ratione cauſæ efficientis; nam Jus Gentium voluntate Gentium fuit conſtitutum, Jus autem naturæ procedit à Deo tanquam Authore naturæ. II. Ratione ſubjecti; nam Jus Gentium non obſtringit alias Gentes, quàm quarum voluntate expreſſâ, vel tacitâ coaluit, Jus naturæ verò obligat omnes omninò homines. III. Ratione objecti; nam Jus Gentium reſpicit objectum arbitrarium, ſeu tale, quod non continet intrinſecam, & eſſentialem honeſtatem, vel malitiam, Jus naturæ autem præcipit, vel prohibet ea, quæ per ſe, & intrinſecè ſunt honeſta, vel turpia. IV. Ratione formæ; nam eſſentia Juris gentium conſiſtit in arbitrariâ conventione Gentium, Jus naturæ verò habet formam Legis propriè dictæ. V. Ratione effectûs; nam Jus Gentium parit obligationem juſtitiæ, Jus naturæ autem obligationem legalem. VI. Jus Gentium abſolutè loquendo mutabile eſt, non verò Jus naturæ. A Jure civili autem differt, quòd Jus Gentium conſenſu plurium Gentium in communem ipſarum utilitatem, Jus civile verò voluntate cujusque populi in proprium ſuæ Reipublicæ bonum ſit conſtitutum.

XVI.

Forma extrinſeca ſtat in ejus promulgatione. Promulgatur autem Jus gentium non ſcriptum conſtanti uſu, & praxi gentium in materia ſibi conſentaneâ conformiter operantium, & oblatâ occaſione tanquam ad jus commune provocantium: Scriptum verò, ſeu expreſſo gentium conſenſu conſtitutum, ſi promulgetur, quanquam promulgatio ad ejus efficaciam neceſſaria haud ſit, eodem fermè modò promulgari ſolet, quo Leges civiles.

XVII.

Effectus Juris Gentium eſt, quòd pariat obligationem juſtitiæ; talis enim naſcitur ex omni conventione validâ, ac proinde, cùm

Jus

Jus gentium ſpecies ſit conventionis, non poteſt non ex illo naſci obligatio juſtitiæ; obligationem autem legalem Jus gentium non producit, quia conventio gentium quà talis inducere non poteſt obligationem legalem, cùm una gens non ſit Superior alterâ, nec omnes gentes collectim ſumptæ Superiores ſint ſingulis, nec etiam Deus, ſive tanquam Author naturæ, ſive tanquam Supremus Politiarum, & Rerumpublicarum Princeps eidem vim, & animam legalem infundat, ùt latiùs ſuprà eſt oſtenſum. Nihilominùs Jus gentium comitatur obligatio legalis, quæ immediatè provenit ex illo Juris Naturæ principio: fides data eſt ſervanda.

XVIII.

Tametſi autem Jus gentium univerſale adeò conveniens ſit rectæ rationi, & ſocietati gentium, ut quaſi inſtigante naturâ fuerit receptum, quia tamen non præciſè in neceſſitate naturæ, ſed in liberâ gentium conventione fundatum eſt, neque ea, quæ præcipit, vel prohibet, intrinſecam, & eſſentialem continent honeſtatem, vel malitiam, ideò illud non ſolùm impropriam, & materialem, ſed etiam propriam, & formalem per ſe, & abſolutè loquendo recipit mutationem, velut in eo, quòd capti in bello ſervi fiant capientium, inter Chriſtianos defacto mutatum, & ſublatum eſt; quamvis enim capti cuſtodiri ſoleant, donec vel permutentur, vel redimantur, ſervi tamen non ampliùs fiunt. Ab una tamen gente ſolâ Jus gentium mutari non poteſt, ita ut illa ab obligatione contractâ liberetur; nam, ùt dictum, ex arbitrariâ gentium conventione rigoroſa naſcitur obligatio juſtitiæ, quam una gens invitis cœteris excutere haud poteſt, quia nexum obligationis exuere non poteſt debitor invito creditore. Accedit, quòd Jus gentium plurium Nationum communem felicitatem reſpiciat: licet igitur utilitas ejus ceſſet reſpectu unius gentis, non tamen hoc ipſo etiam deſinit quoad reliquas, ac per conſequens nec deſinit obligatio. P. Suarez *ſæpiùs alleg. Lib. 2. Cap. 20. num. 6. & 8.* Dn. Gletle *cit. Cap. 3.* §. *6. num. 3. & 4.*

XIX.

Aliud dicendum eſt de Jure gentium impropriè ſumpto, hoc enim à quavis gente liberè mutari poteſt; nam hocipſo, quòd ſine

obligatione mutuâ inter gentes receptum ſit, per talem mutationem non infertur aliis injuria. Deinde Jus hoc ſuâpte naturâ nihil aliud eſt, quàm Jus civile pluribus populis ſeorſim commune, ac pro utilitate cujusque Reipublicæ ſine reſpectu ad alias conſtitutum. Certum autem eſt, quòd Jus civile à quavis gente liberè mutari poſſit, licèt aliæ gentes non conſentiant, quia non tenetur una gens ſe aliis conformare. P. Suarez *ubi ſuprà num. 7.*

XX.

Probatur Jus Gentium univerſale eodem modo, quo conſuetudo, ſcilicet uſu continuo, & teſtimonio peritorum; nam uſus continuus gentium in materia, quæ ad convenientem ſocietatem, ac communicationem ipſarum inter ſe pertinet, hoc jus ſuâpte naturâ infert: ſcriptoribus autem illuſtribus, ac probatis, ſi unanimi voce aliquid Juris gentium eſſe teſtentur, absque temeritatis notâ fides denegari haud poteſt. Jus Gentium autem particulare eo modo probatur, quo conventiones aliæ probari ſolent. Grot. *Lib. 1. Cap. 1. §. 14. num. 2.*

CAPUT II.

De Civitate.

CUm Jus publicum Univerſale ſuâpte naturâ ſupponat, genus humanum in diverſas coaluiſſe Civitates, Lex methodi exigit, ut jam de civitate pleniùs diſſeramus. Sit igitur

§. I.

De Civitate in genere.

SUMMARIA.

I. *Unde dicta ſit Civitas?*
II. *Afferuntur variæ acceptiones Civitatis.*
III. *Vocatur alio nomine Respublica, quæ tamen accuratè loquendo differt à Civitate.*
IV. *Adducuntur variæ definitiones Civitatis.*

V. *Rejici-*

V. *Rejicitur opinio illorum, qui nullam in definitione civitatis ſummi Imperii mentionem faciendam eſſe putant.*

VI. *Dividitur primò in ſimplicem, & mixtam: ſimplex in Monarchicam, & Polyarchicam: Et hæc porrò in Ariſtocraticam, & Democraticam.*

VII. *Dividitur ſecundò in Regularem, & irregularem.*

VIII. *Neceſſitas civitatum deducitur tum ex imbecillitate, tum ex malitia naturæ humanæ per peccatum corruptæ.*

IX. *Prima civitatum origo ad tempora antediluviana referenda eſt.*

X. *Cauſa efficiens civitatis remota eſt Deus tanquam Author naturæ.*

XI. *Reſpondetur illis, qui negant, hominem naturaliter ferri ad ſocietatem civilem.*

XII. *Cauſa proxima ſunt illi, qui animo pangendæ inter ſe ſocietatis civilis in unum cœtum coeunt.*

XIII. *Debent illi diverſæ eſſe conditionis.*

XIV. *Cauſa impulſiva fuit tum indigentia noſtra, tum metus malorum; quæ homini extra civitatem ab homine imminere poſſunt.*

XV. *Materia Civitatis proxima eſt cœtus hominum in unum corpus morale, ac politicum conſociatus: remota verò ſunt familiæ.*

XVI. *Cauſa formalis civitatis eſt ſummum Imperium.*

XVII. *Finis ſtat in civili beatitudine tum internâ, tum externâ*

XVIII. *Civitas eſt ſocietas perfecta, ſibiq; ſufficiens ad benè, beateq; vivendum.*

XIX. *Eſt ab omni externo Imperio libera.*

XX. *Suſtinet vicem unius perſonæ moraliter à ſingulis diverſæ.*

XXI. *Quo ſenſu dicatur eſſe immortalis, & perpetua?*

XXII. *Eſt Societas inæqualis.*

XXIII. *Civitas interit interitu vel materiæ, vel formæ: poteſt autem materia duobus modis interire.*

XXIV. *Similiter forma civitatis duobus modis interire poteſt.*

XXV. *Si populus loco ſaltem migraverit, populus eſſe non deſinit.*

XXVI. *Nec civitas eſſe deſinit, ſi muri tantùm urbis dejecti ſint.*

XXVII. *Sed nec mutatâ Regiminis formâ eadem civitas eſſe deſinit.*

XXVIII. *Acci-*

XXVIII. *Accidere poteſt, & quidem tribus modis, ut ex una civitate duæ, pluresve fiant civitates.*

XXIX. *Ex adverſo accidere etiam poteſt, ut ex duabus, vel pluribus civitatibus una fiat civitas, idq́; duplici modo.*

I.

CIvitatem à coeundo quaſi *coivitatem* dictam eſſe exiſtimat Calvin. *Lexic. Jurid. voc. civitas.* Niſi enim plures homines animo pangendæ inter ſe ſocietatis civilis in unum cœtum coeant, civitas conſurgere haud poteſt, cùm non omnis hominum multitudo civitas ſit, ſed illa demùm, quæ unum efficit corpus morale, quod absque ejusmodi coitione fieri nequit, quia aliàs deficeret unio, ſeu vinculum morale, quod plures homines in unum corpus politicum compingeret. Unde etiam civitatem quaſi civium unitatem dictam eſſe ſcribit Tholoſàn. *de Republ. Lib. 1. Cap. 3. num. 1.*

II.

Accipitur vox *Civitatis* variè, & quidem I. pro domibus, & ædificiis, ùt *in L. 2. §. 14. Cod. de Offic. Præfect. Prætor. Afric. L. 6. L. 12. §. 6. Cod. de ædific. privat.* II. Pro conditione Legali faciendi ea, quæ ſolis civibus competunt, *ùt in L. fin. ff. de capit. minut. & paſſim alibi.* III. Pro omni multitudine hominum civili vinculo ſociatâ, & iisdem mœnibus incluſâ, quo ſenſu civitas differt ab urbe, hæc enim in parietibus, ædificiis, & muris conſiſtit, civitas autem in ipſa hominum multitudine poſita eſt, ac proinde urbs quaſi domicilium civitatis eſt. Unde Cicer. *4. Academ. Quæſt. Cap. 137. Roma*, inquit, *urbs eſt, & eam civitas incolit.* Quòd ſi quandoque appellatione urbis ipſa hominum multitudo intelligatur, ùt cùm Virgil. *Lib. 1. Æneid.* urbem *ſomno, vinòque ſepultam* dixit, per metonymiam continens pro contento ſumitur. IV. Denique accipitur pro integro alicujus Reipublicæ populo, quo ſenſu omnes illi ùnius, & ejusdem civitatis eſſe dicuntur, quibus una, & eadem Imperii Majeſtas dominatur, etiamſi moribus, inſtitutis, linguâ, ac infinitâ propemodùm Gentium varietate diſtinguantur. Ariſtotel. *Lib. 3. Polit. Cap. 6. num. 42.* Et ita porrò ſumitur vel pro ſola multitudine parentium, veluti cùm Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 6. num. 1.* ſummam

mam poteſtatem civilem definit eſſe *facultatem moralem civitatem gubernandi*, vel pro multitudine ex parentibus, & imperantibus conflatâ. Atque in hac acceptione

III.

Civitas alio nomine vocatur Reſpublica; licèt enim ab invicem differant, eò quòd civitas ipſum cœtum multitudinis, Reſpublica autem illius cœtûs ordinem denotet, ac proinde civitas quaſi materia ſit, in quam Reſpublica tanquam forma inducatur, quo ſenſu Iſocrates Rempublicam civitatis animam eſſe dixit, paſſim tamen hæc duo vocabula hodie confundi ſolent.

IV.

Definitiones civitatis varias reperio apud A. A. Böhmer. *Introduct. in J. P. U. Part. Spec. Lib. 1. Cap. 3.* §. *1.* eandem definit, quòd ſit *cœtus, ſeu complexus plurium hominum ſub Imperio pactis vel expreſſis, vel tacitis unitus tutioris, vel tranquillioris vitæ gratiâ.* Dn. P. Schmier *in J. P. U. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 4.* §. *1. num. 137.* eandem definit, quòd ſit *ſocietas perfecta cum debita imperantium, & parentium ſubordinatione propter civilem beatitudinem coadunata.* Nicol. Hert. *de mod. conſtit. Civit. Sect. 1.* §. *1.* quòd ſit *ſocietas hominum mutuis eorundem pactis conflata, & poteſtate inſtructa, quæ ſingulorum viribus ad tranquillam, & beatam vitam uti poſſit.* Bœcler. *Inſt. Polit. Lib. 1. Cap. 6. pag. mihi 86. & Tract. de eo, quod civit. egit pag. 689.* quòd ſit *ſocietas hominum perfecta, rebus neceſſariis inſtructa, certoq́ imperandi, ac parendi ordine conſtituta ad benè, beateq́ vivendum.* Thomaſ. *Inſt. Jurisprud. divin. Lib. 3. Cap. 6.* §. *1. num. 6.* quòd ſit *ſocietas naturalis ſummum Imperium continens, omnis ſufficientiæ, & beatitudinis civilis gratiâ.* Clariſs. Dn. P. Seybold *de Republ. Chriſt. Part. 1.* §. *1. num. 1.* quòd ſit *cœtus hominum ob communem utilitatem juris conſenſu in commune Regimen conſociatus ad benè, beateq́ vivendum.* Quæ definitiones tametſi verbis differant, re ipſâ tamen differre non videntur, omnes enim in eo conveniunt, quòd civitas ſit cœtus hominum perfectus ob civilem beatitudinem conſociatus, ſummóque armatus imperio.

V.

Sunt quidem, qui putant, nullam in definitione civitatis ſummi Imperii mentionem faciendam eſſe. At malè, quoniam ſine ſummo Imperio civitas nulla dari poteſt; quod enim anima eſt in corpore humano, hoc ſummum Imperium eſt in corpore politico civitatis; Sicut ergò corpus humanum non informatum ab anima homo non eſt, ita nec cœtus multitudinis ſummo exutus Imperio civitas ampliùs eſt, tametſi civilis conſociatio perſiſtat. Grot. *Lib. 2. Cap. 9. §. 6.*

VI.

Dividitur civitas I. à forma Regiminis in ſimplicem, & mixtam: ſimplex porro in Monarchicam, & Polyarchicam. Monarchica eſt, in qua ſumma poteſtas reſidet penes unum, qui tanquam caput univerſam communitatem gubernat. Polyarchica verò, in qua ſumma poteſtas reſidet penes plures unius perſonæ vicem ſuſtinentes: Eaque rurſus vel Ariſtocratica eſt, vel Democratica. Ariſtocratica dicitur, in qua concilium optimatum ex univerſis delectum ſummam obtinet poteſtatem. Democratica verò, in qua ſumma poteſtas eſt penes univerſum populum. Has tres gubernandi formas Senec. *Epiſt. 16.* ita deſcribit: *interdum populus eſt, quem timere debeamus, interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per Senatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt.* Breviori verborum compendio Tacit. *Lib. 4. Annal. Cap. 33. num. 1. cunctas nationes, & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt.* Mixta verò conſurgit civitas, ſi ſimplices hæ Regiminis formæ inter ſe miſceantur, de quo infrà.

VII.

Dividitur II. in regularem, & irregularem. Regularem voco, quæ communem civitatibus quaſi congenitam indolem, ac naturam ſalvam, & integram retinet: Irregularem verò, quæ ab hac communi civitatum naturâ, & indole in uno, alteróve degenerat. In quibus autem communis illa civitatum indoles, & natura conſiſtat, itidem infrà declarabitur.

VIII.

Neceſſitatem civitatum Dn. P. Seybold. *Cit. Part. 1.* §. *3.* tum ex imbecillitate, tum ex malitia naturæ humanæ per peccatum corruptæ deducit: *Ea enim*, inquit *num. 2. eſt humanæ naturæ imbecillitas, ut homo ſibi ſolus, & ſine aliorum hominum ope minimè ſufficiat ad rectè vivendum ſecundùm ſuæ naturæ conditionem.* Et porro *num. 7. cùm poſt amiſſam per peccatum originale juſtitiam homo ad malum pronus ſit ab adoleſcentiâ ſuâ, & natura humana plena ſit pravis affectionibus, quibus exagitatur, hinc, ſi nullæ in orbe Respublicæ forent, totum genus humanum profligatis virtutibus ad ſcelera defiecteret, pietas, Religio, juſtitia, virtutes omnes jacerent; impietas, malefacta, injuriæ, injuſtitia, crimina omnia ſine frœno dominarentur; omnia plena forent cædibus, latrociniis, rapinis, furtis, dolis, fraudibus, ſeſeq; mutuis cladibus conficerent homines, fieretq; totus hic terrarum globus, quem Deus hominibus in quietum habitaculum deſtinavit, ſpelunca latronum, & feræ lanienæ theatrum, in quo ſuo ſanguini innataret genus humanum.* Ita cit. Author, & veriſſimè.

IX.

Prima civitatum origo antiquiſſima, & ad tempora antediluviana referenda eſt, ſic enim *Geneſ. 4. verſ. 17.* dicitur, *Cainum*, poſtquam ſcilicet ejus familia tantâ creviſſet numeroſitate, ut haberet jam populi quantitatem, *ædificâſſe civitatem*, *eamq; ex nomine filii ſui Henoch vocâſſe Henochiam*; exemplum Caini poſteri hauddubiè ſecuti ſucceſſu temporis plures condiderunt civitates, cùm enim à creatione mundi usque ad diluvium 1656. effluxerint anni, totusque mundus hominibus fuerit repletus, credibile non eſt, toto illo tempore nullos porro fuiſſe cœtus perfectos ſocietatis vinculo ſub uno Regimine conſociatos. Poſt diluvium verò per Noëmi filios, & poſteros in toto terrarum orbe diffuſos civitates, Gentes, Nationes, & regna fuiſſe erecta, propagata, & dilatata, conſtat *ex Geneſ. Cap. 10.* latè Dn. P. Seybold *Cit. Part. 1.* §. *8. & aliquot ſeqq.*

X.

Cauſa efficiens civitatis duplex eſt, remota, & proxima. Remota eſt Deus ùt Author naturæ, qui homini appetitum ſocietatis

non tantùm domeſticæ, ſed & civilis impreſſit; talem enim homo appetit ſocietatem, in qua obtinere poſſit ea, quæ ad convenientem vitæ conſervationem, ac felicitatem ſtatu ſuo dignam pertinent: Atqui in ſola ſocietate domeſticâ hæc non poteſt obtinere, cùm partes talis communitatis imperfectæ ſufficiens ſubſidium, ac mutuum juvamen, quo ad conſervationem vitæ, & felicitatem indigemus, ſibi invicem præſtare haud poſſint: ergò &c. Certè talem natura humana ambit ſocietatem, quæ perfectam, & integram tum animi, tum corporis felicitatem, qualis nimirum humano modo comparari poteſt, eidem conferre queat: ſola autem domeſtica ſocietas talem felicitatem homini nequit conferre, quia ſufficiens haud eſt ad paranda ea omnia, quibus ad benè; beatéque vivendum indigemus, aut ad avertenda omnia illa mala, & incommoda, quibus expoſiti ſumus, ùt facilè conſideranti patet: ergò appetit non tantùm ſocietatem domeſticam, ſed ulteriùs tendit. Deinde ideò homo appetit ſocietatem, quia ſibi non ſufficit ad neceſſaria vitæ, ſi ſolitarius maneat: Ergò, quò magìs ſocietas ſufficiens eſt ad neceſſaria vitæ, eò magìs homo illam appetit: Atqui ſocietas civilis tanquam perfecta magìs ſufficiens eſt ad neceſſaria vitæ, quàm domeſtica, quæ eſt imperfecta, & ſuâpte naturâ ordinatur ad perfectam: ergò magìs appetit ſocietatem civilem, quàm domeſticam, ac proinde appetitus noſter neutiquam impletur per ſolam ſocietatem domeſticam. Conſentiunt Molin. *de J. & J. Tract. 2. Diſp. 22. num. 8.* Dn. P. Schmier *J. F. U. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 4. §. 2. num. 151. & ſeqq.* Dn. P. Seybold *cit. Part. 1. §. 4. & 5. & plures alii.*

XI.

Non arridet hæc noſtra Sententia Puffendorfio *de J. N. & G. Lib. 7. Cap. 1. §. 4.* quem ſequitur Thomaſ. *Inſt. Jurisprud. divin. Lib. 3. Cap. 6. num. 21. & ſeqq.* qui eandem hoc argumento impugnant: homo naturaliter fertur ad hoc, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo velificari velit: ergò, *inquiunt*, naturaliter non fertur ad ſocietatem civilem; qui enim civitatem ſubit, naturalis libertatis jacturam facit, ac imperio ſe ſubjicit, quod præter alia etiam jus vitæ, & necis in ipſum complectitur, & cujus juſſu plurima facienda ſunt, à quibus aliàs abhorrebat,

&

& omittenda, quæ vehementer appetebat, ita ut plurimæ actiones ad bonum ſocietatis referendæ ſint, quod ſæpè à bono ſingulari videtur diſcrepare. At hoc argumentum ſententiam noſtram non evertit; quivis enim naturaliter fertur ad id, quod ipſi majus bonum eſt, neglecto minori, ſi majus aliter obtinere nequeat: majus autem bonum eſt felicitas, ac beatitudo vitæ, quàm libertas naturalis: ergò, cùm homo perfectam, & integram felicitatem, ac beatitudinem vitæ, qualis nimirùm humano modo comparari poteſt, in hoc corruptæ naturæ ſtatu non aliter obtinere queat, quàm ſi libertatis naturalis jacturam faciat, & civitatem ſubeat, ac ſe Imperio ſubjiciat, is naturaliter fertur ad ſocietatem civilem, perinde ùt naturaliter fertur ad conſervationem vitæ etiam cum jactura alicujus membri, ſi illam aliter conſervare nequeat, tametſi aliàs naturaliter feratur ad conſervandam integritatem membrorum.

XII.

Cauſa efficiens proxima civitatis ſunt illi, qui animo pangendæ inter ſe ſocietatis civilis in unum cœtum coeunt; niſi enim ſinguli cum ſingulis expreſſè, vel tacitè paciſcantur, quòd ob communem felicitatem in unum, & perpetuum cœtum coire velint, multitudo hominum unum corpus morale non facit, ſed rude tantùm erit aggregatum, ex quo, quamdiu tale manet, tam parùm conſurgere poteſt civitas, quàm parùm ex tabulis, aut lapidibus inter ſe non connexis navis, aut domus. Ut igitur plena, & perfecta vitæ civilis conſociatio, quæ multitudini hominum rationem corporis politici demùm tribuit, inducatur, omninò mutuâ ſingulorum cum ſingulis conventione ſive expreſſâ, ſive tacitâ opus eſt. P. Suarez *de Legib. Lib. 3. Cap. 2. num. 4.* Puffendorf. *cit. Lib. 7. Cap. 2,* §. *6. & 7.* Nicol. Hert. *de mod. conſtit. civit. Sect. 1.* §. *2.*

XIII.

Neceſſe autem eſt, ut illi, qui mutuis pactis in corpus civitatis coaleſcunt, diverſæ ſint conditionis; *Reſpublica enim*, ùt Dion. Halicarnaſs. *Lib. 7.* ſcribit. *quodammodo corpori humano ſimilis eſt. Utrumque eſt compoſitum, & conſtat ex multis partibus, quarum ſingulæ nec eandem vim habent, nec uſus pares exhibent: nam in Republica unaquaquè*

quæque gens proprium aliquem Reipublicæ uſum præbet, ùt membra corpori; alii enim agros colunt, alii pro ipſis pugnant tum hoſtibus, alii mercaturam exercentes multa commoda Reipublicæ ex mari afferunt, alii neceſſarias artes exercent. Unde rectè Ariſtotel. *Lib. 2. Polit. Cap. 1. non ſolùm*, inquit, *ex multitudine hominum conſtat civitas, verùm etiam ex eorum multitudine, qui ſpecie differant; non fit enim civitas ex ſimilibus.* Tres autem, ùt advertit Dn. P. Seybold *de Republ. Chriſt. Part. 4. §. 1. num. 5.* præcipuè claſſes hominum requiruntur, ſcilicet *Quæſtuoſa*, quæ provideat, aut in Rempublicam inferat ea, quæ ad vitam ducendam ſunt neceſſaria, vel opportuna: *Militaris*, quæ hoſtes à Republicâ repellat, aut inteſtinos motus compeſcat: & *Senatoria*, quæ ad clavum Reipublicæ ſedeat, jura dictet, & rem communem gubernet.

XIV.

Cauſa impulſiva fuit tum indigentia noſtra, tum metus malorum, quæ homini extra civitatem ab homine imminere poſſunt; quamvis enim jus naturale omnes prohibeat injurias, natura tamen humana per peccatum originale adeò fuit corrupta, ut multi dentur, quibus jus omne vile eſt, quoties ſpes lucri affulſerit, modò vel vi, aut fraude læſos repellere, aut eludere ſeſe poſſe confidant, & quia præſentibus tantùm inhiant, futurorum incurioſi, nec metus Divini Numinis coërcendæ eorum malitiæ ſufficiens eſt, ac proinde ſtatus hominum extra civitatem viventium foret turbidus, inquietus, minimè ſecurus, & pacificus, ſtatus autem viventium in civitate ex adverſo tranquillus, ſecurus, & pacificus eſt, cùm Imperium civile frœnum ſit improborum, & tutela proborum.

XV.

Cauſa materialis civitatis duplex eſt, proxima, & remota. Proxima eſt cœtus hominum in unum corpus morale, ac politicum mutuæ pactionis vinculo conſociatus. Remota ſunt familiæ, ex quibus corpus civitatis conſtat; familiæ autem, ſi perfectæ ſint, ex tribus porro conſtant ſocietatibus ſimplicibus, ſcilicet ex conjugali, patriâ, & herili. Ordinem, quo civitas naſci poteſt, & ſolet, optimè deſcribit Cicer. *Lib. 1. de offic. Cap. 17.* hiſce verbis: *Cùm hoc*

ſit

ſit naturâ commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Inde autem eſt principium urbis, & quaſi Seminarium Reipublicæ, ſequuntur fratrum conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumq; qui cùm unâ domo jam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt; ſequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quæ propagatio, & Soboles origo eſt Rerumpublicarum. Quot verò perſonæ ad conſtituendam civitatem requirantur, nequit in univerſum definiri. Plato, ùt refert Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 2. §. 2.* tantum civium numerum requirit ad civitatem, ut injuriantes vicinos poſſint depellere, & iisdem injuriam patientibus auxilium ferre: unde colligitur, quòd juſta civitatis magnitudo ad vicinorum vires referenda ſit, perinde ùt Grot. *Lib. 2. Cap. 16. §. 3.* pro viribus hoſtium æſtimandum eſſe cenſet, quæ copiæ exercitum faciant; ac proinde, quæ olim, cùm genus mortalium in magnam civitatum multitudinem diſtingueretur, magnæ fuerant civitates, exortis poſtea magnis Imperiis jam juſtô minores ſunt.

XVI.

Cauſa formalis civitatis conſiſtit in ſummo Imperio, hoc enim, ùt Senec. *Lib. 1. de Clement. Cap. 4.* loquitur, *vinculum eſt, per quod Reſpublica cohæret, ſpiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, nihil alioquì futura, niſi onus, & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur.* Quamdiu igitur cœtus multitudinis juris fruendi cauſá ſociatus ſummum Imperium retinet, tamdiu etiam retinet nomen civitatis, ſi verò illo exuatur, ac in formam Provinciæ redigatur, deſinit per ſe eſſe civitas, & acceſſio fit civitatis dominantis. Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 7. num. 2.*

XVII.

Finis Civitatis conſiſtit in civili beatitudine; ideò enim homines in civitates coeunt, ut benè, beatéque vivant, quod extra civilem ſocietatem in hoc corrupto naturæ ſtatu nequeunt obtinere. Conſtat autem vita beata non tantùm commoditate, ſed & honeſtate vivendi, ac proinde finis civitatis eſt beatitudo tum interna,

tum

tum externa. Interna ſtat in actione virtutis, honeſtate, & juſtitiâ: Externa verò in abundantiâ bonorum temporalium, pace, tranquillitate, ſecuritate vitæ, præſidio, & protectione ſita eſt. Rectè igitur Cicer. *Lib. 8. ad Attic. Epiſt. 11.* beatam civium vitam in eo conſiſtere dixit, *ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit.* Bœcler. *Inſt. Polit. Lib. 1. Cap. 6. pag. mihi 81. & ſeqq.*

XVIII.

Proprietates civitatis plures occurrunt. Prima eſt, quòd ſit ſocietas perfecta, ſibique ſufficiens ad benè, beatéque vivendum. Unde Ariſtot. *Lib. 1. Polit. Cap. 2. in Princ.* civitatem eſſe dixit, quæ *omnis ſufficientiæ finem habet*, hoc eſt, quæ ad hunc finem, & ad hanc perfectionem pervenit, ut ſit per ſe ſufficiens non tantùm ad vivendum, ſed & ad benè, beatéque vivendum, cujusmodi ſufficientiam ſocietates imperfectæ profectò non habent; multa enim ipſis deſunt, quæ ad obtinendam perfectam, & integram tum animi, tum corporis felicitatem vel neceſſaria, vel ſaltem opportuna ſunt. P. Suarez *de Legib. Lib. 1. Cap. 6. num. 19. & ſeqq. item Lib. 3. Cap. 1. num. 3.* Interim tamen neceſſe non eſt, ut civitas ſibi adeò ſufficiens ſit, ut ipſi nihil omninò deſit, nam ad conſervandam humani generis ſocietatem provida Natura bona ſua ita partita eſt, ut non omnis ferat omnia tellus; imò nulla eſt tam valida civitas, quæ non aliquando aliorum extra ſe ope vel ad commercia, vel etiam ad arcendas externarum Gentium junctas in ſe vires indigere poſſit. Grot. *Prolegom. num. 22.*

XIX.

Secunda eſt, quòd ab omni externo Imperio libera ſit; omnem enim communitatem perfectam ſequitur ſumma poteſtas civilis, tanquam moralis quædam proprietas, utpote ad ejus gubernationem omninò neceſſaria: ergò hoc ipſo talis communitas ab omni externo Imperio libera eſt, cùm implicet, habere ſummam poteſtatem, & tamen Superiori poteſtati ejusdem ordinis, & lineæ ſubjectum eſſe.

XX. Ter-

XX.

Tertia, quòd unius perſonæ moraliter à ſingulis diverſæ vicem ſuſtineat. Unde jura habet, quæ ad ſingulos non pertinent, & ex adverſo ſinguli jura, & bona propria habent, quæ ad civitatem quà talem non ſpectant, ex quo porrò fluit, quòd ob delictum à civitate admiſſum tam parùm ſinguli, qui non conſenſerunt, in bonis propriis puniri poſſint, quàm parùm civitas quà talis ob delictum ſingulorum, niſi fortè ſe participem fecerit, in juribus, & bonis ſuis puniri poteſt, cùm pœnæ ſuos debeant tenere Authores. Grot. *Lib. 2. Cap. 21. §. 2. & 7.*

XXI.

Quarta, quòd ſit immortalis, & perpetua. Ita Tiberius apud Tacit. *Lib. 3. Annal. Cap. 6. num. 5. Principes mortales, Rempublicam verò æternam eſſe dixit.* Hoc tamen non ita intelligendum eſt, quaſi non populi quoque violento aliquo caſu extingui, aut diſſipari queant; quot enim jam populi interiêrunt, ita ut vix nomen eorum ſuperſit? Sed quòd non, ùt ſinguli homines, elapſo certi temporis ſpatio per naturam deficiant, verùm in locum deficientium vel ſurrogatione exterorum, vel propagatione ſobolis continuò alii ſuccedant, quo fit, ut idem populus ſemper manere videatur, tametſi ſinguli cives extinguantur; quemadmodùm enim corpus naturale, & artificiale partibus, unâ manente ſpecie, paulatim commutatis idem eſſe non deſinit, ita nec populus idem eſſe deſinit, quamdiu conſociatio manet, & ſummum retinetur imperium. *Vid. L. 76. ff de Judic.* & Grot. *Lib. 2. Cap. 9. §. 3.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 12. §. 7.*

XXII.

Quinta eſt, quòd ſit ſocietas inæqualis. Eſt autem ſocietas in genere *complexus plurium perſonarum unitarum inter ſe ad certum finem.* Alia eſt æqualis, alia inæqualis. Æqualis dicitur, quæ in ſimplici plurium inter ſe unitorum obligatione conſiſtit, qualis deprehenditur in coalitione, & ſyſtemate plurium civitatum, quarum ſingulæ ſeparatas habent ſuas rationes, ita tamen unitæ, ut, quæ ad communem defenſionem ſpectant, conjunctim ſint expedienda. Societas

cietas verò inæqualis fundatur in Imperio, & ſubjectione, ac proinde civitas formaliter ſpectata accenſeri debet ſocietatibus inæqualibus; ſi verò materialiter tantùm conſideretur, ad ſocietates æquales referenda eſt, cùm inter eos, qui mutuæ pactionis vinculo in unum cœtum perfectum coaleſcunt, nullus ſit ſubjectus alteri, ſed ſinguli inter ſe æquales exiſtant.

XXIII.

Contraria civitatis ſunt modi, quibus illa rurſus interit. Interit autem, ſi vel materia, vel forma ejusdem intereat. Materia civitatis, ùt diximus, eſt cœtus hominum in unum corpus morale, & politicum conſociatus. Corpus hoc duobus modis interire poteſt. Primò, ſi omnes ſimul partes tollantur, ſine quibus corpus ſubſiſtere nequit, quò refer populos mari abreptos, vel terræ motu, aut chaſmate hauſtos, vel qui in extremam deſperationem ab hoſte conjecti ultrò ſe internecioni dederunt, ùt Numantini fecêre. Flor. *Lib. 2. Cap. 18.* Secundò, ſi conſociatio, quæ multitudini formam corporis tribuit, diſſolvatur, veluti contingit, ſi cives aut ſpontè ob peſtilentiam, ſeditionem, aliámve cauſam à ſocietate diſcedant, aut vi bellicâ ita diſtrahantur, ut ampliùs coire nequeant. Confer Grot. *Lib. 2. Cap. 9. §. 4. & 5.*

XXIV.

Forma civitatis, quam in ſummo Imperio conſiſtere diximus, itidem duobus modis interit. Primò, ſi omnis juris communitas tollatur, uti fit, ſi cives ſinguli paſſim diſtracti diverſis civitatibus accreſcant, ſive libertatem perſonalem retineant, ſive ad ſervilem quoque conditionem redigantur, quale factum ex juſtiſſimo Dei judicio experta eſt Reſpublica Judæorum; qui enim poſt excidium Urbis Hieroſolimitanæ ſuperſtites manſêre, à Romanis in ſervitutem abducti, & in hodiernum usque diem adeò diſperſi ſunt, ut totum pervagentur orbem. Idem propemodùm Campanis accidit, nam, ùt Liv. *Lib. 26. Cap. 16.* narrat, *Principes Senatûs ad octoginta fuerunt interfecti, trecenti fermè nobiles in carcerem conditi, alii per ſociorum latini nominis urbes in cuſtodias dati variis caſibus interiêrunt, multitudo alia civium Campanorum venûndâta, reliqua autem multitudo in*

nullam

nullam ſpem reditûs diſſipata fuit. Secundò forma civitatis interit, ſi perfecta ſaltem communitas inter membra ejusdem populi tollatur, velut accidit, ſi ſinguli quidem libertatem perſonalem retineant, atque in oppidis, & agris ſuis relinquantur, ita tamen, ut alterius civitatis imperium ſubeant, & in Provinciæ formam redigantur. Grot. *cit. Cap. 9. §. 6.*

XXV.

Planè ſi populus loco ſaltem migraverit, ſive ſponte ob inediam, aut alia mala, ſive coactus, ùt populus Carthaginenſis bello Punico tertio à Romanis juſſus fuerat in locum X. mill. paſs. à mari remotum migrare. Flor. *Lib. 2. Cap. 15.* populus eſſe non deſinit; modò conſociatio maneat, & ſummum retineatur imperium. Sic tempore Themiſtoclis Athenarum civitas in claſſe, non in tectis, & ædificiis urbis verſari dicebatur, &, ùt Lucanus canit,

Tarpeiâ ſede peruſtâ
Gallorum facibus, Vejósq; habitante Camillo
Illic Roma fuit, non unquam perdidit ordo
Mutato ſua jura ſolo.

Sic etiam Helvetii non deſiêrunt eſſe populus, tametſi, ùt Cæſar *Lib. 1. de Bell. Gall. Cap. 5.* refert, *oppida omnia ſua, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, & reliqua privata ædificia incenderint, frumentum omne, præterquam quod ſecum portaturi erant, combuſſerint, ut domum reditionis ſpe ſublatâ paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent,* quia vinculum conſociationis inter eos diſſolutum haud fuit.

XXVI.

Multò minùs civitas eſſe deſinit, ſi muri tantùm urbis dejecti ſint, cùm civitas non in muris, & munimentis, ſed in multitudine hominum juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatâ conſiſtat. Unde cùm Lacedæmonii ad pacem Græciæ juvandam negâſſent admittendos Meſſenios, quòd ejus urbis muri eſſent dejecti, contra eos à communi ſociorum judicatum fuiſſe refert ex Plutarch. Grot. *dict. Cap. 9. §. 7.*

XXVII.

Sed nec mutatâ Regiminis formâ eadem civitas eſſe deſinit, tametſi enim Democratia migret in Ariſtocratiam, aut Monarchiam, vel Ariſtocratia in Monarchiam, aut Democratiam, & ſic deinceps, forma tamen eſſentialis civitatis conſtitutiva non mutatur, ſed eadem manet; nam, ut multitudo hominum ſit civitas, ſummum imperium facit, quod idem manet, ſive penes unum, ſive penes paucos, ſive penes univerſos reſideat, eſſe autem civitatem Monarchicam, vel Polyarchicam, accidentale duntaxat eſt, quod ex diverſitate ſubjecti proprii, & immediati Majeſtatis profluit. Sic idem erat populus Romanus ſub Regibus, Conſulibus, Imperatoribus. Non ignoro quidem, quòd Ariſtotel. *Lib. 3. Polit. Cap. 2.* ſcribat, mutatâ Reipublicæ formâ non eandem, ſed aliam dicendam eſſe civitatem. At Ariſtoteles plus noluit dicere, quàm mutatâ Reipublicæ formâ non manere eandem civitatem, prout civitatem conſiderant Politici, qui ſolam formam accidentalem, ſeu relationem partium inter ſe, earum, quæ regunt, & quæ reguntur, reſpiciunt, quæ relatio ſi mutetur, utique civitas talis non manet, qualis antea fuerat. JCti autem formam civitatis eſſentialem conſiderant, quæ in communione juris, & imperii conſiſtit; inde enim provenit, quòd multitudo hominum nomen civitatis habeat; à ſubjecto autem immediato, & proximo ſummæ poteſtatis civilis tantùm dependet, qualisnam ſit civitas, utrùm ſcilicet ſit ſimplex, vel mixta; & ſi ſimplex, utrùm ſit Monarchica, Ariſtocratica, vel Democratica. Quamdiu igitur communio juris, & imperii manet, tamdiu manet eadem civitas. Grot. *ſæpe cit. Cap. 9. §. 8. num. 1. & 2.* Bœcler. *de eo, quod civit. egit pag. mihi 691. verſ. Mutationes &c.*

XXVIII.

Accidit quandoque, ut ex una civitate duæ, pluresve fiant civitates, quo caſu plura pro uno exiſtunt ſumma imperia, cum ſuo jure in partes ſingulas. Sic Imperium Romanum diviſum fuit in Orientale, & Occidentale. Sic etiam Regnum Perſicum poſt obitum Alexandri M. ſub Aridæo in plura Regna diviſum eſt. Poteſt ejusmodi diviſio tribus contingere modis. Primò voluntate Regis

Regnum

Regnum patrimoniale inter Liberos dividentis, velut Darius Regnum inter filios Artaxerxem, & Cyrum diviſit. Secundò mutuo conſenſu, ùt olim apud Græcos emiſſis coloniis, quæ civitatem matricem cultu quidem, ac honore, & quadam quaſi in parentes pietate venerabantur, ejus tamen imperium non agnoſcebant, ſed propriam conſtituebant civitatem. Tertiò vi bellicâ. Grot. *ubi ſuprà* §. *10.* & *ibi* Theſmar.

XXIX.

Ex adverſo accidere etiam poteſt, ut ex duabus, vel pluribus civitatibus una fiat civitas, idque duplici modo. Primò, ſi duo, pluresve populi animo novam omninò conſtituendi civitatem invicem conjungantur, quo caſu manifeſtum eſt, priores civitates deleri, ac novam planè exſurgere civitatem. Secundò, ſi una civitas alteri ita conjungatur, ut uni quidem ſua Reſpublica maneat, alterius verò civitatis cives vel ſpontè, vel vi bellicâ coacti eidem accedant, quod ubi fit, hæc penitus perit, illa autem, quæ remanet, eadem eſſe non deſinit, tametſi hoc caſu eidem inſigne acceſſerit incrementum. Hoc modo civitas ſabinorum accrevit civitati Romanæ; Licèt enim ſabinis inania quædam ſimulacra, inſtituto etiam ad tempus imperio Duumvirali, fuerint relicta, imperium tamen omne Romam tranſlatum eſt, ùt teſtatur Liv. *Lib. 1. Cap. 13.* Deſiit ergò civitas Sabinorum eſſe civitas, & facta fuit pars civitatis Romanæ. Cœterùm quamvis duæ, pluresve civitates in unam coaleſcere poſſint, nequeunt tamen diverſæ civitates ita uniri, ut maneat quæque, quod fuit, niſi per modum arctioris fœderis, quod ſyſtema quidem, non autem civitatem propriè dictam producit. Confer Bœcler. *Diſſert. de eo, quod civit. egit pag. mihi 720. & ſeqq.* & Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 12.* §. *6.*

§. II.

De Civitatibus mixtis.

SUMMARIA.

I. *Verior ſententia tenet, ſtatum Reipublicæ mixtum dari poſſe, eáque probatur.*

II. *Solvitur argumentum diſſentientium primum.*

III. *Reſpon-*

III. *Reſpondetur ad ſecundum.*
IV. *Proſternitur tertium.*
V. *Enervatur quartum.*
VI. *Eliditur quintum.*
VII. *Poſſunt ſimplices Regiminis formæ ex natura rei, & abſolutè loquendo in univerſum quatuor modis inter ſe miſceri.*
VIII. *Modus externus adminiſtrandi non variat ipſum ſtatum.*
IX. *Nullum etiam mixturæ argumentum eſt, ſi Reges acta quædam ſua nolunt eſſe rata, niſi à Senatu approbentur.*
X. *Deinde nec mixtus conſurgit Reipublicæ ſtatus, tametſi Rex in aditu Regni ad certum adminiſtrandi Imperii modum ſubditis ſe pacto adſtringat.*
XI. *Licèt ejusmodi promiſſioni clauſula irritans fuiſſet adjecta.*
XII. *Adducuntur modi, quibus vera contingit mixtura.*

I.

DIviſimus ſuprà civitatem in ſimplicem, & mixtam; quamvis enim non deſint, qui ſtatum Reipublicæ mixtum dari poſſe negent, contrariam tamen ſententiam, uti communior eſt, ita & veriorem eſſe arbitramur; nam primò ſummum imperium diverſa complectitur jura, ùt Leges ferendi, imponendi tributa, Magiſtratus conſtituendi &c. Ergò dividi poteſt, ita ut quædam penes unum, alia verò penes Senatum Optimatum, aut univerſos conſiſtant. Certè dominium privatum dividi poteſt, ita ut unus jus diſponendi de rei proprietate, alter jus utendi fruendi, tertius ſervitutem realem habeat: ergò etiam ſummum Imperium dividi poteſt, ita ut unus e. g. poteſtatem ferendarum legum, & imponendi tributa, alter verò jus creandorum Magiſtratuum habeat; ideò enim dominium privatum hoc modo dividi poteſt, quia diverſis juribus æquivalet: ergò &c. Deinde licèt ratio naturalis poſtulet, ut communitatem perfectam comitetur ſumma poteſtas, non tamen poſtulat, ut indiviſim reſideat penes unum, vel paucos, vel omnes: ergò poteſt dividi, ita ut reſideat partim penes unum, partim penes paucos, vel omnes. Denique in libero communitatis perfectæ ſtat arbitrio, utrùm ſummam poteſtatem ipſa velit retinere, vel in unum, aut paucos transferre, nullâ ejus parte retentâ: ergò etiam in libero ejus

ejus ſtat arbitrio, utrùm quædam jura velit retinere, quædam verò in unum, vel paucos transferre. Supereſt, ut jam argumenta, quibus Adverſarii hanc noſtram impugnant ſententiam, refellamus, quorum

II.

Primum eſt hoc: tres ſimplices Regiminis formæ ſibi invicem ſunt contrariæ: ergò non poſſunt dari in eadem Republicâ. At hoc argumentum plus non evincit, quàm quòd ſummum Imperium non poſſit in ſolidum reſidere penes unum, & ſimul penes Senatum Optimatum, aut univerſum populum, quod utique propter ſummam confuſionem, quæ ex tali Regimine oriretur, moraliter loquendo contingere haud poteſt: ut autem quædam jura ſummæ poteſtatis civilis exiſtant penes unum ſolum, quædam verò penes plures, vel penes unum, & plures ſimul, nullam involvit implicantiam: At hoc modo conſurgit ſtatus Reipublicæ mixtus: ergò &c.

III.

Secundum ejusdem prorſus farinæ eſt, quòd repugnet, ut ſumma poteſtas ſit penes unum, & plures; ſi enim, *inquiunt*, penes unum eſt, non erit penes plures: ſi verò penes plures eſt, non erit penes unum. Nam, ùt paulò antè diximus, natura ſtatûs mixti non conſiſtit in hoc, quòd ſumma poteſtas ex toto exiſtat penes unum, & ſimul ex toto penes plures, quod utique fieri non poteſt, ſed quòd quædam jura ſummæ poteſtatis exiſtant penes unum, alia verò penes plures, vel penes unum, & plures ſimul.

IV.

Tertium eſt: implicat aliquem eſſe ſubditum, & non eſſe ſubditum: ergò implicat ſtatus Reipublicæ mixtus, quia aliquis eſſet ſubditus, & non eſſet ſubditus; ponamus enim, ſtatum Reipublicæ ex Monarchia, & Ariſtocratia mixtum eſſe, hoc caſu Concilium Optimatum erit ſubjectum Regi, & non erit ſubjectum, quia & ipſum ſummam habet poteſtatem. At facili diſtinctione totum hoc corruit argumentum; licèt enim implicet, aliquem eſſe ſubditum, & ſub eodem reſpectu non eſſe ſubditum,

tum, nullam tamen contradictionem involvit, aliquem ſub uno reſpectu eſſe ſubditum, ſub alio verò non eſſe ſubditum. Sic in allato exemplo Concilium Optimatum quoad eam ſummi Imperii partem, quæ ſoli Regi competeret, ſubjectum quidem eſſet Regi, quoad eam verò partem, quam Concilium Optimatum haberet, eidem non eſſet ſubjectum, ſed ſi Rex in partem non ſuam involaret, Concilium Optimatum eidem vim juſtam opponere poſſet, tametſi fortè in partitione Summi Imperii dictum fuiſſet, poteſtatem belli penes Regem fore, quia hoc de bello externo intelligi debet; qui enim Summi Imperii partem habet, non poteſt non jus habere eam partem tuendi. Grot. *Lib. 1. Cap. 4. §. 13.*

V.

Quartum: Omnia jura ſummæ poteſtatis profluunt ex Imperio in perſonam: atqui hoc eſt indiviſibile: ergò &c. Sed neque hoc argumentum ullius roboris eſt; licèt enim verum ſit, quòd omnia jura ſummæ poteſtatis profluant ex Imperio in perſonam; nam, quæ exteros reſpiciunt, ùt jus belli, fœderum &c. Non fundantur in Imperio in perſonam, ſed ex libertate civili, quæ Summum Imperium ſemper comitatur, directò profluunt; falſum tamen eſt, quòd Imperium in perſonam ſit indiviſibile, utique enim ex diverſitate materiæ diviſionem recipit, ita ut unus poſſit habere jus imperandi in uno, alter in alio, e. g. unus ferendo Leges, & earum transgreſſores puniendo, alter verò imponendo tributum, perinde ùt unus habere poteſt jurisdictionem in perſonam in cauſis civilibus, alter in cauſis criminalibus.

VI.

Quintum denique eſt hoc: jura Summi Imperii tam arcto inter ſe cohærent nexu, ut plurima ſequantur, aut ſaltem ſequi poſſint incommoda, ſi illa ab invicem ſeparentur, & in plura diſparata ſubjecta dividantur: ergò &c. At multa ſunt, quæ huic argumento opponi poſſunt; nam primò non omnia jura Summi Imperii æquè arcto nexu inter ſe cohærent, ſed unum arctiùs, aliud minùs arctè alteri connexum eſt: ergò illa ſaltem, quæ tam arcto nexu inter ſe non cohærent, citra notabile incommodum, aut periculum

incom-

incommodi ab invicem ſeparari, & diverſis ſubjectis tribui poſſunt. Deinde, qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis, aut periculis carebis, cùm in civilibus nihil ſit, quod omni ex parte incommodis careat; habet ſua incommoda Democratia, habet Ariſtocratia, habet ipſa quoque Monarchia, quæ tamen omnium formarum præſtantiſſima eſſe cenſetur. Si ergò propter incommoda, aut pericula Regiminis forma ex Republica eliminanda foret, omnis omninò gubernationis forma eſſet proſcribenda; malitiis nimirùm hominum, non ipſi Regiminis formæ imputanda ſunt incommoda. Accedit, quòd incommoda illa, quæ ſtatui mixto in genere adhærere poſſunt, ſæpè apud hanc, vel illam Gentem ultrò evaneſcant, aut per Leges fundamentales ſaltem præcaveantur. Certè ſi populus ſummam poteſtatem in plura ſubjecta partiri velit, hauddubiè incommodis, aut periculis, quantum fieri poteſt, obviam ire conabitur, certas præſcribendo conditiones, ſub quibus quisque partem ſuam adminiſtret, nec tamen poteſtas, quam quisque habet, propterea deſinit eſſe ſumma. Denique Jus non ex eo, quod huic vel illi optimum videtur, ſed ex voluntate ejus, unde jus oritur, metiendum eſt. Cùm igitur Regiminis forma unicè ex voluntate populi dependeat, utpote penes quem ſumma poteſtas ex natura rei primitùs reſidet, ideò hoc ſolum ſpectare oportet, quid populus velit, qui tanquam rei ſuæ moderator, & arbiter ſummum Imperium vel ipſe retinere, vel totum, & integrum in unum, aut paucos transferre, vel denique in diverſa, & diſparata ſubjecta dividere poteſt. Quare omninò verius eſſe arbitror, ſtatum Reipublicæ mixtum dari poſſe, velut etiam præter alios tenent Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 17.* & ibi Obrecht. Dn. Gletle *in Select. Jur. Publ. Quæſt. 3. num. 26. & 27.* Dn. P. Seybold. *de Republ. Chriſt. Part. 10. §. 10. num. 5. & 6.* Dn. Joan. Balthaſar Braun *de Magiſtrat. Cap. 1. §. 2. num. 5.* Bœcler. *Inſt. Polit. Lib. 2. Cap. 2.* item *Diſſert. Polit. 14.*

VII.

Poſſunt autem ſimplices Regiminis formæ ex natura rei, & abſolutè loquendo in univerſum quatuor modis inter ſe miſceri. Primò Monarchia cum Ariſtocratia. Secundò Monarchia cum Democratia.

cratia. Tertiò Ariſtocratia cum Democratia. Quartò denique Monarchia cum Ariſtocratia, & Democratia. Primo modo conſurgit Status Monarchico-Ariſtocraticus. Secundo Monarchico-Democraticus. Tertio Ariſtocratico-Democraticus. Quarto, & ultimo Monarchico-Ariſtocratico-Democraticus, & hoc ultimum ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia compoſitum Reipublicæ Syſtema nonnulli Veterum omnium optimum eſſe ſunt arbitrati, eò quòd omnes formæ bona, ac dotes ſuas in unum conferant, quod tamen Bœcler. *alleg. Diſſert. 14. num. 3.* meritò improbat; difficulter enim ejusmodi mixtura ita inſtitui poterit, ut unaquæque forma, quod habet præſtans, conferat, ac contribuat. Saltem tale compoſitum haud durabile eſſe cenſet Tacit. *Lib. 4. Annal. Cap. 33. num. 1.* ubi *delecta*, inquit, *ex his*, tribus nempe ſpeciebus, *& conſtituta Reipublicæ forma laudari faciliùs, quàm evenire, vel, ſi evenerit, haud diuturna eſſe poteſt.* Quod judicium Taciti teſte Bœcler. *cit. loc.* adeò hactenus comprobavit experientia, ut non poſſit dari exemplum notabile Reipublicæ verè ex tribus formis conſtitutæ.

VIII.

Non tamen protinus mixtus conſurgit Reipublicæ ſtatus, ubi adminiſtratio externa aliquid trahit ex forma alterius Reipublicæ, cùm modus externus adminiſtrandi non variet ipſum ſtatum; poteſt enim ſumma poteſtas indiviſa penes unum, vel paucos, aut univerſos reſidere, modus autem adminiſtrandi aliam formam præferre. Sic in ſtatu populari pleraque negotia publica expediri poſſunt vel per Senatum ex univerſis delectum, vel per unum, qui dignitate primum in Republica locum obtineat. Similiter in ſtatu Optimatum unus aliquis Authoritate ita eminere poteſt, ut plurima negotia publica ſolus adminiſtret. Sic & ſtatus Monarchicus Ariſtocraticâ adminiſtrandi ratione temperari poteſt, ita ut ſupremus Princeps in negotiis arduis adhibere teneatur conſenſum Senatûs, nec tamen propterea Monarchia miſcetur cum Ariſtocratia, quia non eo ipſo, quòd Princeps absque conſenſu Senatûs certa Majeſtatis jura exercere nequeat, ſumma poteſtas communicatur cum Senatu; nam & pupillus, ſi de rebus ſuis diſponere velit, adhibere tenetur conſenſum tutoris, nec tamen propterea dominium

ſuum

ſuum communicat cum tutore: Unde nec Princeps communicat ſummam poteſtatem cum Senatu, licèt in negotiis arduis teneatur adhibere conſenſum Senatûs. Niſi igitur aliquis errare velit, modum adminiſtrandi ab ipſo Reipublicæ Statu diſtinguat, neceſſe eſt, quod & Ariſtotel. fecit, dum *Lib. 4. Polit. Cap. 5.* ſcribit, *multis locis accidere, ut, quæ Reſpublica ſecundùm Leges non ſit popularis, conſuetudine tamen, & vivendi modo populariter gubernetur, & è converſo apud alios contingere, ut Reſpublica ſecundùm Leges magìs ſit popularis, moribus tamen, & vivendi modo magìs ad paucorum gubernationem pertineat.* Bœcler. ad Grot. *Cit. Cap. 3.* §. *17.*

IX.

Nullum etiam mixturæ argumentum eſt, ſi Reges acta quædam ſua nolunt eſſe rata, niſi à Senatu, aut alio quodam cœtu approbentur; licèt enim ejusmodi acta, non ſecutâ approbatione Senatûs, in irritum recidant, hoc tamen directò non provenit à voluntate Senatûs, ſed ipſius Regis, qui non aliter acta ſua voluit eſſe rata, quàm ſub conditione, ſi illa etiam à Senatu approbentur. Deficiente igitur hac conditione deficit quoque voluntas Regis. Tale erat Antiochi tertii Regis reſcriptum ad Magiſtratus, ne ſibi parerent, ſiquid Legibus adverſum juſſiſſet. Eundem in modum ad Senatum reſcripſerunt Imperatores Theodoſ. & Valentin. *in L. 7. Cod. de Precib. Imperat. offerend.* Interim dubium non eſt, quin Rex ſpeciali juſſu priori ſuæ voluntati derogare, & abſolutè velle poſſit, ut acta ſua etiam citra approbationem Senatûs rata ſint. Unde patet, quòd Rex tantùm id facere nolit, quod Senatui improbatur, non verò quòd id facere non poſſit. Grot. *cit. Cap. 3.* §. *18.* & ibi Vitriar. *Quæſt. 50.*

X.

Deinde nec mixtus conſurgit Reipublicæ ſtatus, tametſi Rex in aditu Regni ad certum adminiſtrandi Imperii modum ſubditis ſe pacto adſtringat, veluti ſi promittat, quòd certo generi hominum Magiſtratus mandare nolit, vel quòd certa negotia publica non niſi cum conſilio, & conſenſu Procerum velit expedire; qui enim ſubditis promittit, quòd certo modo Imperium adminiſtrare velit, is

 faculta-

facultatem adminiſtrandi nec ex toto, nec ex parte abdicat, licèt ejus exercitium hoc pacto reſtringatur, & limitetur, ita tamen, ut urgente ſummâ Reipublicæ neceſſitate Rex ad ſervandum ejusmodi promiſſum obſtrictus haud eſſet, quia talis obligatio magìs noceret, quàm prodeſſet felicitati publicæ. Unde prudenter præſumi non poteſt, quòd ſubditi Principem etiam pro tali caſu ad obſervandum præſcriptum adminiſtrandi modum adſtringere velint. Si autem Rex extra caſum neceſſitatis contra promiſſionem ſuam faceret, is ſine dubio violatæ fidei reus foret, cùm ex ejusmodi promiſſis Regum verum jus, quamvis morali cogendi neceſſitate deſtitutum, ſubditis naſcatur. Grot. *Lib. 2. Cap. 14. §. 6. num. 2.*

XI.

Denique nec mixtus conſurgit Reipublicæ ſtatus, etiamſi ejusmodi promiſſioni, in aditu Regni ſubditis à Rege factæ, adjecta fuiſſet clauſula irritans, quia exinde non neceſſariò ſequitur, quòd ſumma poteſtas ſubditis ſit communicata, ſed tantùm, quòd illi aliquam particulam libertatis naturalis ſibi reſervaverint, ita ut, licèt e. g. jus ferendarum Legum privativè in Regem transferatur, ipſi tamen in materiam ab eo præcipiendam, vel prohibendam priùs conſentiant, cui deinde primùm Rex animam legalem infundat; vel, tametſi jus imponendi tributa itidem privativè Regi deferatur, ut tamen hoc ſuum jus non niſi prævio ſubditorum conſenſu exercere poſſit, quò ſibi caveant, ne ſine juſtâ cauſâ ipſis indicantur tributa; ac proinde in his, & ſimilibus caſibus conſenſus ſubditorum non niſi per modum conditionis, ſine qua non, requiritur. Sic, licèt Epiſcopus in quibusdam adhibere teneatur conſenſum Capituli, ita ut ſine ejus conſenſu actus ſit nullus, nemo tamen dixerit, poteſtatem Epiſcopalem cum Capitulo communicatam eſſe. Sic etiam nemo dixerit, Status Provinciales in conſortium Regiminis, & poteſtatis fuiſſe aſſumptos, ſi fortè Princeps in negotiis arduis, & momentoſis vel vi antiquæ obſervantiæ, vel vi pactorum ſine eorum conſenſu nihil poſſet diſponere. Et quamvis ejusmodi in aditu Regni ſubditis à Rege facta promiſſio etiam in alium fortè ſenſum detorqueri poſſet, interpretatio tamen contra ſubditos eſſet facienda, qui ſibi imputare debent, quòd conditiones, in quas Regi juran-

jurandum erat, non apertiùs expreſſerint; Rex autem id, quod plures ſenſus recipit, jure ſuo accipere potuit in partem ſibi utiliorem: imò, cùm ex una parte ſubditi finem ſuum ſatis obtineant, modò exercitium, ſalvâ, & illibatâ penes Regem manente Majeſtate, reſtringatur, & certis limitibus concludatur: ex alterâ autem ſplendori Regni hac ratione magis conſulatur, præſumi non poteſt, quòd modum adminiſtrandi Imperii præſcribendo voluerint ſummæ poteſtatis participes fieri. Hinc probare non poſſumus illorum ſententiam, qui ſtatum Imperii noſtri Romano-Germanici ex Monarchia, & Ariſtocratia mixtum eſſe contendunt, cùm verius ſit, eundem etiamnum purè Monarchicum eſſe, quoad modum tamen exercendi certa jura Majeſtatis limitátum, & reſtrictum. Sed hoc alterius loci eſt.

XII.

Vera igitur mixtura tantùm contingit primò, ſi vel communio unius, aut alterius juris ſummæ poteſtatis expreſſis verbis inducatur, vel diverſa ejus jura diſparatis ſubjectis in ſolidum aſſignentur, quod ultimum etiam tunc fieri cenſetur, ſi in delatione Imperii abſolutè dictum ſit, hoc, illúdve jus non fore penes Regem; cùm enim non extinguatur, nec in eum tranſeat, cui Imperium defertur, neceſſariò ſequitur, illud penes populum remanere. Secundò, ſi promiſſioni, quam Rex in aditu Regni fecit, aliquid additum ſit, ex quo colligatur, eundem, niſi pacto ſteterit, à populo, vel Concilio Procerum cogi poſſe; licèt enim, ſi nudum factum, & vim ſpectemus, etiam inferior Superiorem cogere poſſit, implicat tamen, ut inferior quà talis jus habeat cogendi Superiorem, ſed, qui jus habet alterum cogendi, vel eo ſuperior, vel ſaltem ei æqualis eſſe debet, nam cogere non ſemper eſt Superioris, cùm extra civitatem quisque jus habeat cogendi debitorem. Si ergò aliquid additum ſit, ex quo colligatur, Regem, niſi pacto ſteterit, à populo, vel Concilio Procerum cogi poſſe, neceſſariò ſequitur, populum, vel Senatum Procerum in eo, in quo cogere poteſt, aut Rege ſuperiorem, aut ſaltem ei æqualem, & hactenus ſummi Imperii conſortem eſſe. Planè ſi populus, vel Concilium Procerum ſimpliciter, & abſolutè, ſeu in omnibus jus haberet cogendi Regem, hic

inſtar Regum Spartanorum non niſi Regium nomen, & titulum haberet, ac proinde ſtatus merè popularis, vel Ariſtocraticus, non mixtus foret, & in hoc demùm caſu vera eſt ſententia Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 4. §. 14.* & Vitriar. ad Grot. *Lib. 1. Cap. 3. Quæſt. 47.* qui negant, ſtatum mixtum conſurgere, ſi quid promiſſioni additum ſit, ex quo colligatur, Regem, niſi pacto ſteterit, à populo, vel Concilio Procerum cogi poſſe. Si verò ponatur, quædam jura ſummi Imperii libero Regis arbitrio permiſſa eſſe, eorum ſententia admitti haud poteſt. Tertiò contingit mixtura, ſi populus adhuc liber futuro Regi quid imperet per modum manentis præcepti, veluti ſi legem ferat, ne futurus Rex Magiſtratus conferre poſſit extraneis, expreſſim addito, ut legem hanc mutandi, aut abrogandi poteſtatem Rex non habeat, præcipere enim eſt Superioris. Quartò denique etiam vi derelictionis ſive expreſſæ, ſive præſumptæ ſtatus mixtus enaſci poteſt. Vid. Grot. *cit. Cap. 3. §. 17. num. 1. & Lib. 2. Cap. 4. §. 11.*

§. III.

De Civitatibus irregularibus.

SUMMARIA.

I. *In quo conſiſtat communis civitatibus quaſi congenita indoles, ac natura?*

II. *Civitates Monarchicæ, & Ariſtocraticæ non ſunt irregulares.*

III. *Solvitur dubium quoddam.*

IV. *Irregularitas civitatum oritur primò ex defectu vinculi, unde irregulares ſunt civitates Dyarchicæ, & Triarchicæ.*

V. *Non tamen propterea ſtatus veteris Imperii Romani ſemper fuit irregularis.*

VI. *Nec vocari poteſt Ariſtocratia Duumviralis, aut Triumviralis.*

VII. *Secundò profluit irregularitas civitatum ex defectu ſimplicis Regiminis unde irregulares ſunt civitates mixtæ.*

VIII. *Tertiò denique irregularitas civitatum oritur ex defectu finis, unde irregulares ſunt civitates heriles.*

IX. *Civitates patrimoniales, niſi ſimul ſint heriles, irregulares haud ſunt.*

X. *Sed nec tempore interregni civitas irregularis eſt.*
XI. *Solvitur quædam objectio.*

I.

Civitatem irregularem ſuprà diximus eſſe illam, quæ à communi civitatibus quaſi congenitâ indole, ac naturâ in uno, alteróve degenerat; in quonam autem communis hæc civitatum indoles, ac natura conſiſtat, ex ſtatu primævo, quem civitates, quæ modo naturali, non violento naſcuntur, in ipſâ ſui nativitate ſortiuntur, deſumendum eſſe arbitramur. Ponamus ergò plures Patresfamilias, qui hactenus ſegreges vivebant, communi conſenſu in unum cœtum perfectum coire, hunc cœtum confeſtim ſequitur ſumma poteſtas civilis, tanquam moralis quædam proprietas, utpote ad ejus conſervationem omninò neceſſaria, ſimúlque hocipſo conſurgit civitas. Status ejusdem jam talis eſt: *Primò* omnia, & ſingula ejus membra inter ſe connexa ſunt vi Imperii. *Secundò* totum corpus regitur ab una poteſtate indiviſâ, velut ab unâ animâ. *Tertiò* hæc poteſtas per ſe ordinata eſt ad communem, & publicam totius corporis felicitatem. Quòd ſi igitur civitas quædam occurrat, quæ vel in uno, vel in altero ab hoc primævo ſtatu deflectat, tunc eam irregularem eſſe dicimus; quidquid enim ab indole ac naturâ ſibi congenitâ deviat, illud rectè irregulare vocatur.

II.

Equidem etiam Civitates Monarchicæ, & Ariſtocraticæ à communi civitatibus quaſi congenitâ indole, ac naturâ deflectunt; Si enim primævum earum ſtatum, in quo naſcuntur, ſpectemus, ſummum Imperium penes totam exiſtit communitatem, à qua deinde primùm in unum, aut paucos transfertur; Nec tamen propterea civitates Monarchicæ, & Ariſtocraticæ ſunt irregulares, quia non omnis deviatio à primævo civitatum ſtatu irregularitatem infert, ſed illa demùm, quæ facta eſt in ſtatum imperfectum, aut ſaltem minùs perfectum, cùm civitatem irregularem eſſe imperfectionem involvat; ſi autem ſtatus primævus mutetur in æquè perfectum, aut perfectiorem, civitas non fit irregularis. Cùm igitur ſtatus Monarchicus, & Ariſtocraticus per ſe loquendo ſit æquè perfectus,

aut

aut etiam perfectior, quàm primævus erat, ideò civitates Monarchicæ, & Ariſtocraticæ non poſſunt dici irregulares, tametſi ab illo primævo civitatum ſtatu in hoc deflectant, quòd ſummum Imperium non ampliùs immediatè penes totam communitatem exiſtat.

III.

Dices fortè, ſtatum primævum, in quo civitates modo naturali naſcuntur, eſſe ſtatum libertatis; ſtatum autem Monarchicum, & Ariſtocraticum eſſe ſtatum ſervitutis publicæ; ſpectato enim primævo ſtatu populum eſſe liberum, & ſui juris, in ſtatu autem Monarchico, & Ariſtocratico eundem eſſe ſubjectum Regi, vel Concilio Optimatum; eſſe autem ſtatum ſervitutis hauddubiè imperfectiorem, quàm ſtatum libertatis, ac per conſequens eas civitates, quæ ex ſtatu primævo migrârunt in ſtatum Monarchicum, aut Ariſtocraticum, eo ipſo migrâſſe in ſtatum imperfectiorem, eſſe ergò, ſuppoſitâ noſtrâ de irregularitate civitatum ſententiâ, etiam civitates Monarchicas, & Ariſtocraticas irregulares, quod tamen nemo ne quidem ſomniaverit. At non magno labore opus eſt, ut argumentum hoc ſolvatur, modò diſtinguamus inter populum collectivè, & diſtributivè ſumptum, collectivè ſumptus non tantùm in ſtatu primævo, ſed & in ſtatu Monarchico, & Ariſtocratico ab omni Imperio extraneo liber eſt, & ſui juris, aliàs non conſtitueret civitatem, ſed duntaxat provinciam alieno Imperio ſubjectam, diſtributivè autem ſumptus æquè in ſtatu primævo Imperio ſubjectus eſt, ac in ſtatu Monarchico, & Ariſtocratico: dum ergò dicitur, populum ſpectato primævo ſtatu eſſe liberum, & ſui juris, populus ſumitur collectivè, dum autem dicitur, eundem in ſtatu Monarchico, & Ariſtocratico Regi, aut Concilio Optimatum ſubjectum eſſe, idem terminus ſumitur diſtributivè, ac proinde peccatur contra regulas logicas. Salva igitur manet noſtra de irregularitate civitatum ſententia, vi cujus ex triplici fonte profluit illarum irregularitas.

IV.

Primò ex defectu vinculi, ſi nempe non omnia ejuſdem civitatis membra inter ſe connexa ſint vi Imperii. Ob hanc cauſam irregulares ſunt civitates Dyarchicæ, Triarchicæ, & quæ ita mixtæ ſunt,

ſunt, ut quædam Majeſtatis jura Regi, & Concilio Optimatum, vel Regi, & populo communia ſint, nam ejusmodi coimperantes quà tales ſolo conventionis vinculo inter ſe conjunguntur, qui Reipublicæ ſtatus fragilis admodùm eſt, cùm facilè contingere poſſit, ut inter eos naſcantur diſcordiæ; nam, ùt Statius 1. Thebaid. canit:

Sociis comes diſcordia Regnis.

Hæ diſcordiæ vi Imperii tolli non poſſunt, niſi ergò tempeſtivè amicabili ſopiantur conventione, mutua progignent odia, ac tandem in bellum civile erumpent, quo majus malum Reipublicæ vix poteſt accidere.

V.

Cœterùm quamvis dixerim, civitates Dyarchicas, & Triarchicas eſſe irregulares, non tamen hoc ipſo dico, ſtatum veteris Imperii Romani ſemper fuiſſe irregularem, quoties uno plures fuêre Auguſti; Si enim duo diviſim imperârunt, ac unus Orienti, alter Occidenti præfuit, vel etiam, ùt filii Conſtantini M. tres orbem Romanum tripartitò gubernârunt, ita ut nullus ab altero dependeret, tunc ex uno plura diſtincta Regna ſunt facta, tametſi illis conjunctim ob Legum, & morum ſimilitudinem, Regnantium, & populorum cognationem, fœdus, & mutuam velut ſubſtitutionem nomen Romani Imperii, ex quo orta, remanſerit, ac proinde hoc caſu ſtatus irregularis non emerſit. Quin imò ne eo quidem caſu ſtatum Romani Imperii continuò irregularem fuiſſe arbitror, quo duo Auguſti indiviſim res Imperii adminiſtrârunt, cùm enim plerumque pater filium, ſocer generum, frater fratrem in partem curarum vocaverit, veroſimile non eſt, id eo fine factum fuiſſe, ut ſummam poteſtatem cum ipſo partiretur, ſed potiùs, ut eum ſibi ſucceſſorem conſtitueret, ac firmaret, ne vacante aliquando Imperio milites Auguſtum alium proclamarent, & ad ſolium eveherent. Hinc ſolus ille jure proprio, & vi Imperii regnâſſe videtur, qui alterum tanquam Collegam ſibi adſciverat, alter autem non niſi precariam, & vicariam habuit poteſtatem. Unde eo demùm caſu Rempublicam Romanam irregularem fuiſſe dicimus, quò plures Auguſti ſummam poteſtatem pro indiviſo communem habuêre, ita ut quisque eandem jure proprio exercuerit. Confer Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 5. §. 15.*

VI.

Sunt, qui Ariſtocratiam Duumviralem, aut triumviralem fuiſſe exiſtimant, quoties duo, aut tres Auguſti Romanum Imperium indiviſim tenuerunt, ita ut alter ſine altero nihil potuerit decernere, cujus opinionis eſt Bœcler. ad Grot. *Lib. 1. Cap. 3.* §. *17. pag. mihi 255.* At malè; nam primò duo, vel tres poteſtate æquales non niſi vinculo pacti inter ſe connecti potuerunt, in ſtatu autem Ariſtocratico ſinguli Proceres etiam imperio inter ſe connectuntur. Deinde in ſtatu Optimatum una duntaxat poteſtas ſumma dominatur, ſi verò duo, aut tres poteſtate æquales indiviſim Imperium teneant, plures poteſtates ſummæ dominantur. Denique in ſtatu Ariſtocratico pars major prævalet minori, ac plura ſuffragia præponderant, duo autem Auguſti non potuiſſent vi Imperii tertium poteſtate æqualem in ſuam trahere ſententiam invitum, ac per conſequens ejuſmodi Regiminis ſtatus pro Ariſtocratico neutiquam haberi poteſt, ſed dicendus eſt irregularis. Puffendorf. *cit.* §. *15.* Dn. Gletle *in Select. Jur. Publ. Cap. 3. num. 29.* Thomaſ. ad Huber. *de Jur. Civitat. Lib. 1. Sect. 7. Cap. 2. num. 2. & 6.*

VII.

Secundò profluit irregularitas civitatum ex defectu ſimplicis Regiminis, ſi nempe non omnia, quæ ad gubernationem civitatis pertinent, ab una poteſtate indiviſâ velut ab unâ animâ proficiſcantur. Ob hanc cauſam irregulares ſunt civitates mixtæ, ſeu multiformes; quæ autem quoad modum adminiſtrandi duntaxat temperatæ ſunt, illæ non ad irregulares, ſed ad regulares civitates ſunt referendæ, nihilominùs enim totum Reipublicæ corpus ab una poteſtate indiviſâ, velut ab unâ animâ regitur. Hinc præcedente §. temperamentum à mixtura ſedulò diſtinximus.

VIII.

Tertiò denique irregularitas civitatum oritur ex defectu finis, ſi nempe ſummi Imperantes in gubernatione civitatis ſuum commodum primariò, populi verò utilitatem per accidens tantùm, & quidem non injuſtè intendant; tametſi enim ſumma poteſtas civilis per ſe ordinata ſit ad communem, & publicam totius corporis felicitatem,

citatem, ejus tamen natura ita alterari poteſt, ut illa quandoque absque injuſtitia primariò ordinetur ad utilitatem Imperantis, veluti ſi Imperium victoriâ partum ſit. Ob hanc cauſam irregulares ſunt civitates heriles, utpote in quibus utilitas populi, perinde ùt in familia ſervi, tantùm per accidens quæritur, quia ſcilicet intereunte populo Imperium conſervari haud poteſt, Imperantis autem utilitas primariò intenditur, & hoc non injuſtè, in quo is, qui Imperium herile habet, differt à Tyranno, qui omnia in ſuum commodum detorquet injuſtè. Ariſtotel. *4. Polit. Cap. 10.*

IX.

Sunt, qui etiam civitates patrimoniales in numerum irregularium referunt. Rectè, ſi civitates patrimoniales ſimul ſint heriles. At non eo ipſo, quòd civitas patrimonialis ſit, illa neceſſariò etiam herilis eſt; poteſt enim aliquis Imperium pleno, & abſoluto jure proprietatis tenere, ita ut illud tum inter vivos, tum ultimâ voluntate liberè in alium transferre poſſit, quin tamen is in gubernatione civitatis primariò ſuum ſpectare queat commodum, ſi nimirum populus alicui ita detulerit Imperium. Si autem civitas patrimonialis non ſimul etiam herilis ſit, illa potiùs regularibus, quàm irregularibus civitatibus accenſenda eſſe videtur, nam etiam ſpectato ſtatu primævo ſumma poteſtas patrimonialis eſt, cùm in pleno, & abſoluto jure proprietatis penes populum exiſtat. Licèt ergò jam Rex ſummum Imperium eodem modo teneat; quo olim populus, non tamen per hoc contingit deviatio aliqua ab illo ſtatu, quem civitates in ipſa ſui nativitate ſortiuntur, ſola autem mutatio ſtatûs primævi in ſtatum Monarchicum quà talis nullam inducit irregularitatem.

X.

Similiter nec tempore interregni civitatem irregularem eſſe exiſtimo, cùm ſtatus interregni à ſtatu, in quo civitates modo naturali naſci ſolent, non differat, uti enim ſumma poteſtas ex natura rei primitùs penes univerſum populum reſidet, ita & tempore interregni, quia Rege, ſi electus eſt, mortuo, aut familiâ regnatrice extinctâ jus imperandi ad populum revertitur. Nec quidquam ad

rem facit, quòd ſtatus interregni non ſit ſtabilis, ſed temporarius duntaxat, nam hoc non immutat naturam civitatum, ac proinde nec inducit irregularitatem. Deinde etiam ſtatus civitatum primævus, antequam certa Regiminis forma communi conſenſu fuerit determinata, temporarius tantùm eſt, nec tamen propterea irregularis, niſi dicere velis, omnes civitates ſtatim in prima ſui nativitate irregulares eſſe, quod utique abſurdum eſt, confundi non debet ſtatus imperfectus cum ſtatu irregulari. Accedit, quòd populo liberum ſit, ſi velit, talem ſtatum Democraticum in perpetuum deinceps ſtabilire. At

XI.

Dices: ſtatus interregni ſaltem plerumque ſolet eſſe temporarius, ſtatus autem civitatum vulgò non ſolet eſſe temporarius. Fateor, at quid tum? etiam res immobiles non ſolent vulgò deponi, & tamen, ſi de facto deponantur, depoſitum non fit irregulare: ergò etiam, licèt ſtatus civitatum vulgò non ſoleat eſſe temporarius, ſi tamen ſit, propterea civitas non fit irregularis; ideò enim depoſitum rei immobilis non fit irregulare, quia natura depoſiti primæva non immutatur: at nec immutatur primæva civitatum natura, licèt ſtatus earum ſit temporarius: ergò &c. Non inficiamur quidem, civitatem tempore interregni verſari quandoque in ſtatu morboſo; at exinde non ſequitur, quòd interregnum quà tale civitatem efficiat irregularem, cùm etiam Civitates Monarchicæ, Ariſtocraticæ, & Democraticæ quandoque verſentur in ſtatu morboſo, nec tamen propterea illæ quà tales ſunt irregulares. Negamus igitur, civitatem tempore interregni irregularem eſſe, præſertim ſi modus adminiſtrandi Legibus fundamentalibus, ùt fieri ſolet, ſit determinatus.

§. IV.

De Civitatibus Morboſis.

SUMMARIA.

I. *Civitates morboſæ differunt ab irregularibus.*
II. *Recenſentur quædam vitia hominum primò in ſtatu Monarchico.*

III. *Secun-*

III. *Secundò in ſtatu Ariſtocratico.*
IV. *Tertiò in ſtatu Democratico.*
V. *Quartò in ſtatu mixto.*
VI. *Afferuntur etiam quædam vitia ſtatûs.*
VII. *Civitas morboſa non conſtituit novam Reipublicæ ſpeciem.*

I.

Contingit haud raro, ut corpus morale, ac politicum non minùs, quàm corpus naturale, in ſtatum morboſum prolabatur, interim tamen civitates morboſæ multùm differunt à civitatibus irregularibus; irregularitas enim publicâ nititur authoritate, ac voluntate ipſius civitatis conſurgit, unde ſeſe palàm, & citra pudorem audet oſtendere: morbus autem præter mentem, ac intentionem civitatis ſenſim invaleſcit, & ideò ſemper velut illegitimam, ac erubeſcendam faciem præſefert, neque tantùm civitates irregulares, ſed regulares quoque ſua patiuntur deliquia, quæ tamen propterea non degenerant in irregulares; uti enim ædificium ad regulas Architectonicas conſtructum regulare manet, licèt materia vitioſa, aut tectum ſocordiâ incolentium tegulis nudatum ſit, parietes ruinam minentur, trabes carie confectæ, fundamenta hient: ita etiam civitates regulares naturam ſuam non exuunt, tametſi imperantes, aut parentes vitiis ſint dediti, vel exiguam utilitatis publicæ curam habeant. Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 5. §. 14.* Dn. Gletle *in Select. Jur. Publ. Cap. 3. num. 30.*

II.

Sunt autem morbi, quibus civitates premi ſolent, duorum generum, quidam enim oriuntur ex malitiâ hominum, alii verò ex prava diſpoſitione ipſius civitatis, unde alia vocantur vitia hominum, alia vitia ſtatûs. Vitia hominum in ſtatu Monarchico ſunt vel Imperantium, vel parentium. Imperantium, ſi arte regnandi ſint deſtituti, ſi nullam, aut exiguam Reipublicæ curam habeant, ſi eandem pravorum Miniſtrorum ambitioni, aut avaritiæ lacerandam proſtituant, vel citra neceſſitatem in caſum dare gaudeant, ſi pecunias utilitati publicæ deſtinatas luxu diſſipent, aut inconſultis largitionibus profundant, ſi ſubditos injuriis laceſſant, facultatibus emun-

gant, oneribus graviſſimis opprimant, ſi juſtitiam venalem habeant, & quæ ſunt alia, quibus nomen mali Principis comparatur; quis enim omnia Imperantium vitia enumeret, quæ civitatem in ſtatum morboſum conjiciant? vitia ſubditorum ſunt, ſi invito Principe negotiis publicis ſe immiſceant, ſi frœnum mordeant, ſi obſequium exuant, ſi vires Regias deprimant, ſuas extollant, ſi id agant, ut jura quædam Principi extorqueant, quibus contra poteſtatem legitimam ſeſe muniant, ſi authoritas Regis ipſis vileſcat &c.

III.

In ſtatu Ariſtocratico vitia hominum ſunt, ſi per ambitum, aut pravas artes viris improbis, vel ineptis via pateat in Senatum, ſi Optimates factionibus diſtrahantur, ſi conſilia ſalubria, & bono communi profutura, æmulatione, vel odio in Authores, improbentur, ſi cives tanquam mancipia tractentur, ſi bona civitatis augendo privato patrimonio intervertantur, ſi in Oligarchiam, ſeu paucorum potentiam deflectat, ſi ii, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, caput attollere ſuſtineant &c.

IV.

In ſtatu Democratico vitia hominum ſunt, ſi præclaræ, & Reipublicæ non prægraves virtutes per invidiam opprimantur, ſi per levitatem Leges temerè figantur, & refigantur, ſi cives internis motibus diſtracti in commune non conſulant, ſi homines inepti, & turbulenti ſententias ſuas præferoci pertinaciâ tueri ſatagant, ſi ſordidi, & inepti rebus gerendis præficiantur, ſi paulatim vergat ad anarchiam &c.

V.

In ſtatu denique mixto vitia hominum ſunt, ſi unus involet in partem poteſtatis non ſuam, ſi inter conſortes Imperii diſcordiæ exortæ ſint, ſi ſocius in jure ſummæ poteſtatis, quod cum altero commune habet, præ ſocio plus authoritatis ſibi arroget &c.

VI.

Vitia ſtatûs ſunt, ſi Leges, & inſtituta non ſint accommodata genio populi, ſi turbis, atque internis motibus anſam præbeant, ſi juſta vicinorum odia concitent, ſi cives ineptos reddant ad obeundas

das functiones, quæ Reipublicæ ſervandæ ſunt neceſſariæ, ſi Leges fundamentales ita ſint comparatæ, ut negotia publica non niſi tardè, & difficulter expediri poſſint &c. Confer Puffendorf. *ubi ſuprà* §. *10.* & Dn. Gletle *cit. Cap. 3. num. 31. & ſeqq.*

VII.

Tametſi autem inter ſanam, atque morboſam Rempublicam hauddubiè plurimùm interſit, non tamen propterea, quòd civitas ægrotet, nova inducitur Reipublicæ ſpecies, quia neque natura poteſtatis in ſe, neque ſubjectum ejus proprium, unde diverſitas Rerumpublicarum unicè deſumenda eſt, ægrotatione civitatis variatur. Interim tamen diffiteri non poſſumus, Rempublicam ægrotantem, niſi maturis occurratur remediis, ſucceſſu temporis plerumque in aliam mutari ſpeciem. Puffendorf. *alleg. Cap. 5.* §. *11.*

§. V.

De Syſtemate Civitatum.

SUMMARIA.

I. *Deſcribitur ſyſtema.*

II. *Dividitur in duas ſpecies, & utraque explicatur.*

III. *Prima ſyſtematis ſpecies variis ex cauſis enaſci poteſt.*

IV. *Altera non niſi pacto, ùt plurimùm expreſſo, originem ſuam debet.*

V. *Cur plures civitates ad fœdus poſterioris generis plerumque decurrant?*

VI. *Materia, ex qua corpus ſyſtematicum coaleſcit, ſunt plures diverſæ civitates.*

VII. *Quomodò corpus ſyſtematicum à ſimplici fœderatorum ſocietate differat?*

VIII. *Negotia, quæ ad communem felicitatem, & conſervationem pertinent, communi etiam conſilio, & conſenſu tractanda ſunt, ubi tamen pluralitas votorum non præponderat, niſi idipſum in fœdere fuerit expreſſum.*

IX. *Reſe-*

IX. *Referuntur modi, quibus ſyſtema civitatum ex toto diſſolvitur.*
X. *Recenſentur modi, quibus ex parte tantùm diſſolvitur.*

I.

AFFinia civitatibus ſunt ſyſtemata civitatum, unde & à nonnullis *civitates compoſitæ* appellantur. Poteſt autem ſyſtema deſcribi, quòd ſit *corpus morale plurium civitatum vinculo tam arcto inter ſe connexarum, ut, licèt ſingulæ ſummum Imperium retineant, figuram tamen, & ſpeciem unius civitatis præſeferant.*

II.

Dividitur in duas ſpecies. Prima eſt, ſi plures diſtinctæ civitates unum, & eundem habeant Regem; quamvis enim monſtroſum foret, ſi plura corpora naturalia unum duntaxat caput haberent, abſurdum tamen non eſt, ut una, eademque perſona plurium, ac diſtinctorum corporum moralium caput exiſtat, cùm unus homo gubernandis pluribus Regnis ſufficere poſſit. Altera eſt, ſi plures civitates fœdere perpetuo in unum quaſi corpus compingantur, ita ut ſingulæ quidem ſummum Imperium retineant, ea tamen negotia, ex quibus omnium ſociorum ſalus conjunctim dependet, nonniſi communi conſilio, ac conſenſu tractare poſſint. Huc pertinent Cantónes Helvetici, & ſeptem Provinciæ confœderatæ Belgicæ.

III.

Syſtema prioris generis variis ex cauſis enaſci poteſt, ùt primò ex electione, ſi populi ſuffragiis is in Regem eligatur, qui jam antè Regnum aliquod poſſidet, vel ſi fœdere perpetuo unum Regnum alteri ita conjunctum ſit, ut, qui ab uno populo in Regem eligitur, hocipſo etiam Rex ſit alterius populi, velut Regnum Italiæ conjunctum eſt Regno Germaniæ, qui enim in Regem Germaniæ eligitur, hocipſo ſimul etiam Rex eſt Italiæ, licèt hæc duo Regna non coaluerint in unam Rempublicam, ſed diſtincta, & ſeparata Regna maneant. Secundò oritur ex ſucceſſione, ſi Regem Lex ſucceſſoria ſimul vocet ad aliud Regnum, vel aliquem, qui Regnum nondum habet, vocet ad plura Regna, uti fit, ſi fœmina, ad quam jure ſucceſſionis Regnum devolutum eſt, nubat alicui Regi, nam poſt

Paren-

Parentum mortem eorum ſoboles ad utrumque Regnum vocatur, niſi fortè diverſus ſuccedendi ordo in uno, & altero Regno receptus conjunctionem impediat; nam ſi e. g. in uno Regno obtineat ſucceſſio linealis Agnatica, in altero verò Cognatica, & ex tali matrimonio non niſi filia naſcatur, hæc quidem in Regno lineali Cognatico ſuccedet, alterum verò ad agnatum maſculum defuncti Regis devolvetur. Tertiò conſurgit hoc ſyſtema titulo belli, ſi Rex aliquis liberâ populi voluntate conſtitutus armis ſibi ſubjiciat alium populum proprio nomine, ac periculo, & propriis ſumptibus, non nomine, aut ſumptibus populi, cui præeſt. Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 5. §. 17.*

IV.

Syſtema verò poſterioris generis non niſi pacto originem ſuam debet, & quidem ùt plurimùm expreſſo, poteſt tamen pacto etiam tacito coaleſcere, ſi nimirum plures Provinciæ eidem Capiti ſubjectæ paulatim in plenam libertatem ſeſe vindicent, ita tamen, ut ſingulæ ſuam habeant αὐτονομίαν, ea autem, quæ ad communem ipſarum felicitatem, & conſervationem pertinent, non niſi communi conſilio, & conſenſu tractent, quo caſu is, qui Rex erat, ſummam poteſtatem habere deſinit, licèt eidem quædam ex veteri ſtatu Reliquiæ ſint relictæ, & hujus corporis ſyſtematici Dux tantùm ſit. Sunt, qui hujus rei exemplum ponunt in Imperio noſtro Romano-Germanico. At hi vel pernicioſè errant, vel turpiter adulantur, vel denique minùs peritos malitioſè decipere conantur. Præſtant ſtatus omnes Imperatori non tantùm juramentum fidelitatis, ſed & ſubjectionis: ergò eidem vinculo ſubjectionis, & non nexu duntaxat ſyſtematico cohærent, & devincti ſunt. Conniveri hæc poſſent, ſi ab exteris vel ex innato odio, vel ex imperitia proferrentur, quòd verò quidam ex ipſis civibus Imperii talia effutire auſint, intolerabile eſt, & publicam meretur reprehenſionem, cùm non niſi eò tendant, ut ſtatus omne erga Imperatorem obſequium exuant.

V.

Ad fœdus hoc poſterioris generis plures civitates plerumque ideò decurrunt, quia depellendo communi hoſti ſingulæ ſufficientes

vires non habent, interim tamen Majeſtatis illecebrâ ita faſcinantur, ut hanc dimittere inglorium cenſeant, cùm abjecti animi ſit, ex ſtatu libertatis in ſtatum ſubjectionis, & ſervitutis publicæ, niſi extrema ad hoc cogat neceſſitas, ſe conjicere, & tanto ſplendore, ac dignitate, quam Majeſtas confert, ſeſe ſpoliare, fœdere autem hoc ſyſtematico & ſecuritati publicæ, & ſummæ ſimul dignitati in perpetuum proſpicitur.

VI.

Materia, ex qua corpus ſyſtematicum coaleſcit, ſunt plures diverſæ civitates, ex quarum conjunctione ſyſtema enaſcitur. Poſſunt autem duæ, pluréſve civitates non uno tantùm modo inter ſe conjungi. Primò, ut ex illis una fiat civitas, quo caſu, ùt ſuo loco dictum eſt, vel utraque perit, & nova omninò civitas producitur, vel una quidem manet, altera autem perit, & illius fit acceſſio, neutro caſu conſurgit ſyſtema. Secundò inter ſe conjungi poſſunt ita, ut quælibet eadem maneat civitas, ùt antè fuit, & hæc conjunctio vel fit propter certam, vel propter indefinitam utilitatem communem. Illo caſu conſurgit ſimplex fœderatorum ſocietas: hoc autem caſu naſcitur ſyſtema civitatum.

VII.

Forma corporis ſyſtematici conſiſtit in differentia ſpecificâ, qua à ſimplici fœderatorum ſocietate diſtinguitur, quæ, ùt modò diximus, in eo ſtat, quòd fœdus ſyſtematicum indefinitæ utilitatis communis gratiâ, alia autem fœdera propter certam, ac determinatam tantùm utilitatem fiant. Deinde fœdera alia non eo fine contrahuntur, ut plures civitates unam velut repræſentent: Syſtematicum verò eo fine pangitur, ut obtinendæ communis felicitatis gratiâ plures civitates in unum morale corpus coaleſcant. Denique fœdera ſyſtematica tendunt ad unionem perpetuam, alia autem fœdera, etſi quandoque in perpetuum contrahantur, plerumque tamen temporaria eſſe ſolent.

VIII.

Effectus ſtat in eo, quòd illa negotia, quæ ad communem felicitatem, & conſervationem pertinent, communi etiam conſilio, & conſen-

conſenſu tractanda ſint; quamvis autem aliàs in Conciliis, & cœtibus ſuffragiorum numerus prævalere ſoleat, in ſyſtemate tamen civitatum, ſi negotia tractentur, quæ communem omnium ſociorum felicitatem directè tangunt, pluralitas votorum, niſi idipſum in fœdere fuerit expreſſum, non præponderat, ſed neceſſe eſt, ut unanimis omnium, & ſingulorum conſenſus interveniat; cùm enim quælibet civitas ſummum Imperium retineat, una nihil juris obtinet in alteram, ac proinde nulla ſuffragiis aliarum civitatum invita voluntatem ſuam tenetur ſubmittere. Et ſanè hocipſo, quòd in fœdere expreſſum non ſit, quòd major pars prævalere debeat, civitates ſyſtematicæ velle cenſentur, ut negotia, quæ ſummam rerum tangunt, unanimi conſenſu omnium pertractentur, ita ut nulla ſuffragiis cœterarum invita aſſurgere teneatur; in dubio enim præſumptio pro minore ſtat obligatione, cùm in obſcuris minimum ſequi conveniat, præſertim in propoſito, ubi præſcindendo à fœdere nemo cogi poſſet, ut aliorum ſuffragiis ſuam ſubmittat voluntatem, quæ naturalis libertas non temerè credi debet fuiſſe abdicata. Si autem in fœdere expreſſum eſſet, ut partis majoris conſenſus prò conſenſu omnium habeatur, hauddubiè conventioni ſtandum erit, adeò ut cœteræ civitates reluctantem, & pertinacem vel mediis, quæ in naturali libertate viventibus competunt, ad hoc compellere, vel, ſi malint, ſocietate ſuâ penitus excludere poſſint. Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 5.* §. 20.

IX.

Contraria ſunt modi, quibus ſyſtema civitatum iterum diſſolvitur. Diſſolvitur autem vel ex toto, vel ex parte. Ex toto vel ſummo Imperio penes ſingulas civitates remanente, vel non remanente. Remanente penes ſingulas ſummo Imperio diſſolvitur ſyſtema primò, ſi communi conſenſu ſive expreſſo, ſive tacito à fœdere ſyſtematico recedant. Secundò, ſi bello cum extero infeliciter geſto victor ſingulis civitatibus ſuam ἀυτονομίαν imperet, ùt quondam Romani Achæis fecère. Non remanente penes ſingulas ſummo Imperio diſſolvitur ſyſtema itidem duobus modis. Primò, ſi omnes civitates unitæ jure belli alicujus exteri poteſtati ſubjiciantur. Secundò, ſi in perfectam civitatem coaleſcant, fortè quòd omnes ſocii

ſummo Imperio unius concilii, aut hominis ſe ultrò ſubjiciant, aut una civitas potentiâ præpollens reliquas in provinciarum conditionem redigat, quod eo plerumque caſu accidere ſolet, quo imbecilliores validiori vi fœderis aliquam permanentem prælationem deferre tenentur; ferè enim contingit, ut, qui ſuperior eſt in fœdere, ſi is potentiâ multùm antecellat, paulatim verum Imperium uſurpet in ſocios, ita ut ſpecie quidem *fœdus* ſit, re autem *precaria libertas*, ùt Lycortas Achæorum Prætor queſtus eſt apud Liv. *Lib. 39. Cap. 37.* Quòd ſi jam patientia acceſſerit, uſurpatio tandem in jus tranſibit.

X.

Ex parte diſſolvitur ſyſtema primò, ſi una fortè civitas, conniventibus cœteris, ſe ſeparet, & ea negotia, quæ aliàs communi conſilio tractanda forent, ſeorſim adminiſtret, quod tum ferè contingere ſolet, ſi una civitas plus utilitatis ex ſeperatione ſperet, quàm ex conjunctione cœteri autem ſocii eandem ſibi magìs oneri, quàm ſubſidio eſſe judicent. Secundò, ſi una ob violatas fœderis Leges ſocietate excludatur; ea enim fœderum natura eſt, ut, ſi una pars fœdus violaverit, pars altera ab eo diſcedere poſſit, cùm ſingula fœderis capita vim conditionis habeant. Grot. *Lib. 2. Cap. 15. §. 15.* Tertiò, ſi una cum cœteris bellum inteſtinum gerat, niſi cum pace fœderis Leges iterum renoventur; bellum enim abrumpit amicitiam, ſine qua fœdus ſyſtematicum conſiſtere haud poteſt. Quartò, ſi una, vel altera ſociarum civitatum ab hoſte fuerit occupata, nec enim victor ex vi fœderis, quo civitas devicta reliquis juncta erat, in ſocietatem ſuccedit, ſed novâ omninò conventione opus eſt, ut in locum victæ civitatis de fœdere participet, prout quondam Philippus decreto Amphyctionum in eorum conſeſſum loco Phocenſium adſcitus fuerat. Diodor. Sicul. *Lib. 16. Cap. 61.* Quamvis enim fœdus ſyſtematicum reale ſit, fœdera autem realia non exſpirent, tametſi Reipublicæ ſtatus mutatus ſit, cùm mutato licèt capite idem maneat corpus. Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 16. §. 16. num. 1.* ſi tamen una ſociarum civitatum vi bellicâ ſub jugum fuerit redacta, fœdus ſyſtematicum expiràſſe cenſetur, quippe quod initum eſt inter civitates ùt tales, cui conſequens eſt, ut fœdere

excidat,

excidat, quæ civitas eſſe deſiit. Et licèt fortè in fœdere cautum ſit, ut ob mutationem Reipublicæ nulla civitatum fœdere excidat, hoc tamen de tali mutatione intelligendum eſſe videtur, quæ ultroneo fit populi conſenſu; qui enim unam fœderatarum civitatum armis invadit, totius corporis ſyſtematici hoſtis eſſe cenſetur. Præſumi autem non poteſt, quòd reliquæ civitates ſe obſtringere voluerint ad continuandam cùm hoſte communi ſocietatem, ſi is fortè vi bellicâ unam earum occupaverit, præſertim cùm in tali rerum eventu cœterarum plerumque non ampliùs interſit, ut continuetur, ſed earum rationes potiùs exigant, ut non continuetur. Jung. Puffendorf. *cit. Cap.* 5. §. 21.

PARS SECUNDA.

DIximus ſuprà cauſam formalem civitatis eſſe ſummum Imperium, ſine quo multitudo hominum, etiam pactionis vinculo conſociata, civitas non eſt, de quo jam pleniùs nobis diſſerendum erit. Ut autem ordinatè procedamus, agemus in hac ſecundâ parte de ſummo Imperio in communi, in tertia verò potiſſima ſummæ poteſtatis jura in ſpecie exequemur. Sit igitur

CAPUT UNICUM.
De ſummo Imperio in communi.

§. I.
De Etymologia, Homonymia, Synonymia, Definitione, ac Diviſione ſummi Imperii.

SUMMARIA.

I. *Imperium ab imperando dictum vel ſummum eſt, vel ſubalternum; ſummum porro vel familiare, vel civile, quod ultimum variis quidem nominibus, jam autem paſſim* Majeſtas *appellatur.*

 II. *Unde*

II. *Unde dicta ſit Majeſtas?*
III. *Refertur varia acceptio Majeſtatis.*
IV. *Definitur communiter, quòd ſit ſumma in civitatem poteſtas.*
V. *Quænam poteſtas dicatur ſumma?*
VI. *Dividitur primò in abſolutam, & limitatam.*
VII. *Secundò in patrimonialem, & non patrimonialem.*
VIII. *Tertiò in civilem, & herilem.*
IX. *Dividitur quartò à quibusdam in realem & perſonalem, quæ tamen diviſio rejicitur.*

I.

IMperium deſcendit ab imperando, & vel ſummum eſt, vel ſubalternum: ſummum porro vel familiare, vel civile. Familiare dicitur, quod paterfamilias extra Rempublicam vivens habet in ſuam familiam: civile verò, quod competit in cœtum perfectum, ſeu civitatem, & hoc per excellentiam ſummum dicitur Imperium. Vocatur etiam quandoque *ſummum rerum judicium.* Ita N. 1. Terrentius Eques Romanus apud Tacit. *Lib. 6. Annal. Cap. 8. num. 5.* ad Tiberium ait: *Tibi ſummum rerum judicium Dii dedêre, nobis obſequii gloria relicta eſt.* Item *rerum ſumma, arbitrium rerum omnium, ſumma poteſtas, vis, aut jus imperii,* etiam paſſim *Majeſtas,* quæ vocabula & nos in poſterum promiſcuè uſurpabimus.

II.

Majeſtatem autem vulgò quaſi *majorem ſtatum* dictam eſſe volunt, non quòd vocem Majeſtatis ex τὸ major, & τὸ ſtatus compoſitam eſſe credant, ſed ut alluſione quâdam etymologicâ oſtenderent rei, & vocis convenientiam, cujusmodi alluſiva derivandi ratio Authoribus omnibus admodùm familiaris eſt; *in jocis,* inquit Arnold. Vinn. *ad Princ. Inſt. de Teſtam. ordin. num. 1. venuſtas delectat, in rebus ſeriis etiam utilitate ſuâ, quam in re declaranda habet, commendabilis.* Veram hujus nominis originem Ziegler *de Jurib. Majeſt. Lib. 1. Cap. 1. num. 3.* deducit à comparativo *majus,* terminationem ſubſtantivi per extenſionem recipiente, ita ut idem ſit, ac *Majeſtas.*

III. Signi-

III.

Significat autem hoc vocabulum in genere amplitudinem, dignitatem, ſplendorem externum, vel decorem. Ita Cicer. *Lib. 2. de Orato.* Majeſtatem deſcripſit, quòd ſit *amplitudo, ac dignitas civitatis.* Item Tacit. *Lib. 3. Annal. Cap. 3. num. 1.* Tiberium, atque Auguſtum publico abſtinuiſſe ait, *inferius Majeſtate ſuâ ratos, ſi palam lamentarentur.* Et *Lib. 1. Cap. 47. num. 3.* ſcribit, *eundem Tiberium cenſuiſſe, per filios pariter adiri utrumq; exercitum Majeſtate ſalvâ, cui major è longinquo reverentia.* Utroque hoc loco appellatione *Majeſtatis* intelligitur dignitas, quæ ab Imperio ſummo emanat. Eodem ſenſu vox Majeſtatis accipitur *in L. 7. §. 1. ff. de captiv. & poſtlin. reverſ.* ubi mentio fit illius fœderis inæqualis, quo comprehenſum eſt, ut unus populus alterius populi Majeſtatem comiter conſervaret, velut in fœdere Ætolorum cum Romanis cautum erat. Liv. *Lib. 38. Cap. 11.* quandoque dignitatem etiam inferiorem deſignat, ut *in L. penult. ff. de J. & J.* alibi denotat authoritatem, *ut in L. 9. ff. de jurisdict.* Denique haud raro hoc vocabulo ſplendor externus, aut decor ſignificatur, unde Majeſtas loci. Liv. *Lib. 1. Cap. 53.* Majeſtas domûs, oris, vultûs, & ſimilia. In ſpecie autem vox Majeſtatis deſignat poteſtatem civilem, quæ in ſuo genere, ac ordine aliam ſuperiorem non agnoſcit, quæ acceptio hujus loci eſt, & in hoc ſenſu

IV.

Definitur communiter, quòd ſit *ſumma in civitatem poteſtas.* Vox poteſtatis genus eſt, quia latiùs patet, quàm vocabulum Majeſtatis, cùm & extra, & intra civitatem poteſtates occurrant à Majeſtate tamen alienæ, velut ſunt poteſtas patria, dominica, maritalis: Cœtera verò continent differentiam ſpecificam; nam per τὸ ſumma excluditur poteſtas Magiſtratuum, item parentum, & dominorum in civitate exiſtentium, quorum poteſtas ſuprema non eſt, ſed ſuperiori poteſtati civili ſubjecta, per hoc autem, quòd competat in civitatem, removetur poteſtas patrisfamilias extra Rempublicam viventis; tametſi enim is in familiam ſuam obtineat poteſtatem in ordine ſuo ſupremam, Majeſtate tamen non præfulget, quia famili-

am

am tantùm, non civitatem moderatur; licèt fieri poſſit, ut poteſtas patrisfamilias extra Rempublicam viventis ſucceſſu temporis, aucto liberorum numero, ac in eam multitudinem diffuſo, quæ ad perfectam communitatem ſufficiat, in Majeſtatem effloreſcat.

V.

Dicitur autem poteſtas ſumma, cujus actus non poſſunt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi, ſeu, quod in idem recidit, quæ altiori poteſtati ejusdem ordinis, & lineæ ſubjecta haud eſt. Unde primò ſummitati poteſtatis civilis non officit, quòd illa per ſe pendeat ab infinitâ poteſtate Dei, quia ſaltem in ſuo genere, ac ordine ſuperiorem aliam non agnoſcit. Deinde nec obeſt, quòd illa ſubſit poteſtati ſpirituali ſummi Pontificis, cùm poteſtas ſpiritualis alterius planè ſit generis, ac ordinis, eique ſuprema poteſtas temporalis in ordine ad illa tantùm ſubjaceat, quæ ſpirituale concernunt Regimen animarum. Poſtremò nec nocet, quòd ſucceſſor actus anteceſſoris irritos facere, ac Leges e. g. ab eo latas revocare poſſit, quia ſucceſſor eandem poteſtatem habet, quam habuit anteceſſor: uti ergo ſummitatem poteſtatis non deſtruit, quòd hic voluntatem ſuam mutare, ac, quæ ſtatuit, iterum revocare queat, ita nec eandem tollit, quòd ſucceſſor ea, quæ ab anteceſſore ſtatuta ſunt, immutare valeat. Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 7. num. 1.*

VI.

Dividitur ſumma poteſtas I. in abſolutam, & limitatam. Abſolutam voco, cujus liberum exercitium nullâ conventione, aut conditione circumſcriptum eſt. Limitatam verò, cujus liberum exercitium aliquâ conventione, aut conditione eſt circumſcriptum. Sic licèt Auguſtiſſimo Imperatori noſtro integra competat Majeſtas, nec ſtatus Imperii, ut perperam haud pauci contendunt, in conſortium ejusdem aſſumpti ſint, non tamen Eidem competit poteſtas abſoluta, ſed quoad modum exercendi limitata, quia jura quædam ſummi Imperii vi Capitulationis non aliter exercere poteſt, quàm cum conſenſu vel omnium Imperii Ordinum, vel ſaltem Electorum. Interim licèt aliquis habeat poteſtatem abſolutam, non tamen propterea omnia, quæcunque libent, facere poteſt, ſed nihilo

hilo ſeciùs juris naturalis, & divini vinculis adſtrictus manet, ac proinde toto cœlo aberrant, qui poteſtatem abſolutam adulatoriâ linguâ exlegem eſſe aſſerunt, ita ut quidquid ejusmodi Reges agant, id fas, juſtúmque eſſe putetur, velut Anaxarchus ad Alexandrum ob Clyti necem dolentem dicebat, prout ex Plutarch. refert Puſfendorf. *Lib.7. Cap.6.* §.*7.*

VII.

Dividitur II. in patrimonialem, & non patrimonialem. Patrimonialis dicitur, quæ habetur pleno, & abſoluto jure proprietatis. Non patrimonialis verò, quæ non exiſtit in pleno, & abſoluto jure proprietatis; nam etiam ſummum Imperium objectum eſt juris proprietatis, qui enim ſummam Reipublicæ poteſtatem habet, eandem poſſidet ut proprium ſuum bonum, ita ut alios obligatos habeat, ne in uſu, & exercitio ſummæ poteſtatis eundem impediant, ſecùs eidem injuriam inferunt, & contra jus ipſius rigoroſum peccant. Sic populus in ſtatu populari ſummam poteſtatem habet pleno, & abſoluto jure proprietatis; uti enim homo liber plenus, & abſolutus dominus eſt libertatis ſuæ, ita ut de eâ pro lubitu diſponere poſſit, puta eam vendendo, in ſolutum dando &c. Modò juſtam habeat cauſam, aliàs enim prodigalitas foret libertatis, & quidem tantò magis improba, quantò libertas, quæ eſt vita quædam civilis, æſtimabilior eſt præ aliis fortunæ bonis, ita & populus ſui júris plenus, & abſolutus dominus eſt libertatis ſuæ civilis, adeò ut, ſi velit, eam abdicare, & regendi ſui jus pro lubitu in unum, aut paucos transferre poſſit. Sic etiam Reges quidam ſummum Imperium pleno, & abſoluto dominii jure poſſident, velut qui juſto bello illud quæſiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis majoris mali vitandi cauſâ ita ſeſe dedidit, ut nihil exciperetur. Illi verò Reges, qui primi eliguntur, & qui electis legitimo ordine ſuccedunt, ſummum Imperium non habent pleno, & abſoluto jure proprietatis, ſed, ut Grot. *Lib.1. Cap.3.* §.*11. num.1.* loquitur, *jure uſufructuario*, quæ tamen verba, niſi rectè explicentur, ſeditionibus viam ſternere poſſunt; Si enim Rex uſumfructum tantùm Imperii haberet, tunc ejus proprietatem non haberet, cùm uſusfructus ſit jus alienis rebus utendi, fruendi: eſſet ergo proprietas penes populum,

 quo

quo admiſſo difficile haud foret, ſub juris, & æquitatis ſpecie Regi Imperium eripere, quaſi eo fuiſſet abuſus, atque adeò uſusfructus cecidiſſet in commiſſum, uti rectè ad *cit. loc.* obſervant Ziegler. & Hennig. Igitur hactenus ſaltem ejusmodi Reges uſufructuario ſimiles ſunt, quòd, ſicut fructuarius rem in aliam formam mutare, aut eandem alienare nequit, ita nec illi circa intrinſecam Imperii ſtructuram, aut circa translationem in alium quidquam invito populo diſponere queant, ulterius autem non erit extendenda ejusmodi comparatio; quanquam longè tutius ſit, ſi ab hoc loquendi modo penitùs abſtineamus, & ſimpliciter tantùm dicamus, ejusmodi Reges non habere ſummum Imperium pleno, & abſoluto jure proprietatis.

VIII.

Dividitur ſumma poteſtas III. in civilem & herilem. Civilem voco, quæ primariò ad utilitatem ſubditorum exerceri debet, cujusmodi pleraque ſunt Imperia: Herilem verò, quæ primariò ad commodum Imperantis, & ſecundariò tantùm ad utilitatem ſubditorum exerceri poteſt, quia ſcilicet utilitas Imperantis ſine utilitate ſubditorum haberi non poteſt. Videantur ea, quæ ſuprà *Part. 1. Cap. 2. §. 3. num. 8.* diximus.

IX.

Dividitur IV. à quibusdam in realem, & perſonalem. Illam populo: Hanc Regi competere aſſerunt. At hæc diviſio, in quocunque demum ſenſu accipiatur, manifeſtò falſa eſt; vel enim utramque poteſtatem, ſeu Majeſtatem in unâ, & eâdem civitate dari contendunt, vel in diverſis, & ſeparatis. Si in unâ, & eâdem, vel contendunt, utramque dari ſimul, vel ſucceſſivè. Si ſimul, vel hoc duntaxat volunt, quòd Majeſtas, quæ in Rege eſt ut in capite, in populo maneat ut in toto, cujus pars eſt caput, vel quòd præter Majeſtatem, quæ in capite eſt, detur alia diſtincta, quæ ſit in populo. Si prius, non datur duplex Majeſtas, ſed una tantùm, cujus ſubjectum proprium, & immediatum eſt Rex, commune verò, & mediatum populus. Sin autem poſterius dicant, tum vel una Majeſtas alteri ſubjecta erit, vel non. Si unam alteri ſubjectam

eſſe

eſſe aſſerant, non datur duplex Majeſtas, quia illa, quæ alteri ſubjecta eſt, Majeſtas non erit, cùm poteſtatem ſuperiorem ejusdem generis, ac ordinis revereri cogatur. Si verò neutram alteri ſubjectam eſſe dicant, quæro, utrùm populus omnem poteſtatem, quam habuit, in Regem transtulerit, nullâ ejus parte retentâ, vel non. Si prius, populus vivente Rege Majeſtatem non habet, ſed ſolus Rex. Si poſterius, Respublica non ampliùs ſimplex, ſed mixta erit, qui autem duplicem Majeſtatem, unam realem, alteram perſonalem eodem tempore in unâ, & eâdem civitate dari aſſerunt, de ſimplice, non mixtâ loquuntur. Deinde quamvis populus non omnia Majeſtatis jura in Regem transtulerit, ſed quædam ſibi reſervaverit, ex eo tamen haud ſequitur, duplicem dari Majeſtatem, cùm ex juribus penes Regem, & populum exiſtentibus non niſi una numero conſurgat Majeſtas. Quòd ſi verò utramque Majeſtatem ſaltem ſucceſſivè in unâ, & eâdem civitate dari exiſtiment, iterum falluntur; tametſi enim Majeſtas ſuâpte origine penes populum reſideat, & Rege ſi Regnum electivum ſit, extincto, aut, ſi ſucceſſorium, Regiâ familiâ deficiente ad populum revertatur, exinde tamen haud quaquam ſequitur, duas dari diverſas ſpecies Majeſtatis, cùm Majeſtas, quæ ab initio in populo extitit, eadem ſit cum Majeſtate, quæ jam exiſtit in Rege, ſicut ſi univerſitas rem quandam in ſuis bonis exiſtentem in certam perſonam alienet, dominium, quod penes univerſitatem priùs extitit, idem eſt cum eo, quod jam penes perſonam particularem exiſtit. Si denique utramque Majeſtatem in ſeparatis, & diſtinctis civitatibus, pro diverſo Regiminis ſtatu, qui in unâ, & alterâ eſt, dari arbitrentur, ne ſic quidem hæc diviſio tolerari poteſt, cùm ſola diverſitas ſubjecti inhæſionis non inducat diverſam ſpeciem, alioquin dicendum foret, dominium, quod obtinet univerſitas in res ſuas, ſpecie differre à dominio, quod una perſona particularis obtinet in bona ſua. Faceſſat ergo hæc diviſio Majeſtatis in realem, & perſonalem, ut quæ tum principiis philoſophicis, tum politicis, tum tranquillitati publicæ, tum ſecuritati Regum adverſa eſt, & à plerisque jam dudum exploſa.

§. II.

De Origine Majeſtatis ſeu ſummæ Poteſtatis civilis.

SUMMARIA.

I. *Certum quidem eſt, Majeſtatem procedere à Deo, dubitatur autem, utrùm proximè, & immediatè procedat à Deo, vel tantùm remotè, & mediatè?*

II. *Poteſtas duobus modis proximè procedit à Deo, ſcilicet vel tanquam ab authore naturæ, vel tanquam à libero collatore.*

III. *Majeſtas ſpectatur vel in ſe, & abſolutè, vel relatè, ſive ad ſubjectum ſummâ hac poteſtate inſtructum.*

IV. *Majeſtas in ſe, & abſolutè ſpectata non procedit proximè ab hominibus.*

V. *Nec à Deo tanquam libero collatore.*

VI. *Sed à Deo tanquam authore naturæ.*

VII. *Relatè autem conſiderata confertur proximè ab ipſâ communitate.*

VIII. *Refertur primum argumentum contrarium, & ſolvitur.*

IX. *Reſpondetur ad ſecundum.*

X. *Refellitur tertium.*

XI. *Proſternitur quartum.*

I.

QUanquam certùm, & indubitatum ſit, quòd ſumma poteſtas proveniat à Deo; velut paſſim teſtantur ſacræ paginæ, ſic enim *Sapient. 6.* dicitur: *Audite Reges, & intelligite &c. quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo.* Item *Proverb. 8. verſ. 15. & ſeqq.* divina ſapientia de ſe pronunciat: *Per me Reges regnant, & Legum conditores juſta decernunt: Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Et Doctor Gentium ad Romanos *Cap. 13. non eſt poteſtas* inquit, *niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit &c.* Non tamen æquè expeditum eſt, utrùm proximè, & immediatè procedat à Deo, ita ut ſola voluntas divina ſit radix, & cauſa pro-

xima poteſtatis civilis, vel utrùm ſaltem remotè, & mediatè à Deo proveniat.

II.

Poteſt autem duobus modis poteſtas proximè à Deo procedere, ſcilicet vel tanquam ab Authore naturæ, vel tanquam à libero collatore. Tanquam ab authore naturæ procedit, ſi producatur creatura, quæ vi naturæ ſuæ poteſtatem exigit, ſeu, ſi poteſtas neceſſariò connexa ſit cum naturâ rei à Deo conditæ. Tanquam à libero collatore verò, ſi producatur creatura, cui Deus ex nudo motivo liberalitatis ſuæ poteſtatem tribuit, ſeu, ſi poteſtas non neceſſariò connexa ſit cum natura rei creatæ, ſed ex merâ liberalitate divinâ naturæ, vel perſonæ ſit ſuperaddita. Sic poteſtas parentum in liberos alienæ opis adhuc indigos immediatè procedit à Deo, tanquam authore naturæ, quia ſuppoſitâ generatione neceſſariò connexa eſt cum natura rationali à Deo conditâ. Contra poteſtas patrandi miracula immediatè provenit à Deo, tanquam libero collatore, quia non neceſſariò connexa eſt cum naturâ ullius creaturæ, ſed Deus illam confert, cui vult, ac proinde ex merâ Numinis liberalitate proficiſcitur. P. Suarez *in Defenſ. Fidei Cathol. adverſ. Anglican. Sect. error. Lib. 3. Cap. 2. num. 3.* & poſt eum Dn. Gletle *in Select. Jur. Publ. Cap. 3. num. 10.*

III.

Deinde ſumma poteſtas ſpectari poteſt vel in ſe, & abſolutè, vel relatè. In ſe, & abſolutè ſpectatur, ſi præciſè conſideretur tanquam facultas moralis civitatem gubernandi. Relatè verò, ſi conſideretur cum reſpectu ad ſubjectum hac facultate inſtructum, ac proinde quatenus reſidet penes unum, vel penes paucos. Quibus præmiſſis.

IV.

Dico primò, ſi ſpectetur abſolutè, ac in ſe, non deſcendit proximè ab hominibus; vel enim deſcenderet ab omnibus, & ſingulis, qui in civitatem coeunt, vel à ſingulis ſaltem patribusfamilias. Neutrum poteſt dici; non primùm, quia ſinguli poteſtatem civilem non

habent, nec in ſe, nec in alios, utpote ex naturâ rei æquales; nemo autem dat, quod non habet. Non etiam ſecundum, quia ſinguli patresfamilias in ſuam familiam non niſi œconomicam obtinent poteſtatem, ac per conſequens poteſtatem politicam, quam ipſi non habent, civitati conferre nequeunt. Deinde ſumma poteſtas talia continet jura, quæ tranſcendere videntur naturam humanam ſecundùm ſe ſpectatam, veluti eſt poteſtas obligandi in conſcientia, item facinoroſos etiam ultimo afficiendi ſupplicio, quæ ſanè jura ab hominibus, qui conſcientiarum, vitæ, ac mortis dominium non habent, conferri haud poſſunt.

V.

Dico ſecundò, ſumma poteſtas in ſe, & abſolutè ſpectata non procedit à Deo, tanquam libero collatore, aliàs enim non poſſet ſolâ naturali ratione de illâ conſtare, ſed opus eſſet revelatione divinâ, ut homines de illâ certi eſſe poſſent. Atqui, nullâ etiam interveniente revelatione, ex dictamine rationis naturalis agnoſcitur ſumma poteſtas in communitate perfecta, tanquam ad illius conſervationem omninò neceſſaria, cùm corpus politicum non poſſit conſervari ſine Regimine, ac proinde non poſſit eſſe deſtitutum poteſtate gubernativâ: Ergo &c.

VI.

Dico tertiò, poteſtas civilis in ſe, & abſolutè ſpectata procedit proximè à Deo, tanquam authore naturæ; nam, ut paulò antè oſtenſum eſt, non procedit proximè ab hominibus: Ergo procedit à Deo; non autem procedit à Deo, tanquam libero collatore, ergo procedit à Deo, tanquam authore naturæ. Certè Deus eſt author ſocietatis civilis, quia naturæ humanæ impreſſit appetitum ſocietatis civilis: Ergo hocipſo etiam eſt author poteſtatis civilis, quia naturali repugnat rationi, dari congregationem humanam per modum unius corporis politici unitam, & non habere aliquam poteſtatem communem, cui ſinguli de communitate parere teneantur, ac proinde ſumma poteſtas ſequitur naturam humanam, ut in unum corpus politicum congregatam, tanquam moralis quædam proprietas, utpote ad ejus conſervationem ſimpliciter neceſſaria. P.

Suarez

Suarez *de Legib. Lib. 3. Cap. 2. num. 4. & Cap. 3. num. 2. & 3.* Dn. Gletle *in Jurusprud. fundament. Tit. 2. Cap. 4. §. 3. num. 7.* Dn. P. Seybold *de Republ. Chriſt. Part. 12. Sect. 1. §. 4. num. 4. & ſeqq.*

VII.

Dico quartò, poteſtas civilis relatè conſiderata, ſeu quatenus reſidet penes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, ſed confertur ab ipſâ communitate; vel enim proximè procederet à Deo, tanquam libero collatore, vel tanquam authore naturæ. Neutrum poteſt dici; non primum, quia hujusmodi liberalis collatio ex ſacrâ ſcripturâ haud probatur; tametſi enim Reges poteſtatem ſuam dicantur habere à Deo, ex hoc tamen non neceſſariò ſequitur, quòd immediatè à Deo habeant. Non etiam ſecundum, quia ſumma poteſtas in ſe ſpectata non exigit ex naturâ rei reſidere penes unum, vel paucos: ergo quatenus reſidet penes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, tanquam authore naturæ. Certè poteſtas civilis, quatenus reſidet penes unum, vel paucos, non eſt determinatè neceſſaria ad conſervationem communitatis politicæ, quia illi conſtare poteſt ſua felicitas, ſive penes unum, ſive penes paucos, ſive denique penes totam communitatem poteſtas civilis reſideat: Ergo ratio naturalis non exigit determinatè, ut penes unum, vel paucos reſideat, ac per conſequens quatenus reſidet penes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, tanquam authore naturæ; ſed confertur ab ipſâ communitate, quam tanquam proprietas quædam moralis ſequitur. P. Suarez *in Defenſ. Fidei Cathol. ſuprà Cit. Lib. 3. Cap. 2. num. 7. & ſeqq.* Dn. Gletle *in Select. Jur. Publ. Cap. 3. num. 15.* ſupereſt, ut jam argumenta diſſentientium diluamus, quorum

VIII.

Primum eſt hoc: ſi poteſtas civilis relatè conſiderata non procedit proximè à Deo, ſed immediatè confertur ab ipſâ communitate, tunc poterit populus Regi, aut Optimatibus, quibus ſe ſubjecit, ſemper abrogare Imperium, & ſe in priorem libertatem civilem vindicare, quandocunque ipſi videbitur, qui enim alterum conſtituit, ſuperior eſt eo, quem conſtituit, ac per conſequens ſi populus Regem,

Regem, aut Optimates conſtituit, ſuperior erit Rege, aut Optimatibus, quos ſibi impoſuit. Atqui ſuperior poteſtatem inferiori collatam ſemper revocare poteſt: Ergo &c. At hoc argumentum non magni roboris eſt; qui enim alterum conſtituit, tum demum ſuperior eſt eo, quem conſtituit, ſi conſtitutionis effectus perpetuò pendeat à voluntate conſtituentis, ſecùs autem eſt, ſi conſtitutio ab initio quidem voluntatis ſit, poſtea verò effectum habeat neceſſitatis, ut in propoſito accidit; ſicut enim illi, qui ſe in privatam tradidit ſervitutem, arbitrio ſuo ſervitutis jugum, quod ſemel placuit, excutere, & ſe in priorem libertatem perſonalem vindicare haud licet, ita nec populo, qui ſe Regi, aut Optimatibus ſubjecit, excuſſo ſervitutis publicæ jugo, ſe in priorem libertatem civilem aſſerere permiſſum eſt. Unde rectè Agrippa Rex apud Joſephum in oratione ad Judæos, qui ex præpoſtero repetitæ libertatis ſtudio zelato dicti ſunt, ſic ait: *Intempeſtivum eſt nunc, libertatem concupiſcere. Olim, ne ea amitteretur, certatum oportuit; nam ſervitutis periculum facere durum eſt, & ne id ſubeatur, honeſta certatio. At qui ſemel ſubactus deficit, non libertatis amans dicendus eſt, ſed ſervus contumax.*

IX.

Secundum; ſi ſtatus popularis migret in Monarchicum, non priùs Regi confertur ſumma poteſtas, quàm populus jure ſuo ſe abdicaverit. Atqui eo momento, quo populus ſe jure ſuo abdicat is ſummam poteſtatem non ampliùs habet: Ergo non poteſt eandem Regi conferre. At etiam hoc argumentum vanum, ac futile eſt, ſufficit enim, quòd populus ſummam poteſtatem ante abdicationem habuerit, & quòd, niſi in Regem transferre vellet, eandem porro retineret, aliàs dicendum foret, quòd etiam ille, qui rem ſuam alienat, dominium non transferat in accipientem, quia eo momento, quo alienat, dominus ampliùs non eſt.

X.

Tertium deſumunt ex *1. Reg. Cap. 10. & 16.* ex quibus apparet, quòd Saulem, & Davidem ipſe Deus in Reges populi Iſraelitici elegerit: Ergo, *inquiunt*, Regiam poteſtatem non à populo, ſed im-

mediatè

mediatè à Deo acceperunt. At primò exinde inferri haud poteſt, quòd etiam cœteri Reges ſuam poteſtatem non à populo, ſed immediatè à Deo habeant, cùm exempla ſpecialia non inferant univerſalem regulam; ſed exceptiones ſint à regula. Certè *Deuteron. Cap. 17.* ſatis manifeſtè ſupponitur, eſſe in populo libero poteſtatem conſtituendi ſibi Regem, quem vult, ac proinde niſi Deus electionem perſonæ in Regem populi Iſraelitici conſtituendæ ſibi peculiariter reſervâſſet, prohibendo, ne alterius Gentis hominem faciat Regem, omnia in libero illius populi ſtetiſſent arbitrio. Deinde quamvis ex ſacrâ ſcripturâ certò conſtet, utriusque perſonam divino nutu, voluntate, ac revelatione fuiſſe in Regem deſignatam, ex eo tamen non neceſſariò ſequitur, Deum etiam immediatè illis Regiam contuliſſe poteſtatem, cùm hæc duo diverſa ſint, & ex uno non neceſſariò alterum colligatur; quemadmodum enim Deus interdum hominibus permittit deſignationem perſonæ, cui ipſe immediatè collaturus eſt poteſtatem, prout accidit in electione Summi Pontificis, ubi ſuffragiis Cardinalium perſona tantùm deſignatur, in quam poteſtas divinâ voluntate conſtituta tranſeat, ita è converſo Deus ſibi reſervare potuit deſignationem perſonæ, cui populus immediatè conferret poteſtatem, atque ita cum Saule, & Davide contigiſſe probabile eſſe videtur, quia *in Cit. Cap. 17. eligere* eum, qui futurus ſit Rex, & *conſtituere*, ſeu facere eum Regem, tanquam diſtincta ponuntur, & prius ſibi Deus reſervat, ſecundum autem populo relinquit. Non poterat autem illa conſtitutio Regis populo relicta aliud eſſe, quàm immediata Regiæ dignitatis, ac poteſtatis collatio; licèt enim Saul ante ſortes miſſas, & populi acclamationem unctus fuerit, iſta tamen unctio non fuit collatio poteſtatis, ſed certa promiſſio, & prædictio more prophetico futuri effectûs, & veluti præparatio quædam animi Saulis ad futuram dignitatem. Simili modo Samuel ſecretò unxit Davidem. *1. Reg. Cap. 16.* qui tamen per hanc unctionem non fuit Rex conſtitutus, ſed tantùm in ſucceſſorem Regni deſignatus, cùm poſt ſecretam illam unctionem Davidis Saul adhuc per multos annos Regnum pacificè poſſederit. Confer P. Suarez *in Defenſ. fidei &c. Lib. 3. Cap. 3. num. 5. & ſeqq.*

XI.

Quartum deducunt à ſummâ poteſtate ſpirituali, quæ, ut paulò antè diximus, non confertur Pontifici à communitate Chriſtianâ: Ergo, *inquiunt*, nec poteſtas civilis confertur Regibus à communitate politica. At magna in propoſito diſparitas eſt inter ſummam poteſtatem ſpiritualem, & civilem; Illa nunquam fuit in communitate totius Eccleſiæ, quia Chriſtus eandem non contulit Corpori Eccleſiæ, ſed ſoli ejus Capiti: Ergo nec eandem Pontifici conferre poteſt, ſed eum eligendo perſonam tantùm deſignat, in quam poteſtas divinâ voluntate conſtituta tranſeat. Poteſtas autem civilis ex naturâ rei eſt in ipſa communitate, quia eandem ſequitur tanquam moralis quædam proprietas, quam proinde vel retinere, vel in unum, aut paucos transferre poteſt. Ex quo porrò profluit, quòd poteſtas civilis Regi, aut Optimatibus initio vel major, vel minor conferri, & ſucceſſu temporis etiam mutari poſſit, quia ſcilicet determinationem ſuam voluntati communitatis refert in acceptis. Poteſtas autem ſpiritualis Pontificis etiam univerſali Eccleſiæ conſenſu nec augeri, nec minui poteſt, cùm totam determinationem ſuam recipiat ab inſtitutione divina, quam voluntas hominum fruſtrà attentat infringere. P. Suarez *ſuprà Cit. Cap. 3. num. 13.*

§. III.

De Modis, quibus ſummum Imperium voluntate regnantis expreſſâ, vel tacitâ in alios transfertur.

SUMMARIA.

I. *Quomodo populus ſummam poteſtatem transferre poſſit.*
II. *Regna patrimonialia à Regibus pro lubitu alienari queunt.*
III. *Regna autem electiva, hæreditaria, & linealia ſine conſenſu populi alienari haud poſſunt; imò ſi pars tantùm alienanda ſit, etiam hujus conſenſus neceſſarius eſt.*
IV. *Excipitur caſus neceſſitatis, & publicæ utilitatis, ubi pars etiam invita alienari, & alterius Imperio ſubjici poteſt.*

V. *Re-*

V. *Reſpondetur Grotio diſſentienti.*
VI. *Sub alienatione continetur etiam infeudatio.*
VII. *Item pignoris datio.*
VIII. *Quamvis Reges patrimonium publicum ſine conſenſu populi alienare haud poſſint, partem tamen ejus etiam inconſulto populo pignori obligare queunt.*
IX. *Porro ſub alienatione continetur etiam teſtamentum.*
X. *Item in dotem datio.*
XI. *Utrùm Regina ſaltem adminiſtrationem Regni ſine conſenſu populi Marito permittere poſſit.*
XII. *Quomodo ſummum Imperium tacitâ voluntate transferatur?*

I.

COgnitâ origine poteſtatis civilis ratio poſtulat, ut jam modos ſubnectamus, quibus ea ex poſt in alios transfertur; tametſi enim ex natura rei totam ſequatur communitatem, recta tamen ratio non præcipit, ut penes eandem permaneat. Transfertur autem vel eo, penes quem exiſtit, volente, vel invito. Voluntas eſt vel vera, vel præſumpta. Vera porro vel expreſſa, vel tacita, ſeu facto quodam declarata. Voluntate expreſſâ ſummum Imperium transfert vel liber populus, vel Rex. Populus ſummam poteſtatem transfert vel in unam perſonam ſimplicem, vel in paucos, vel etiam in alium populum liberum. In unam perſonam ſimplicem transfert vel ita, ut Rex eam pleno, & abſoluto proprietatis jure habeat, veluti ſi majoris mali vitandi cauſâ, ita ſe in unius ditionem dederit, ut nihil exciperetur, vel ut non tam pleno modo habeat, & hoc caſu porro vel ut Rege mortuo ad populum revertatur, uti fit in Regnis electivis, vel ut etiam ad poſteros ejus tranſeat, uti accidit in Regnis hæreditariis, & linealibus. In alium populum liberum transfert, ſi eidem ſe ſubjiciat, ſicut Campani neceſſitate ſubacti olim populo Romano ſe ſubjecerunt. Liv. *Lib. 7. Cap. 31.* Hoc tamen caſu non ampliùs per ſe manet civitas, ſed acceſſio fit alterius civitatis.

II.

Rex vel ſummum Imperium pleno, & abſoluto jure proprietatis tenet, ut accidit in Regnis patrimonialibus, vel non tam pleno

modo habet, ut ſit in Regnis electivis, hæreditariis, & linealibus. Regna patrimonialia ſolâ voluntate Regis, ſive tranſlato in alterum pleno, ſive directo, ſive utili tantùm dominio pro lubitu alienari poſſunt; nam Regna patrimonialia non minùs libero Regis arbitrio ſubjecta ſunt, quàm cœtera bona in patrimonio ejusdem exiſtentia. Uti igitur de reliquis bonis, quæ in pleno, & abſoluto ejusdem dominio exiſtunt, liberè diſponere poteſt, ita etiam de ejusmodi Regnis patrimonialibus liberrimam habet diſponendi facultatem. Sunt quidem, qui ne Regnum quidem patrimoniale à Rege alienari poſſe exiſtiment, eò quòd liberi homines non ſint in commercio. Sed malè; nam cùm Regnum patrimoniale alienatur, propriè loquendo non ipſi homines liberi alienantur, ſed jus perpetuum eos regendi, quà populus ſunt: Ergo ex eo, quòd liberi homines non ſint in commercio, perperam infertur, Regnum patrimoniale alienari non poſſe. Certè monumenta, utpote res religioſæ in commercio non ſunt, & tamen jus inferendi mortuum legari poteſt. *Lib. 14. Cod. de legat.* Ergo etiam, licèt homines liberi in commercio non ſint, jus tamen perpetuum eos regendi alienari poterit. Accedit, quòd liberi homines ſaltem de jure naturæ non abſolutè ſint extra commercium, cùm hoc jure quivis, tanquam dominus libertatis ſuæ, facultatem habeat ſe alienandi, & alteri tradendi in ſervitutem, prout veteres Germanos extremo, ac noviſſimo aleæ jactu de libertate contendiſſe, & victum voluntariam ſervitutem adiiſſe ſcribit Tacit. *de Morib. German. Cap. 24. num. 3. & 4.* Denique licèt in Regno etiam patrimoniali homines liberi ſint libertate perſonali, non tamen liberi ſunt libertate civili; uti enim libertas perſonalis dominium, ita civilis Regnum, ac aliam quamvis propriè dictam ditionem excludit: Ergo hactenus ſaltem, quatenus liberi non ſunt, in commercio exiſtunt, ac proinde Regnum patrimoniale omnino à Rege alienari poteſt, cùm hoc facto hactenus tantùm alienentur, quatenus liberi non ſunt, ſed Regi pleno jure ſubjecti, quæ publicâ ſubjectio ſervitus civilis appellari poteſt, uti & paſſim in ſacris literis ſubditi Regis ſervi vocantur. Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 12. num. 1. & ſeqq.* ubi multis allatis exemplis ſententiam hanc confirmat.

III.

Regna autem electiva, hæreditaria, & linealia ſine conſenſu populi alienari haud poſſunt, cùm ejusmodi Regna non pleno, & abſoluto dominii jure poſſideantur, ſed modum habendi ex voluntate populi accipiant. Imò ſi pars tantùm alienanda ſit, etiam illius conſenſus neceſſarius eſt, ſecùs alienatio etiam cum conſenſu populi ſub priſtino Rege manentis facta partem quidem ceſſam liberabit ab obligatione, quâ civitati ſuæ obſtricta erat, non etiam ſimul Imperium conferet ei, cui facta eſt, ac proinde talis pars ceſſa, ſi viribus ſuis confidat, ſe occupare volenti reſiſtere, & peculiarem deinceps, ſi velit, civitatem conſtituere poterit; qui enim initio in civitatem coeunt, aut ex poſt ultrò accedunt, ratione partium, quæ integrantes dicuntur, ſocietatem quandam contrahunt perpetuam, & immortalem, quæ non niſi conſenſu corporis, & ſingularum partium diſſolvi poteſt. Unde ſicut partes ſingulæ ſuo arbitrio à corpore recedere, & alterius Imperio ſe ſubjicere haud poſſunt, ita nec corpus ſuo arbitrio partes à ſe abſcindere, & alii in ditionem dare poterit. Aliter ſe res habet in alienatione partis territorii non habitatæ, aut deſertæ, quæ quò minùs à Rege, accedente populi conſenſu, alienari poſſit, nihil obſtat; territorium enim & totum, & ejus partes communia ſunt populi pro indiviſo, ac proinde ſub libero ejus arbitrio: Ergo nihil impedit, quò minùs talis pars territorii non habitata, aut deſerta ab eo, ſi liber ſit, vel ſi ſui juris non ſit, ſed ſub Rege exiſtat, ab hoc, accedente populi conſenſu, alienari poſſit, perinde ut à domino privato pars prædii alienari poteſt. Pars autem populi ex pacto, quo coeuntes in civitatem ratione partium integrantium ſe invicem obſtrinxerunt, jus quæſitum habet, ne invita alienetur, ac proinde alienationi contradicere poteſt, ita ut in libero ejus ſtet arbitrio, utrùm peculiarem deinceps civitatem conſtituere, vel prioris membrum porro manere velit. Ex quibus jam patet, cur in alienatione partis populi pars major non habeat rationem integri, uti habet in alienatione partis territorii non habitatæ, aut deſertæ. Grot. *Lib. 2. Cap. 6. §. 4. & 7.*

IV.

Planè in caſu neceſſitatis, & publicæ utilitatis pars etiam invita alienari, & alterius Imperio ſubjici poteſt; licèt enim coeuntes in civitatem ratione partium integrantium ſocietatem quandam contrahant perpetuam, & immortalem, & exinde ſingulæ partes jus quæſitum habeant, ne invitæ alienentur, & alterius ditioni ſubjiciantur, hoc tamen non aliter, quàm cum hac exceptione, niſi neceſſitas, aut publica civitatis utilitas exigat, ut pars aliqua à reliquo corpore avellatur, & alteri ſubjiciatur, procedere arbitror; & primò quidem mihi expeditum eſſe videtur, quòd corpus politicum in caſu neceſſitatis partem etiam invitam à ſe abſcindere poſſit; ſi enim pars ſe aliter ſervare non poſſit, illa à corpore ſe ſeparare poteſt: Ergo etiam, ſi corpus ſe aliter ſervare nequeat, illud partem à ſe abſcindere poterit, cùm eadem prorſus ſubſit ratio; uti enim tali parti, antequam in hanc civitatem coiret, liberum fuit, cui corpori ſe ſubjicere velit, ita & reliquis liberum fuit, utrùm hanc partem in ſocietatem recipere velint, vel non; ſicut ergo in caſu neceſſitatis parti ſua redit libertas, ita & reliquis priſtina redibit libertas, ac proinde non minùs partem à ſe abſcindere, quàm pars ſe ab illis ſeparare poterit. Et quamvis ante contractam ſocietatem corpus nondum fuerit quoad formam, fuit tamen quoad materiam, quod ſufficit; ſi enim ſingulæ partes, ex quibus jam conſtat civitas, ante contractam ſocietatem habuerunt libertatem, utrùm cum hac parte coaleſcere velint in unum corpus morale, & hæc libertas in caſu neceſſitatis ſingulis redit, ita ut ſocietatem cum hac parte contractam non teneantur porro continuare, ſed illam abrumpere poſſint, neceſſariò ſequitur, etiam univerſis id permiſſum eſſe, cùm univerſi conſtent ex ſingulis. Quòd autem in caſu neceſſitatis, & publicæ utilitatis pars etiam invita alienari, & alterius Imperio ſubjici poſſit, ex eo evincitur, quòd coeuntes, dum corpus civitatis conſtituere volunt, utique etiam velint ejus conſervationem, & incolumitatem: Ergo ſi conſervatio, aut incolumitas civitatis exigit, ut pars quædam alienetur, in talem alienationem omnes cenſentur conſentire, adeoque pars ex capite neceſſitatis, aut publicæ utilitatis alienanda poſtea ampliùs diſſentire non poteſt,

vel

vel licèt diſſentiat, alienationem tamen, & ejus effectum impedire nequit. Non diffiteor quidem, quòd illi, qui in civitatem coeunt, ſuæ incolumitatis cauſâ in unum corpus morale coaleſcant; at incolumitatem ſuam non volunt ut ſeparatam, aut ſecluſam ab incolumitate civitatis, ſed velut partem incolumitatis publicæ, adeò ut incolumitas civitatis, cui ſingulorum incolumitas incluſa eſt, ratio ſit, ſub quâ ſinguli ſuam incolumitatem volunt: Ergo incolumitatem civitatis volunt per prius, ſuam autem non niſi per poſterius, adeóque ſi incolumitas civitatis exigat, ut pars quædam alienetur, ſinguli volunt, ut alienari poſſit, tametſi alienatio hæc parti alienandæ fortè utilis non ſit, aliàs enim ſi ſinguli etiam cum detrimento incolumitatis publicæ ſuam incolumitatem vellent, tunc incolumitatem civitatis jam non ampliùs vellent per prius, & ſuam per poſterius, ſed vice verſâ ſuam vellent per prius, publicam autem non niſi per poſterius. Accedit, quòd ante omnem caſum particularem ſingulis optabilius ſit, ut in caſu neceſſitatis, aut publicæ utilitatis pars quædam etiam invita alienari poſſit, quàm ut non poſſit, quia ſingulis optabilius eſt, ut corpori potiùs ſua conſtet incolumitas, quàm parti cum detrimento incolumitatis publicæ; imò in caſu neceſſitatis nequidem parti ſua conſtaret incolumitas, quia pereunte toto periret & ipſa: Ergo omnes cenſentur conſentire, ut in caſu neceſſitatis, aut publicæ utilitatis pars etiam invita alienari, & alterius Imperio ſubjici poſſit, præſertim cùm eò tempore, quo in civitatem coaleſcunt, ſpes, & metus reſpectu omnium æqualis ſit. Habet igitur ex primævâ in civitatem coeuntium voluntate corpus morale jus, ut in caſu neceſſitatis, aut publicæ utilitatis partem etiam invitam à ſe abſcindere, & alteri in ditionem dare poſſit. Diſſentit Grot. *Cit. Cap. 6. §. 6. & 8.* cum quo

V.

Dices primò. Si pars ſe aliter ſervare non poſſit, neceſſitas reducit rem ad jus naturæ, ſi autem corpus ſe aliter ſervare non poſſit, neceſſitas non poteſt rem reducere ad jus naturæ, quia in hoc jure uſus quidem comprehendebatur, non autem jus alienandi, quippe quod facto demum humano introductum eſt: Ergo ex eo, quòd pars in caſu neceſſitatis à corpore ſe ſeparare poſſit, non rectè

ctè infertur, quòd etiam corpus in caſu neceſſitatis partem à ſe abſcindere, & alienare poſſit. At jus in caſu neceſſitatis partem abſcindendi confundi non debet cum jure eandem inſuper alterius Imperio ſubjiciendi. Illud non tantùm in primæva in civitatem coeuntium voluntate, ſed & in eo fundatur, quòd neceſſitas reducat rem ad jus naturæ, quo ante contractam ſocietatem ſingulis liberum erat, utrùm cum hac parte in unum corpus morale coaleſcere vellent, vel non. Hoc autem unicè fundatur in tacito conſenſu ipſorum coeuntium; licèt enim ante contractam ſocietatem ſingulis liberum fuerit, hanc partem recipere, vel repellere, non tamen, ſi admittere noluiſſent, eo ipſo jus habuiſſent, eandem alterius ditioni ſubjiciendi, ac proinde, niſi hoc jus omnium in civitatem coeuntium voluntate tributum eſſet, reliqui vi priſtinæ libertatis, ad quam neceſſitas rem reducit, partem quidem à ſe abſcindere, non autem eandem etiam alterius Imperio ſubjicere poſſent. Si autem pars ſe aliter ſervare nequeat, neceſſitas rem ita reducit ad jus naturæ, ut illi non tantùm liberum ſit, ſe à corpore ſeparare, ſed & ſe alterius ditioni ſubjicere, ſicut ante contractam ſocietatem id ei liberum erat. Falſo igitur argumentum hoc nititur ſuppoſito, quia, ut diximus, jus, partem in caſu neceſſitatis alienandi non fundatur in eo, quòd neceſſitas rem reducat ad jus naturæ, ſed unicè in primævâ coeuntium voluntate. Unde nihil ad rem facit, quòd in ſtatu primævæ rerum communionis non detur jus alienandi, quamvìs jus naturæ non de iis duntaxat agat, quæ citra voluntatem humanam exiſtunt, ſed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur. Dices ſecundò Imperium eſſe in corpore, ut ſubjecto adæquato non diviſibiliter in plura corpora, ſed indiviſibiliter, ſicut anima eſt in corporibus perfectis. At primò ex hoc non ſequitur, quòd reliquum corpus in caſu neceſſitatis, aut publicæ utilitatis non poſſit partem etiam invitàm alienare; tametſi enim pars alienanda contradicat, totum tamen corpus cenſetur conſentire, quia pars major rationem habet integri. Sic & dominium rei ad civitatem pertinentis indiviſibiliter exiſtit in corpore, ut ſubjecto adæquato, & tamen ſi major pars in alienationem conſentiat, totum corpus cenſetur conſentire. Certè dominium non minùs toti populo competit, quà toti, collectivè, ac indiviſibiliter

ſumpto,

ſumptò, quàm Imperium, & tamen, ſi major pars in alienationem conſentiat, totum corpus cenſetur conſentire: Ergo etiam in noſtro caſu, licèt pars alienanda contradicat, totum tamen corpus cenſetur conſentire. Deinde licèt Imperium non diviſibiliter ſed indiviſibiliter in corpore politico exiſtat, non tamen eſt quid indiviſibile, nam, ut ipſe Grot. *Lib. 2. Cap. 9.* §. *10.* fatetur, evenire poteſt, ut, quæ una civitas fuerat, dividatur, & quidem non tantùm conſenſu mutuo, ſed & vi bellicâ, & tum plura exiſtere Imperia. Denique ſi ſummum Imperium ita eſt in corpore morali, uti anima eſt in corporibus naturalibus perfectis, ſequitur, partem corporis moralis, nequidem accedente ejus conſenſu alienari poſſe, cùm anima in viventibus perfectis nullò modo in partes dividi poſſit.

VI.

Cœterùm ſub nomine alienationis continetur non tantùm actus translativus dominii pleni, ſed etiam minùs pleni, ſive directi, ſive utilis, ac proinde Regi permiſſum haud eſt, citra conſenſum populi, Regnum ſuum, niſi id patrimoniale ſit, deinceps tanquam feudum ab altero recognoſcere, nam hoc modo non tantùm dominium directum purè, & abſolutè, ſed etiam utile in eventum committendæ feloniæ, & deficientis familiæ regnatricis alienatur, cùm tamen eâ extinctâ populus ad ſe ſummam poteſtatem voluerit reverti. Grot. *Lib. 2. Cap. 6.* §. *9.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 5.* §. *10.*

VII.

Deinde ſub alienatione continetur etiam pignoris datio, ac per conſequens Rex non poteſt partem integrantem Regni non patrimonialis, niſi populi, & partis oppignorandæ conſenſus accedat, ita alteri oppignorare, ut adminiſtratio, & naturalis poſſeſſio interim in eum tranſeat; nam primò pignoris dationem, debitore non ſolvente, ſequi ſolet alienatio, cùm in hoc potiſſimus pignoris uſus conſiſtat. Deinde populus, qui Regem conſtituit, ab ipſo, non alio voluit gubernari: Ergo Rex tenetur populo ad ſummum Imperium per ſe exercendum, quod non fit, ſi adminiſtrationem partis oppignoratæ permittat creditori. Præterea illi, qui in unum

N popu-

populum coaluêre, præſumuntur noluiſſe, ut in plures particulas diſcerperentur: Ergo populus quoque tenetur partibus ſuis ad conſervandum exercitium ſummi Imperii in ſua integritate, cujus rei gratiâ in ſocietatem civilem coitum eſt, ac per conſequens extra caſum neceſſitatis, aut publicæ utilitatis pars etiam cum conſenſu populi invita oppignorari haud poteſt. Grot. & Puſtendorf. *Cit. loc.*

VIII.

Alia ratio eſt patrimonii publici, cujus fructus deſtinati ſunt ad ſuſtentanda Reipublicæ, aut Regiæ dignitatis onera; tametſi enim Rex ſine conſenſu ordinum illud nec in totum, nec ex parte alienare poſſit, cùm in ejusmodi bonis non niſi adminiſtrationem & uſumfructum habeat, quæ ad jus alienandi haud quaquam ſe extendunt, partem tamen patrimonii publici v. g. jus exigendi vectigalia etiam inconſulto populo pignori obligare poteſt, modò juſta ſubſit cauſa, & Rex facultatem habeat nova indicendi tributa, tunc enim jubere poteſt, ut populus rem talem pignori obligatam redimat, cùm luitio iſta pignoris quædam tributi ſpecies ſit, quid enim intereſt, utrùm cives pecuniam contribuant, ne talem rem pignori obligare neceſſe ſit, vel utrùm pecuniâ ex poſt collatâ eandem redimant. Deinde ſi Rex ex privato patrimonio in uſum Reipublicæ quædam erogaverit, patrimonium publicum eo nomine hypothecæ loco eidem cenſetur eſſe obſtrictum, donec à populo debitum illud expungatur: Ergo in ejusmodi uſum etiam ab altero mutuam pecuniam accipere, & eo nomine patrimonium publicum eidem oppignorare poteſt; vel enim Rex ſuo privato nomine mutuam ab aliquo accepit pecuniam, & eam in uſum Reipublicæ expendit, vel nomine publico. Illo caſu patrimonium publicum ei pignoris loco obligatum eſt: Ergo poteſt id alteri oppignorare, cùm pignori dari poſſit etiam res mihi pignorata. Hoc autem caſu populus eo ipſo, quòd Regi ſalutis publicæ curam in ſolidum commiſerit, eidem etiam poteſtatem dediſſe creditur, ut is exigente publicâ utilitate partem patrimonii publici oppignorare poſſit. Grot. *Cit. Cap. 6.* §. *13.* & Püffendorf. *ubi ſuprà* §. *11.*

IX. Porro

IX.

Porro ſub alienatione continetur etiam teſtamentum, & ideo citra conſenſum populi de Regno non patrimoniali teſtari Regi permiſſum haud eſt, niſi eum nuncupet ſucceſſorem, quem Lex Regni ſucceſſoria aliàs ad ſucceſſionem vocat. Quòd ſi Reges quidam de ejusmodi Regnis teſtati legantur, id commendationis magìs vim apud populum habebat, quàm veræ alienationis. Imò ſi Regnum hæreditarium, aut lineale ſit, ne populi quidem conſenſus ſufficit, ſi præter Regem teſtatorem alii ex familia regnatrice ſuperſint, ſed & eorum conſenſus accedere debet, quibus ex pacto primi acquirentis ſpes, aut jus ſuccedendi quæſitum eſt, modò teſtator, ſaltem ſi Regnum hæreditarium ſit, non ipſe primus ſit acquirens, ſed unus ex deſcendentibus primi acquirentis, velut infrà pleniùs deducemus.

X.

Item ſub alienatione comprehenditur etiam in dotem datio. Unde Regina ſummam poteſtatem, niſi eandem pleno, & abſoluto jure proprietatis teneat, ſine conſenſu populi in maritum titulo dotis tranſcribere nequit. Si verò conſenſus populi accedat, Regnum etiam non patrimoniale in dotem dari poteſt, modò in præjudicium eorum, quibus ſpes, aut jus ſuccedendi ex pacto primi acquirentis quæſitum eſt, non apponatur pactum de lucrandâ dote; mortuâ enim ſine liberis Reginâ jus omne, quod in maritum titulo dotis translatum eſt, expirat, quia maritus eſſe deſinit, & ad alios, qui ex familiâ regnatrice ſuperſunt, vi pacti primævi devolvitur. Si autem ex domo regnatrice nemo ſuperſit, nihil impedit, quò minus Regina Regnum hæreditarium, aut lineale cognaticum, accedente populi conſenſu, etiam cum pacto de lucrandâ dote marito in dotem dare poſſit.

XI.

At, quid ſi Regina non ipſam ſummam poteſtatem titulo dotis in maritum transferre, ſed adminiſtrationem tantùm Regni eidem permittere velit, erítne etiam hoc caſu conſenſus populi neceſſarius?

Videtur intereſſe, utrùm independentem, & tam amplam adminiſtrationem marito permittere velit, ut etiam repugnante Reginâ pro authoritate ſtatuere poſſit, vel tam reſtrictam, ut ſine conſenſu Reginæ nihil poſſit. Illo caſu ad hoc conſenſum populi neceſſarium eſſe arbitror, quia populus alicui, & ejus poſteris Regnum deferendo non niſi ab eo, ad quem Regnum ex Lege ſucceſſoriâ devolvitur, voluit gubernari. Hoc autem caſu conſenſum populi non credo eſſe neceſſarium, quia Regina retinet poteſtatem adminiſtrandi, maritus autem nudus erit adminiſter Reginæ.

XII.

Tacitâ voluntate ſummum Imperium duobus modis conferri poteſt. Primò ſi illi, qui alteri ſuberant tanquam Patrifamilias, aucto numero, obedientiam præſtare incipiant tanquam Regi. At hoc modo multa Regna fortaſſis inceperunt. Sic v. g. Abrahamo initio liberi omnes obediebant tanquam parenti, aucto dein liberorum numero, ac in eam multitudinem diffuſo, quæ ad perfectam communitatem ſufficeret, obedientia non interrupta fuit, ſed decurſu temporis inflexa ad eas res, ad quas ſine poteſtate Regiâ nemo obſtringi poterat. Suarez *in Defenſion. fidei &c. ſæpè cit. Lib. 3. Cap. 2. num. 19.* Secundò ſi is, qui ſummum Imperium ita habet, ut & alienare poſſit, ſciens cum poſſidente, tanquam cum vero imperante contrahat, aut alio facto eum talem eſſe agnoſcat v. g. eundem ultrò, nullâ adjectâ clauſulâ, vel conteſtatione, aut reſervatione, appellando Regem, vel Principem ejus ditionis; Si enim dominium privatum in poſſidentem transfertur, ubi is, qui verus rei dominus eſt, ſciens cum eo, tanquam cum domino contrahit, aut alio facto illum pro tali agnoſcit, etiam ſummum Imperium hoc modo in poſſidentem transferri poteſt, modò, ut dixi, illud habeatur ita, ut & alienari poſſit; quid enim intereſt, utrùm verbis, vel facto aliquis voluntatem ſuam declaret. Grot. *Lib. 2. Cap. 4. §. 4. num. 1. & ibi* Hennigeſ. *ad verb. nihil cauſa eſt.*

§. IV.

De Succeſſione in Regnis ab inteſtato.

SUMMARIA.

I. *Voluntate præſumptâ Regnantis transfertur ſummum Imperium, ſi Regnum ſit patrimoniale, & Rex inteſtatus deceſſerit.*

II. *Præſumitur autem ea fuiſſe defuncti voluntas, ut in ejusmodi Regno patrimoniali idem ordo ſucceſſionis ſervetur, qui in aliis privatorum hæreditatibus obſervatur, niſi quatenus indoles, & incolumitas Regnorum ab eodem diſcedere jubet.*

III. *Et primò quidem in Regno patrimoniali Regi ab inteſtato defuncto ſuccedunt liberi, excluſis collateralibus.*

IV. *Creditur autem defunctus voluiſſe, ut* I. *Regnum maneat indiviſum.* II. *ut ſimplicem formam retineat.* III. *ut Monarchica civitatis forma conſervetur.* IV. *ut inter plures ejusdem gradûs maſculi præferantur fœminis, &* V. *inter pares ſexu natu maximus, vel natu maxima.*

V. *Debet tamen primogenitus cæteris de honeſtâ ſuſtentatione proſpicere.*

VI. *Nullis extantibus liberis Regnum patrimoniale defertur aliis ſanguine conjunctis, extraneis omnibus excluſis, ſalvâ tamen ſemper inter plures primò ſexûs, deinde ætatis prærogativâ.*

VII. *Quinam ex collateralibus in Regno paterno, vel avito ſuccedant?*

VIII. *Adducitur hujus ſucceſſionis ratio.*

IX. *In Regno noviter acquiſito ſuccedit is, qui gradu cognationis defunctum proximè attingit.*

X. *Poteſt Regnum patrimoniale etiam ad eos proximos ultimi ſucceſſoris pervenire, qui primum Regem ſanguine non attingunt.*

XI. *Hæc ita demum procedunt, ſi alius ſucceſſionis modus nec moribus receptus, nec expreſsâ unius ex Majoribus voluntate ſit introductus.*

XII. *Ex præſumptâ voluntate populi ſummum Imperium ab uno in alte-*

rum tranſfertur, ſi Regnum ſit hæreditarium, ubi populus cenſetur voluiſſe primò, ut Regnum ſit individuum.

XIII. *Secundò, ut ſucceſſio ſtet intra deſcendentes primi Regis. Unde excluduntur adoptivi.*

XIV. *Tertiò, ut illi demum deſcendentes primi acquirentis ſuccedant, qui nati ſunt ſecundùm patriæ leges. Unde excluduntur liberi extra matrimonium geniti.*

XV. *Licèt pater ejusmodi liberos legitimis natalibus reſtituerit.*

XVI. *Quartò populus voluiſſe præſumitur, ut inter eos, qui pariter ad hæreditatem admitterentur, mares præferantur fœminis, etiam natu majoribus.*

XVII. *Tametſi Regnum alicui pro ſe, & deſcendentibus, ac hæredibus delatum ſit, non tamen propterea illud ſtatim pro hæreditario habendum eſt.*

XVIII. *Quintò denique populus voluiſſe cenſetur, ut inter mares, aut maribus deficientibus, inter fœminas præferatur natu major.*

XIX. *Quòd ſi primogenitus ob mentis, aut corporis vitium ad imperandùm omninò ineptus foret, is non ſuccederet in Regno.*

XX. *Neceſſe autem non eſt, ut is, qui in Regnum hæreditarium ſuccedit, etiam privati patrimonii hæreditatem, & onera eidem inhærentia agnoſcat.*

XXI. *Adducuntur cauſæ, ob quas populus iſthunc ſuccedendi ordinem elegerit.*

XXII. *Quomodo ſuccedatur in Regno feudali?*

XXIII. *Deſcribitur ſucceſſio linealis cognatica.*

XXIV. *Item agnatica, & cur maximè ſit introducta?*

XXV. *Utrùm filius exhæredari poſſit, ut ne in Regnum patrimoniale ſuccedat?*

XXVI. *Non eo ipſo, quòd quis à cæteris bonis excluſus ſit, etiam à Regno excluſus eſſe cenſetur.*

XXVII. *Sed nec is, qui grave crimen commiſit in patrem, ſi nulla ſint condona-*

condonatæ culpæ indicia, ſtatim pro tacitè exhæredato habendus eſt.

XXVIII. *Utrùm exhæredato ſaltem alimenta relinquenda ſint?*

XXIX. *In Regnis non alienabilibus pater filium exhæredare non poteſt.*

XXX. *Utrùm abdicatio parentis pro ſe & liberis facta liberis noceat?*

XXXI. *Utrùm filius ante Regni adeptionem natus præferendus ſit ei, qui in regiâ fortunâ natus eſt?*

XXXII. *Utrùm nepos ex filio priore, filio poſteriori præferendus ſit.*

XXXIII. *Quid ſi nepos ex fratre Regis priore, cum fratre Regis poſteriore concurrat?*

XXXIV. *Quid dicendum ſit, ſi nepos, aut etiam neptis ex fratre Regis concurrat cum patruô Regis?*

XXXV. *Nepos ex filio Regis in omni ſucceſſione præfertur filiæ Regis.*

XXXVI. *Utrùm nepos minor ex filio Regis præferatur nepoti majori ex filia Regis?*

XXXVII. *Utrùm neptis ex filio Regis primo genito præferatur filio Regis ſecundo genito?*

XXXVIII. *Utrùm frater Regis minor præferatur filiæ ex fratre Regis majore?*

XXXIX. *Quis judex ſit, ſi ſuper ſucceſſione Regni hæreditarii, vel linealis inter duos, pluréſve controverſia oriatur?*

I.

DIximus, quomodo ſummum Imperium in alios transferatur voluntate tum expreſſâ, tum tacitâ Imperantis, ſupereſt, ut jam videamus, quomodo illud in alios tranſeat ex voluntate præſumptâ. Eſt autem voluntas præſumpta vel regnantis, vel populi. Voluntate præſumptâ regnantis transfertur ſummum Imperium, ſi id in pleno, & abſoluto dominii jure exiſtat, & Rex inteſtatus deceſſerit, nec enim credibile eſt, voluiſſe eum, ut poſt mortem ſuam Regnum vel in Anarchiam prolabatur, vel tanquam res pro derelicto

relicto habita cuivis primo occupanti cedat, ſed potiùs, ut in familiá ſuâ perpetuò permaneat.

II.

Præſumitùr autem ea fuiſſe defuncti voluntas, ut in ejusmodi Regno patrimoniali idem ordo ſucceſſionis ſervetur, qui in aliis privatorum hæreditatibus obſervatur, niſi quatenus indoles, & incolumitas Regnorum ab eodem ſuadet diſcedere; nam & qui ſummum habent Imperium, cenſentur in iis rebus, in quibus de nullo ipſorum damno agitur, æquiſſimum judicâſſe, quod aut legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant. Dixi: *Niſi quatenus indoles, & incolumitas Regnorum ab eodem ſuadet diſcedere*, nam ſucceſſio in Regna non per omnia exigi poteſt ad modum privatæ ſucceſſionis in bona; quia non ex utilitate privatâ, ſed publicâ æſtimatur.

III.

Primò igitur in Regno patrimoniali Regi ab inteſtato defuncto ſuccedunt liberi ob communem parentum erga eos tanquam corporis ſui partes ab ipſâ naturâ inſitum affectum, excluſis collateralibus, niſi fortè ſpeciali Regni more aliud ſit receptum, cui haud dubiè ſtandum eſt, qui enim de ſucceſſore tacet, conſuetudini Regni conſentire intelligitur, imò talis conſuetudo, ſive ab authore ſtirpis, ſive à poſterorum aliquo originem habuerit, in vim Legis fundamentalis abiiſſe videtur. Sic apud multos populos in India, & in primis per totam oram Malabaricam receptum eſt, ut non ſuccedat patri filius, ſed ſororis filius, quia credunt, de hoc multò certiorem eſſe fidem, quòd ex Regiâ proſapiâ ſit, quàm de illo, prout refert Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 7. §. 14.* Et quidem liberi non tantùm primi, ſed & ulterioris gradûs ſuccedunt, adeò ut remotiores per proximiores ex ſolo capite proximitatis haud excludantur, niſi fortè in tali Regno non obſervetur jus repræſentationis, quod tamen in dubio locum habere creditur, quia ei natura favet. Unde & in ſucceſſione privatorum quoad lineam rectam moribus, & legibus paſſim invaluit. Grot. *Lib. 2. Cap. 7. §. 30. num. 1. & ibi* Bœcler.

IV. Cre-

IV.

Creditur autem defunctus voluiſſe primò, ut Regnum maneat indiviſum nec inter plures in eodem gradu exiſtentes in partes dividatur, ita ut ex uno plura deinceps diſtincta Regna fiant. Secundò ut ſimplicem formam retineat, nec ſumma poteſtas in partes diſcerpatur, ita ut unus hanc portionem, veluti jus ferendarum Legum, alius aliam v. g. jus imponendi tributa habeat, utrúmque enim cum maximo Regni detrimento, & ipſius Regiæ familiæ convulſione conjunctum foret. Tertiò ut poſt ſe quoque Monarchica civitatis forma conſervetur, utpote quam ipſe exemplo ſuo commendavit; nec alio facto, aut verbo poſtea improbavit, ac proinde cenſetur noluiſſe, ut plures Regnum pro indiviſo, parique inter ſe poteſtate adminiſtrent, *arduum enim ſemper*, inquit Tacit. *Lib. 4. Annal. Cap. 4. num. 2. eodem loco potentiam, & concordiam eſſe.* Quartò ut inter plures, qui ejusdem gradûs ſunt, aut ob jus repræſentationis eſſe cenſentur, non obſtante ætatis prærogativâ, maſculi præferantur fœminis, quia regulariter ſexus maſculinus Imperio aptior eſt, *quidquid enim maſculinum*, ait Ariſtotel. *1. Polit. Cap. 8. naturâ magìs factum ad imperandum fœmineo*, & fœminarum regimen plerúmque incommoda quædam comitari ſolent, quæ eò majora futura ſunt, ſi per easdem fratres paterno ſolio ſint prohibendi. Quintò denique ut inter plures ſexu pares natu maximus, aut in defectu, marium natu maxima ſuccedat, qui enim ætate alterum antecedit, plerumqué judicio jam perfectior eſt, aut ſaltem priùs futurus eſſe creditur. Certè primogenito ſtatim, ut natus eſt, Regnum deſtinatum eſſe cenſetur, in qua voluntate Rex præſumitur perſeveràſſe hoc ipſo, quòd contrarium non indicaverit, aliàs ſanè ſi ex pluribus digniſſimo Regnum deferendum eſſet, non poſſent non illi exitialibus inter ſe diſcordiis implicari, quibus præcavendis optimum eſt, ſorti naſcendi rem committere, quam omnium fermè Gentium conſenſus velut ab ipſâ naturâ jactam conſtanti uſu amplectitur. Vid. Puffendorf. *Cit. Cap. 7. §. 11.*

V.

Planè etſi primogenitus ex præſumptâ defuncti voluntate in tali Regno patrimoniali ſolus ſuccedat, ratio tamen, & æquitas poſtu-

lat, ut cœteris de honeſta ſuſtentatione proſpiciat, ſeu, ut vulgò loquuntur, apanagium conſtituat: neceſſe tamen non eſt, ut hoc portionibus, quas reliqui habituri erant, ſi Regnum diviſum fuiſſet, æquale ſit, aliàs enim ſucceſſio inanis foret, unde enim ei tantæ opes, ut illis pro ipſorum partibus æſtimationem rependere valeat? Certè ex unicâ ſuâ parte hoc præſtare non poterit. An ergo id præſtabit ex reditibus cœterarum partium? atqui ex his fructibus Regnum ſuſtinetur. An verò ex portione reliquæ hæreditatis paternæ à Regno, & Regni rebus ſeparatæ? At ſi illa non ſufficit, ſi nulla eſt? Fieri igitur non poteſt, ut Regni Succeſſor cœteris tanquam cohæredibus æqualem ipſorum portionibus, quas diviſo Regno habituri fuiſſent, æſtimationem rependat. Puffendorf. *Cit Cap. 7. §. 11.* Bœcler. ad Grot. *Lib. 2. Cap. 7. §. 13. pag. 624. & ſeqq.*

VI.

Nullis extantibus liberis Regnum patrimoniale ex præſumptâ defuncti voluntate defertur aliis ſanguine conjunctis, extraneis omnibus, etiam quos Rex ſingulari benevolentiâ, & amore dignatus eſt, poſtpoſitis, ſalvâ tamen ſemper inter plures concurrentes imprimis ſexûs, deinde ætatis prærogativâ; ſi enim communem hominum propenſionem reſpicimus, quisque ita conſtitutus eſt, ut familiam, ex qua ortum trahit, quàm ornatiſſimam eſſe velit; & licèt fortè extraneum majore benevolentiâ, & amore complexus ſit, quàm ſanguine conjunctum, exinde tamen non continuò ſequitur, quòd illum in ſucceſſione Regni ſanguine conjuncto præferre voluerit, aliàs enim facilè hanc ſuam voluntatem potuiſſet exprimere: Ergo hoc ipſo, quòd non expreſſerit, noluiſſe præſumitur. Certè æquitati naturali congruit, ut niſi aliter fuerit diſpoſitum, mortuorum bona ad propinquos potiùs quippe quos natura poſt liberos cuique chariſſimos eſſe voluit, quàm ad extraneos devolvantur. *Sanguinis conjunctio*, inquit Cicer. *de Offic. 1. devincit homines charitate; magnum eſt enim, eadem habere monumenta Majorum, iisdem uti ſacris, ſepulchra habere communia.*

VII.

Quis autem ſucceſſionis ordo inter collaterales defuncti Regis ſervandus ſit, non æquè eſt expeditum: Puto Regnum paternum,

vel

vel avitum ſeparandum eſſe à noviter acquiſito. In illo primò ſuccedunt liberi ejus, à quo proximè Regnum ad defunctum pervenit, ſervatâ tamen inter eos imprimis ſexûs, deinde ætatis prærogativâ. His verò non extantibus ſuccedunt ſecundò liberi parentis immediatè ſuperioris, à quo Regnum ſaltem mediatè ad defunctum pervenit, ſalvâ itidem prærogativâ ſexûs, ac ætatis, & ſic deinceps. Quòd ſi liberi diverſi gradûs ſint, refert, utrùm in tali Regno jus repræſentationis etiam in linea collaterali receptum ſit, vel non. Illo caſu nulla habetur ratio proximitatis gradûs, ſed tantùm attenditur ſexus, & ætas. Hoc autem caſu proximior remotiorem excludit, tametſi proximior fœmina, remotior maſculus, illa ætate minor, hic major ſit. Ubi autem jus manifeſtum non eſt, in bonis avitis in eam partem, quæ liberos parentibus ſurrogat, potiùs inclinandum eſſe exiſtimat Grot. *Cit. Cap. 7. §. 31.* cùm eò nos ducat ipſa æquitas naturalis; tametſi enim Imperator *in Nov. 118. Cap. 3. in princ.* hoc jus repræſentationis in fratrum filiis privilegium vocet, id tamen facit non habitâ ratione æquitatis naturalis, ſed juris antiqui Romanorum.

VIII.

Ratio autem hujus ordinis ſuccedendi in eo fundatur, quòd, cùm moriturus poſt mortem dominium in res ſuas retinere haud poſſit, omnino credendum ſit, noluiſſe eum perdere beneficii materiam, ſed ut potiùs beneficio ſuo penes alium eſſet, quod alioqui quacunque ratione penes alium futurum ſit. In beneficiis autem hic ordo maximè naturalis eſt, ut potius ſit, gratiam referre ei, qui benefecit, quàm amico conferre beneficium. Unde Cicer. *de offic. 1. nullum*, inquit, *officium referendâ gratiâ magìs neceſſarium eſt.* Et paulò poſt: *cùm duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi. Demus, nec ne, in noſtra poteſtate eſt, non reddere bono viro non licet, modò id facere poſſit ſine injuriâ.* Refertur autem gratia vel viventibus, vel defunctis in eorum liberis, qui naturaliter pars ſunt parentum, & quibus, ſi viverent parentes, maximè vellent benefieri. Cùm igitur bona provenerint à parentibus, præſumitur defunctus voluiſſe, ut illa ad parentes, unde provenerunt, vel iis non amplius exiſtentibus ad eorum liberos revertantur.

IX.

In bonis autem noviter acquiſitis ceſſat officium gratiæ referendæ. Supereſt igitur, ut ſucceſſio in ejusmodi Regno noviter acquiſito ex præſumptâ voluntate defuncti deferatur illi, qui eidem chariſſimus fuiſſe creditur, ita tamen, ut hunc affectum magìs ex communi hominum ſanorum inclinatione, quàm ex moroſo unius, vel alterius ingenio deſumere oporteat, & ideo chariſſimus ille fuiſſe cenſetur, qui gradu cognationis proximè defunctum attingit. Certè niſi in hunc Regnum tranſiret, graves plerumque diſſenſiones cum ingenti Reipublicæ concuſſione etiam in bellum erupturæ orirentur, in quem ſtatum defunctus præſumitur noluiſſe Regnum poſt mortem ſuam conjicere, imò ne tali quidem periculo exponere. Et licèt fortè ejusmodi Regnum patrimoniale teſtamento extranei ad defunctum perveniſſet, non tamen illius liberi proximo hujus cognato præferendi eſſent; tametſi enim æquum ſit, ut Regnum eò redeat, unde provenit, hoc tamen non aliter procedit, quàm ſuppoſitâ ſanguinis neceſſitudine, quam defunctus ob naturalem propenſionem erga familiam ſuam, ex qua ortum trahit, imprimis ſpectâſſe creditur. Vid. Puffendorf. *Lib. 4. Cap. 11.* §. *16.* Idem dicendum de Regno paterno, avitoque, ſi nec ipſi, à quibus provenit, nec eorum liberi extent, ita ut gratiæ referendæ ratio ceſſet, tunc enim perinde, ut Regnum noviter acquiſitum ex præſumptâ defuncti voluntate ei cedet, qui gradu cognationis eundem proximè attingit. Confer Grot. *dict. Cap. 7.* §. *9. & 10.*

X.

Poteſt autem Regnum patrimoniale etiam ad eos proximos ultimi poſſeſſoris pervenire, qui primum Regem ſanguine non attingunt, ſi talis ſucceſſio circa privatorum hæreditates in iis locis recepta ſit, utpote quam Rex etiam circa ſuum patrimonium valere voluiſſe præſumitur hoc ipſo, quòd expreſſâ diſpoſitione ab eâdem non diſceſſerit, velut accidit, ſi ultimus Regni poſſeſſor, nemine ex familiâ Regnatrice ſuperſtite, deceſſerit relicto ſolo fratre uterino, cujus parentes primum Regem ſanguine non attingunt, *nemine*, inquam, *ex familia Regnatrice ſuperſtite*, ſi enim præter fratrem uterinum aliquis adeſſet, qui à primo Rege ſanguinem traheret, hic utique

que ex præſumptâ voluntate referendi gratiam fratri Regis uterino præferendus eſſet.

XI.

Non aliter autem, quæ hactenus dicta ſunt, procedunt, quàm, ut ſuprà jam memini, Rex inteſtatus deceſſerit, nec alius ſucceſſionis modus vel moribus receptus, vel expreſſâ unius ex Majoribus voluntate introductus ſit, qui enim Regnum pleno modo poſſidet, & in patrimonio habet, de eo pro libitu diſponere poteſt, ita ut ejus voluntas non minùs, quàm privati patrisfamilias teſtamentum, ſervanda ſit, ac proinde ejusmodi Regnum vel æquis portionibus inter plures liberos, etiam non conſiderato ſexûs diſcrimine, dividere, vel in filium naturalem, aut adoptivum, quin & in eum, qui nullâ cognatione ipſi junctus eſt, transferre poteſt. Grot. *Cit. Cap. 7.* §. *11.* & Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 7.* §. *11.* Similiter ſi unus ex Majoribus poſteris ſuis certum ſucceſſionis ordinem præſcripſerit, e.g. ut ille ſemper ſuccedat, qui ipſi conſtituenti quoque tempore proximus futurus eſt, prout in Africa Gizerichi teſtamento cautum fuiſſe ex Procop. refert Grot. *dict. Cap. 7.* §. *24.* in annot. ordo ille ſervandus erit.

XII.

Ex præſumptâ voluntate populi ſummum Imperium ab uno in alterum transfertur, ſi Regnum ſit hæreditarium, ſeu ita primitus à populo collatum, ut citra novam electionem viâ ſucceſſionis hæreditariæ ab inteſtato porrò in alios tranſeat. Præſumitur autem populus voluiſſe primò, ut, niſi Lex, aut mos aliud ferat, Regnum ſit individuum, firmius enim futurum eſt Regnum, ſi penes unum remaneat, quàm ſi portionibus inter plures ejusdem gradûs dividatur. Certè diviſio non tantùm multùm de ſplendore, & dignitate detrahit, ſed inſuper etiam cum ſummo periculo conjuncta eſt, ne imperantes à vicinis potentioribus opprimantur, præſertim ſi, ut facilè contingere poteſt, inter ejusmodi Regulos diſcordiæ enaſcantur, aut ipſorum portiones ſucceſſu temporis inter plures porrò dividantur, quo facto Regnum etiam amplum ſuâ ſponte tandem in nihilum recideret. Non expedit igitur, ut Regnum inſtar rei pri-

vatæ inter plures ejuſdem gradûs dividatur, ac proinde nec populus id voluiſſe præſumitur, ſed magìs, ut indiviſum penes unum remaneat. Grot. *ubi ſuprà* §. *14.* & *ibi* Bœcler.

XIII.

Secundò ut ſucceſſio ſtet intra deſcendentes primi Regis, & illis deficientibus Regnum ad populum revertatur. Hinc licèt primus acquirens improlis fortè deceſſerit, Imperium tamen jure ſucceſſionis non tranſibit in ejus fratrem, ſed in libero populi arbitrio erit, utrùm ſummam poteſtatem eidem, vel alteri conferre, aut ipſe retinere velit. Ob eandem rationem etiam adoptivi excluduntur, quia populus Regnum in naturalem Regis ſtirpem contulit, quâ deficiente facultatem de futurâ Regiminis formâ diſponendi ad ſe redire voluit, quæ facultas admiſſâ adoptione, quæ jus daret ad Regnum, in perpetuum eludi poſſet. Accedit, quòd adoptivi in tanta veneratione non ſint, ut illi, qui ex ſanguine Regio originem trahunt: expedit autem quàm maximè in Regnis, perſonam Regis eſſe venerabilem, ut eò promptiores ſint ſubditi ad obſequendum. Deinde nec tanta de adoptivis concipitur ſpes, quanta concipitur de iis, qui ex familiâ verè Regiâ ſunt nati. Grot. *Alleg. Cap. 7.* §. *16. in fin.* Puffendorf. *ſuprà Cit. Cap. 7.* §. *12.* Planè quin ultimus Regni poſſeſſor, accedente populi conſenſu, aliquem adoptare poſſit, qui ipſi in Regno ſuccedat, dubium non eſt.

XIV.

Tertiò populus voluiſſe creditur, ut illi demum deſcendentes primi acquirentis ſuccedant, qui nati ſunt ſecundum patriæ Leges. Unde excluduntur liberi extra matrimonium geniti, & quidem non illi tantùm, qui ex damnato coitu ſuſcepti, aut vulgò quæſiti ſunt, ſed & qui ex concubinâ ſunt nati; cùm enim populus alicui, & ejus liberis, nepotibus &c. ac in complexu familiæ Regnum defert, cenſetur illos ſaltem intellexiſſe, qui ſecundùm Leges patrias hac appellatione veniunt, qui autem extra matrimonium geniti ſunt, ſecundùm Leges omnium ferè populorum appellatione liberorum nepotum &c. haud continentur; imò diſcrimen legitimorum, & illegitimorum non tantùm ex Legibus plerorúmque populorum civilibus,

vilibus, ſed ex ipſo quoque jure naturæ profluit, quippè quo omnis concubitus extra matrimonium prohibitus eſt, cùm interſit humanæ ſocietatis, ut genus humanum modo creaturæ rationali quà tali digno, & non more brutorum propagetur ob graviſſima mala, quæ aliàs exinde ſequerentur. Quantum ergo jure naturæ diſtat concubinatus, aliúsve concubitus extramatrimonialis à ſocietate conjugali, tantum eodem jure diſtant extra matrimonium geniti ab illis, qui ex individua vitæ conſuetudine ſuſcepti ſunt, ac proinde non poſſunt populi, niſi apud eos jus naturæ hoc in paſſu penitùs obliteratum ſit, præſumi appellatione liberorum alios intellexiſſe, quàm qui ex legitimo matrimonio ſunt nati. Accedit, quòd illi, quorum matrem pater juſto matrimonio dignatus non eſt, inter generoſas ſaltem Nationes ad contemptum pateant. Expedit autem, ut paulò antè dixi, perſonam Regis quàm maximè eſſe venerabilem. Denique ob defectum fidei, ac perpetuæ cohabitationis plerumque etiam minùs certi habentur. Intereſt autem populi, in Regnis ad vitandas controverſias maximam haberi certitudinem, quæ haberi poteſt, & ex hac cauſâ Macedones Demetrio potiùs, quàm Perſeo poſt mortem patris Regnum deberi exiſtimabant, *etſi enim minor ætate, quàm Perſeus, eſſet Demetrius, hunc tamen juſtâ matrefamilias; illum pellice ortum eſſe: illum, ut ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere: hunc inſignem Philippi ſimilitudinem præſeferre* ajebant. Liv. *Lib. 39. Cap. 53.*

XV.

Et quamvis fortè pater ejusmodi filium extra matrimonium genitum legitimis natalibus reſtituerit, is tamen ne hoc quidem caſu eidem in Regno ſuccedere poterit: vel enim alii ex familiâ Regnatrice ſuperſtites ſunt, vel non. Illo caſu ſpes ſuccedendi ex pacto primi acquirentis, quæſita illis invitis facto Regis nequidem cum conſenſu populi auferri poteſt, velut infrà oſtendemus. Hoc autem caſu Rege mortuo Regnum redit ad populum, cui Rex legitimando non magìs præjudicare poteſt, quàm adoptando. Et ſanè etiam talis ad contemptum nihilo ſeciùs patet, nec ob defectum fidei, & perpetuæ cohabitationis ſatis certus habetur. Neque dici poteſt, populum hoc ipſo, quòd non contradixerit, cenſeri voluiſſe,

ut ejusmodi legitimatus poſt mortem patris in Regno ſuccederet; multa enim obſtare poſſunt, quò minùs populus cum Rege in contentionem deſcendere velit, præſertim ſi legitimationi nihil de ſucceſſione Regni adjectum, aut ſaltem populo promulgatum ſit, id enim ſi factum eſſet, res ad novam cum populo pactionem vel expreſſam, vel tacitam videretur rediiſſe, quo ipſo tamen caſu non ſupererit fortè nulla quæſtio de cauſis, & effectu ſilentii in populo non uno ſemper modo æſtimandis, ut rectè advertit Bœcler. ad Grot. *ſæpè cit. Cap. 7. §. 16. pag. 634.*

XVI.

Quartò populus voluiſſe creditur, ut inter eos, qui pariter ad hæreditatem admitterentur, ſive quia ejusdem ſunt gradûs, ſive quia per repræſentationem in parentum ſuorum gradum ſuccedunt, mares præferantur fœminis etiam natu majoribus, quia mares tum ad bella, tum ad alias Imperii partes magìs idonei eſſe cenſentur, quàm fœminæ, unde Hypermneſtra apud Ovid. *Heroid. 14. verſ. 65. ait:*

Quid mihi cum ferro? quid bèllica tela puellæ?
Aptior eſt digitis lana, colúsque meis.

Et licèt quandoque fœminæ dotibus ad imperandum neceſſariis maſculum antecellant, hoc tamen rarum, & extra ordinarium eſt, plerumque enim imbecillis, & laboribus impar hic ſexus eſt, ejúsque conſilium ferè in deterius tendit. Tacit. *Lib. 3. annal. Cap. 33. num. 3. & Lib. 15. Cap. 54. num. 6.* Quæ autem raró eveniunt, non ſolent attendi. Grot. *dict. Cap. 7. §. 17. & ibi* Bœcler.

XVII.

Quamvìs autem fœminæ à ſucceſſione in Regnis hæreditariis non omninò excludantur, ſed maribus in eodem gradu exiſtentibus ſaltem poſtponantur, non tamen Regnum protinus pro hæreditario habendum eſſe exiſtimo, ſi illud alicui pro ſe, & deſcendentibus, ac hæredibus delatum ſit; tametſi enim aliàs appellatione deſcendentium, ac hæredum etiam fœminæ contineantur, hoc tamen ita demùm procedit, ſi materia ſubſtrata non aliud ſuadeat. Sic licèt feudum alicui, & ejus deſcendentibus, ac hæredibus conceſſum

ceſſum ſit, fœminæ tamen in eo non ſuccedunt, quia jure feudali verbis deſcendentium, & hæredum ſoli maſculi intelliguntur. *1. feud. 13. verſ. & ſi clientulus.* Idem ergo de Regno quoque dicendum eſſe videtur, ad cujus gubernationem, & ſubeunda Reipublicæ munera, maximè bellica, ut paulò antè dixi, fœminæ regulariter loquendo ſunt ineptæ. Et hoc imprimis verum erit, ſi antea publici ſemper & recepti moris in illa gente fuerit, ſolos maſculos ad ſucceſſionem Regni admittendi, nam tunc ex patriis moribus voluntas paciſcentium, & conſtituentium ſatis manifeſtò colligitur. Thomaſ. ad Huber. *de Jur. Civit. Lib. 1. Sect. 7. n. 10. Lit. O.* Bœcler. *ubi ſuprà cit. loc. pag. 640.*

XVIII.

Quintò denique populus voluiſſe præſumitur, ut inter mares, aut maribus deficientibus, inter fœminas præferatur natu major, eò quòd is plerúmque judicio jam perfectior ſit, aut ſaltem priùs futurus eſſe credatur. Prærogativa tamen ſexûs ſemper potior eſt, quàm ætatis, quia ſexûs præſtantia perpetua, ætatis autem temporaria ſaltem eſt. Unde filius impubes præfertur ſorori majorenni. Eâdem ratione nepos ex filiâ præferendus erit nepti ex filio; quia jus repræſentationis capacitatem quidem ſuccedendi tribuit, non autem qualitatem ſexûs, & ætatis, quippe quæ perſonæ ita cohæret, ut ab eâ nulla ratione avelli, & alteri communicari poſſit, ac proinde licèt filius præferatur filiæ non tamen neptis ex filio præferri poterit nepoti ex filia, cùm jus repræſentationis in propoſito hoc ſolum operetur, ut nepos ex filiâ, & neptis ex filio perinde habeantur, ac ſi reſpectu defuncti Regis eſſent in gradu primo. Uti igitur filius excluſiſſet ſororem ſuam etiam natu majorem; ita & nepos ex filia excludet neptem ex filio, licèt hæc fortè ætate major ſit, nam inter plures ejusdem gradûs ſemper ſalva manet imprimis prærogativa ſexûs, deinde ætatis.

XIX.

Planè ſi primogenitus fortè ob mentis, aut corporis vitium ad imperandum omninò ineptus foret, ille hoc caſu in Regno non ſuccederet, quia populus natu majori ſucceſſionem non niſi ſub

hac tacitâ conditione detuliſſe creditur, ſi capax ſit imperandi, quâ deficiente etiam deficit voluntas populi, & ideò ſucceſſio in tali caſu deferetur ſecundo genito, aut, ſi præter primogenitum non niſi filiæ adeſſent, filia natu major ad ſucceſſionem Regni admittenda foret. Dixi autem, *ſi ad imperandum omninò ineptus foret*; licèt enim minor natu ob apparentes quaſdam animi dotes, quæ tamen fallere poſſunt, Regni capacior eſſe videatur, propterea tamen jus primogenito quæſitum eripi haud poteſt; ſi enim ob apparentem majorem capacitatem minor natu præferendus eſſet majori, ſæpiſſimè inter fratres ſuper ſucceſſione lis oriretur, quæ plerúmque cum pernicie Regni conjuncta eſſet, cui periculo rem exponere voluiſſe populus non præſumitur. Hennig. ad Grot. *cit. Cap.* 7. §. *18.* & Willenberg. *Quæſt. 32.*

XX.

Quamvis autem Regnum hæreditarium viâ ſucceſſionis ab inteſtato in poſteros primi acquirentis eo, quo dixi, modo tranſeat, neceſſe tamen non eſt, ut is, qui in Regnum ſuccedit, etiam privati patrimonii hæreditatem agnoſcat, ſed, illo retento, hanc repudiare poteſt; tametſi enim Regnum non niſi morte prioris poſſeſſoris ad alterum devolvatur, & ab illo huic velut de manu in manum detur, non tamen ad eundem pervenit ex defuncti Regis voluntate, ſed ex beneficio, & præſumptâ voluntate populi, cujus ſanè nihil intereſt, utrùm privata ſimul adeatur hæreditas vel non. Cui conſequens eſt, ut eâ repudiatâ nec onera, quæ in privato hærent patrimonio, agnoſcere teneatur, quippe, quæ ſequuntur bona, quibus inhærent. Potuit ſanè populus Regnum deferre ſine obligatione cernendi hæreditatem privati patrimonii, & agnoſcendi onera eidem annexa, cum ex naturâ rei Regnum, & privatum Regis patrimonium ita conjuncta non ſint, ut unum absque altero non poſſit agnoſci, & ſimul creditur ita deferre voluiſſe; ſi enim Regni ſucceſſor privatam ſimul defuncti Regis hæreditatem, & debita eidem inhærentia agnoſcere teneretur, hoc ipſi populo oneri eſſe poſſet, quia, ſi bona privata non ſufficerent, ex publico denique ſolvenda forent. Grot. *dict. loc.* §. *19.*

XXI.

XXI.

Cauſæ autem ob quas populus iſthunc ſuccedendi ordinem elegit, hæ eſſe videntur. Prima, ne Regni ſucceſſor incertus eſſet, & ita Regnum periclitaretur, prout ſubinde evenit in electionibus, quas alia inſuper incommoda comitari ſolent, quæ hoc modo evitantur. Secunda, ut ex ſanguine, & ſplendore natalium major Regi veneratio conciliaretur. Tertia, ut ex genere, & educatione ſpes eſſet præclaræ virtutis, nam eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus; diligentiùs etiam, qui in ſpem Regni educantur, neceſſariis imperandi artibus inſtrui ſolent. Quarta, ut Regni poſſeſſor Regnum magìs curaret, & animoſiùs defenderet, ſi illud iis eſſet relicturus, quos ipſe ob naturalem affectum maximi facit. Grot. *ubi ſuprà.* Puffendorf. *cit. Cap. 7.* §. *12.*

XXII.

Quòd ſi Regnum feudale ſit, & alius ſuccedendi modus obtineat in allodiis, alius in feudis, tunc refert, utrùm Regnum primitùs datum ſit in feudum, vel ex poſt demum tale eſſe cœperit. Illo caſu ſequenda erit Lex ſucceſſionis feudalis, illa ſcilicet, quæ apud quamque gentem tempore primæ inveſtituræ recepta erat. Hoc autem caſu ſucceditur ex Lege, qua in allodiis ſuccedebatur tempore Regni inſtituti, niſi conjecturæ aliò ducant, fieri enim potuit, ut unà cum ſtatu Regni etiam modus ſuccedendi ſit mutatus. Grot. *cit. Cap. 7.* §. *20. & 21. & ibi* Bœcler.

XXIII.

Cœterùm ab hac ſucceſſione multùm differt ſucceſſio linealis, quæ duplex eſt, cognatica, & agnatica. Cognatica, quæ & Caſtiliana vocatur, ac in pluribus Europæ Regnis recepta eſt, conſiſtit in hoc, quòd ceſſante repræſentationis jure futura ſucceſſio, quaſi delata, in poſteros ex primo Rege venientes neceſſariò, certo tamen ordine transmittatur, ita ut primò vocentur liberi primi gradûs, tam qui vivunt, quàm qui mortui ſunt, tum verò inter vivos, & mortuos ratio habeatur primò ſexûs, deinde ætatis, & ſalvâ ſemper transmiſſione mortuorum in vivos, vivorum in mortuos. Si verò

ultimo poſſeſſori liberi deſint, venitur ad alios, qui proximi ſunt, aut ſi viverent proximi forent, ſimili transmiſſione, & inter pares ejusdem lineæ obſervato diſcrimine ſexûs, ac ætatis, ita ut, ob ſexum, aut ætatem nunquam tranſeatur de linea in lineam, ac proinde neptis ex filio præfertur nepoti ex filia, filia ex fratre, filio ex ſorore, filius fratris majoris fratri minori, & ſic in cœteris. Grot. *cit. Cap. 7.* §. *22.*

XXIV.

Succeſſio verò linealis agnatica, quæ & juris francici vulgò dicitur, eò quòd in Regno Galliæ recepta ſit, eſt duntaxat marium in mares, & ob hanc cauſam maximè introducta, ne per fœminarum matrimonia Imperium ad peregrinum ſanguinem deveniret. In utraque autem ſucceſſione lineali in infinitum admittuntur, etiam qui ab ultimo poſſeſſore Regni remotiſſimo gradu diſtant, modò à primo Rege deſcendant. Differunt verò in eo, quòd in ſucceſſione lineali cognatica fœminæ non excludantur, ſed maribus duntaxat in eâdem lineâ poſtponantur, ita ut etiam ad ipſas ſit regreſſus, ſi propiores, aut pares cœterà mares, aut ex maribus defecerint. In ſucceſſione autem lineali agnatica fœminæ, & ex fœminis nati in perpetuum excluduntur, & licèt aliquando agnatis omnibus deficientibus ſubſtituantur cognati, hoc tamen non fit jure ſucceſſionis, ſed liberæ electionis, imò quandóque in caſum deficientis ſucceſſionis agnaticæ diſertis verbis cognatica ſubſtitui ſolet. Grot. §. *23.* *& ibi* Ziegler. Item Puffendorf. *dict. Cap. 7.* §. *13.* Supereſt, ut jam quæſtiones aliquas reſolvamus.

XXV.

Quæritur ergo primò, utrùm filius exhæredari poſſit, ut ne in Regnum ſuccedat? ℞. Diſtinctionem faciendam eſſe inter Regna alienabilia, ſeu patrimonialia, & non alienabilia. In alienabilibus, quin exhæredatio procedat, dubium non eſt, etiamſi nulla cauſa ſubſit, quæ filium reum faciat, modò alia juſta ſubſit cauſa, ut ſi furioſus ſit, vel morbo ſontico laboret, aut aliàs ad Regnum inidoneus eſſe appareat; talia enim Regna patrimonialia hactenùs ſaltem à cœteris bonis nihil differunt, quòd illa non minùs, quàm

hæc

hæc arbitrio Regnantis ſubjecta ſint, licèt in aliis differant. Quæ igitur de exhæredatione aut legibus conſtituta, aut moribus recepta ſunt, etiam in propoſito locum habebunt, quia, ut ſuprà jam diximus, Reges creduntur in iis rebus, in quibus de nullo ipſorum damno agitur, æquiſſimum judicáſſe, quod aut Legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant.

XXVI.

Non tamen eo ipſo, quòd quis à cœteris bonis excluſus ſit, etiam à Regno excluſus eſſe cenſetur; tametſi enim, ùt paulò antè diximus, Regnum patrimoniale non minùs arbitrio Regnantis ſubjectum ſit, quàm cœtera bona, illud tamen ab his diſtinctum manet, nec ex natura rei repugnat, aliquem à reliquis bonis excludi, quin hoc ipſo etiam à Regno ſit excluſus. Certè, qui bona alia à Regno diſtinxit, ſatis oſtendit, ſe nolle, ut exhæredatio etiam ad Regnum pertineat. Bœcler. ad Grot. *cit. loc.* §. *25.*

XXVII.

Sed nec illud conceſſerim, eum, qui grave crimen commiſit in patrem, ſi nulla ſint condonatæ culpæ indicia, ſtatim pro tacitè exhæredato habendum eſſe, quid ſi enim pater graviter offenſus à filio non illicò morte interceptus fuerit, ſed exhæredare potuiſſet, nec tamen ſuum de filio exhærede futuro manifeſtaverit judicium? Nemo ſanè hoc caſu dixerit, eundem pro tacitè exhæredato habendum eſſe, ſed potiùs, eum noluiſſe, ut filius à Regno ſit excluſus. Accedit, quòd pater etiam pro gravi crimine poſſit filio etiam minus exhæredatione ſupplicium velle irrogare: Ergo ex eo, quòd nulla adſint condonatæ culpæ indicia, non continuò inferri poteſt, voluiſſe eum, ut filius à Regno ſit exhæres. Planè populus hac in re ſibi jus interpretandi paternam voluntatem arrogare haud poteſt, cùm nullum examinandæ, & dijudicandæ ſucceſſionis ſibi reſervaverit arbitrium. Idem Bœcler. *cit. loc.*

XXVIII.

Multùm autem intereſt, utrùm pater filium à ſucceſſione Regni excludere velit ex eo capite, quòd is ob mentis, corporísve viti-

 um

um ad imperandum ſit inidoneus, vel ob crimen commiſſum. Illo caſu exhæredatio usque ad alimenta tantùm fieri poteſt. Hoc autem caſu porrò refert, utrùm filius crimen morte dignum commiſerit, vel non. Si prius, etiam ab alimentis excludi poterit. Si verò poſterius, non aliter eundem ab alimentis excludi poſſe putat Grot. quàm ſi ſit, unde ali poſſit. At vix eſſe videtur, ut is, qui grave crimen committere poteſt, ſe ipſum alere non poſſit, niſi forte poſt admiſſum crimen in amentiam, aut ſimilem calamitatem inciderit.

XXIX.

In Regnis verò non alienabilibus pater filium exhæredare non poteſt, vel enim obtinet ſucceſſio hæreditaria, vel linealis. In Regnis hæreditariis populus viam quidem elegit hæreditariam, ſed hæreditariam ab inteſtato, ita ut de Regno teſtandi nullum Regi permitteretur arbitrium. In lineali autem ſucceſſione tacita quædam latet electio populi, ex cujus dono ad ſingulos præſcripto ordine pervenit Regnum, tanquam jam olim populus eos deſignáſſet & creáſſet, quod pater exhæredando intervertere haud poteſt. Planè ſi filius ob grave admodùm crimen contra ſalutem Regis, aut Regni commiſſum ſucceſſione indignum ſe feciſſet, hoc caſu etiam in Regnis hæreditariis, & linealibus exhæredationi locum eſſe exiſtimant Vitriar. *ad ſæpè cit. Cap. 7. Quæſt. 57.* & Hennig. §. *25.* cùm præſumi non poſſit, quòd populus ſucceſſionis ſortem ejusmodi everſori ſalutis publicæ voluerit deferre, quod in theſi quidem non improbo, at in hypotheſi res difficultatem habere poteſt, utrùm ſcilicet crimen commiſſum tantum, ac tale ſit, ut populus cenſeatur in prima delatione talem voluiſſe à ſucceſſione excludere, cujus dubii deciſionem Rex ſibi ſoli vindicare haud poteſt, ſed potiùs id pertinet ad populum, niſi ergo appareat, hoc Regis arbitrio relictum fuiſſe, exhæredatio, contradicente populo, nullum habebit effectum.

XXX.

Quæritur ſecundò, utrùm abdicatio parentis pro ſe, & liberis facta liberis noceat? ℞. Intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non patrimoniale. Si patrimoniale, dubium non eſt, quin abdicatio

dicatio patris liberis noceat, quia talis abdicans nihil ampliùs in eos transferre poteſt. Si verò Regnum ſit non patrimoniale, tunc vel eſt hæreditarium, vel eſt lineale. Si hæreditarium, vel liberi tempore abdicationis jam nati, aut ſaltem concepti erant, vel nequidem erant concepti. Illo caſu porro refert, utrùm abdicans ſit primus acquirens, vel unus ex deſcendentibus primi acquirentis. Si primus ſit acquirens, abdicatio patris liberis nocet, modò ſimul conſenſus populi acceſſerit, quia liberi abdicantis vel nullum planè jus, ſed ſpem tantùm ſuccedendi habent, vel ſi jus habent, illud conditionatum duntaxat eſt, quod cum in pacto inter patrem, & populum inito fundatum ſit, etiam patris abdicatione, accedente populi conſenſu rurſùm adimi poteſt, uti enim pactum illud utriusque voluntate coaluit, ita & utriusque voluntate ab eo recedi poterit, quo facto nulla ampliùs ſpes, aut jus ſuccedendi liberis abdicantis ſupereſſe poteſt: Si verò populi conſenſus non acceſſerit, abdicatio patris liberis non nocet, quia à pacto pater ſine populi conſenſu recedere haud poteſt. Quod ſi abdicans unus ſit ex deſcendentibus primi acquirentis, res difficultate non caret; ſi enim pater Regnum abdicaverit, non apparet, quomodo liberi in eo, quod tempore mortis non ampliùs habet, eidem ab inteſtato ſuccedere queant, quæ ratio Grot. *ſæpè cit. Cap. 7. §. 26.* movit, ut dixerit, abdicationem patris in Regnis hæreditariis liberis nocere. At dici poteſt, abdicantem habendum eſſe pro mortuo, ita ut liberis ſtatim, poſtquam abdicavit, & non demùm poſt ejus mortem ex pacto primi acquirentis pateat ſucceſſio, tametſi populus abdicationem paternam acceptâſſet, licèt enim dicatur, liberos ſpem tantùm ſuccedendi habere, illis tamen ex pacto primi acquirentis jus quæſitum eſt, ne hæc ſpes ipſis invitis auferatur. Sic licèt ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes ſit debitum iri §. *4. Inſtit. de V. O.* illa tamen ſpes ſtipulatori invito auferri non poteſt. Accedit, quòd primum acquirentem non ſolus abdicans, ſed omnes deſcendentes ſimul ſumpti repræſentent: Ergo ad hoc, ut pactum primævum tollatur, neceſſe eſt, ut præter voluntatem populi omnium ſimul deſcendentium conſenſus concurrat, quod ſi non fiat, pactum non tollitur, ac proinde nec ſpes ſuccedendi in pacto fundata liberis abdicantis aufertur. Si verò liberi tempore abdicationis nondum concepti

cepti fuerint, ſed poſtea primùm ſupervenerint, abdicatio patris ipſis utique nocebit, modò illa à populo fuerit acceptata, cùm enim eo tempore nondum extiterint in rerum naturâ, nullam quoque ſpem ſuccedendi tunc habuerunt, quia rei non exiſtentis nulla ſunt accidentia, ac per conſequens citra eorum injuriam pactum primævum populi, & Regis conſenſu hàc in parte tolli potuit. Idem hoc caſu obtinet, ſi quis Regnum lineale pro ſe, & liberis abdicaverit, modò abdicatio à populo fuerit acceptata, ſecùs enim abdicatio liberis poſtea natis non noceret, quia pater impedire non poteſt, quò minùs ſuo tempore, ubi ſcilicet nati fuerint, jus ad illos tranſeat ex populi dono. Unde non obſtat, quod Regnum abdicatum non poſſit tranſire, cùm hoc eo tantùm caſu procedat, quo transmiſſio ex voluntate transmittentis dependet. At in propoſito transmiſſio non dependet ex arbitrio parentum, ſed jus, ut dixi, ad liberos tranſit ex dono populi. Quòd ſi verò liberi tempore abdicationis jam nati, aut ſaltem concepti fuerint, factum patris ipſis nocere non poteſt, quia ſimul ac in rerum naturâ exiſtere cœperunt, illis jus proprium quæſitum eſt, ex Lege ſucceſſoria, ſeu pacto primævo, quod invitis nequidem accedente populi conſenſu auferri poteſt. Confer Grot. *Lib. 2. Cap. 4. §. 10. num. 2. & cit. Cap. 7. §. 26.*

XXXI.

Quæritur tertiò, utrùm filius ante Regni adeptionem natus præferendus ſit ei, qui in Regiâ fortunâ natus eſt? Placet affirmativa; vel enim Regnum eſt patrimoniale, vel non patrimoniale. Si patrimoniale, cenſetur pater eo tempore, quo Regnum adeptus eſt, eidem, utpote aliis liberis tunc non extantibus, jam deſtinâſſe Imperium, in qua voluntate hoc ipſo perſeverâſſe præſumitur, quòd poſtea non indicaverit contrarium. Certè in Regno dividuo talis primogenitus partem ferret, ut in cœteris bonis, in quibus tempus acquiſitionis haud inſpicitur: Ergo in Regno individuo alteri ob ætatis privilegium præfertur. Si verò Regnum ſit non patrimoniale, in poſteros tamen tranſitorium, ideò præferendus is erit, quia familiæ, aut deſcendentium nomine non minùs continetur, quàm alter, ac proinde cùm populus alicui, & ejus deſcendentibus, vel familiæ

familiæ Regnum defert, non tantùm naſcituris, ſed etiam natis deferre intelligitur. Accedit, quòd filius ante Regni adeptionem natus patri in Regno ſuccedat, ſi alius ei filius poſtea non naſcatur: Ergo ſuccedit etiam, ſi naſcatur; vel enim Regnum lineale eſt, vel hæreditarium. Si lineale, ſimul ac Regnum à patre acquiſitum eſt, jus partum eſt filio antea nato, quod ob id, quia alius poſtea filius naſcitur, non ceſſat. Si hæreditarium, ſpes ſuccedendi itidem tam parùm expirat, quàm parùm expiraret, ſi, qui ante Regni adeptionem natus eſt, & ipſe in Regiâ fortunâ natus eſſet. Aliud dicendum de filiâ ante Regni adeptionem natâ, quæ per filium poſtea natum ob ſexûs prærogativam ſemper excluditur, ac proinde ſpes ſuccedendi, quam illa habet, interim ſuſpenditur. Denique filius ſuccedit patri in feudo, tametſi ante feudum obtentum natus ſit: Ergo etiam ſuccedit patri in Regno, tametſi ante Regni adeptionem natus ſit, ac per conſequens, ſi regnum ſit individuum, ob ætatis prærogativam filio poſtea nato præfertur. Hoc autem, quod hactenus diximus, ita demum procedit, ſi peculiari alicujus populi Lege aliter cautum non ſit, velut apud Spartanos cautum erat, ut natus ex Rege ob educationem magis accuratam præferatur ei, qui ante Regni adeptionem natus eſſet. Idem accidere poteſt ex Lege primævæ inveſtituræ, ut ſi Imperium detur in feudum alicui, & ex eo naſcituris, quâ formulâ filius antè natus haud dubiè excluderetur. Confer. Grot. *dict. Cap. 7.* §. *28. & 29. & ibi* Bœcler.

XXXII.

Quæritur quartò, utrùm nepos ex filio priore filio poſteriori præferendus ſit? ℞. Intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, porro refert, utrùm jus repræſentationis in illo Regno receptum ſit, vel non. Illo caſu is potior erit, qui alterum ætate præcedit. Hoc autem caſu nepos tanquam gradu remotior per filium poſteriorem excluditur. Si verò Regnum ſit non patrimoniale, tunc vel eſt lineale, vel hæreditarium. Si lineale, nepos, tametſi ætate minor ſit, filio poſteriori præfertur, imò in cognatico etiam neptis præfertur. Ratio eſt, quia in ſucceſſione lineali mortui jus ſuccedendi in liberos transmittunt, ita ut nec ætas, nec ſexus efficere poſſit, ut linea, in quam ſe-

mel tranſiit, deſeratur. Si verò Regnum ſit hæreditarium, tunc vel eſt dividuum, vel individuum. Si dividuum, itidem refert, utrùm in illo Regno obſervetur jus repræſentationis, vel non. Si obſervetur, nepos ex filio priore, & filius poſterior concurrent ad partes, utut in aliquâ Lege mentio fiat proximi, quia hoc nomine etiam ille venit, quem Lex in proximum gradum perducit, aliàs enim jus repræſentationis inutile foret. Si verò non obſervetur, nepos tanquam remotior per filium poſteriorem excluditur. Quodſi Regnum ſit individuum, & jus repræſentationis in ea Regione locum habeat, tunc potior erit is, qui ætate præcedit, in Regnis enim hæreditariis non ſucceditur in ætatis privilegium, ac proinde licèt filius prior, ſi viveret, filio poſteriori præferretur, non tamen filii prioris filius præfertur ſuo patruo, niſi ſuppoſito repræſentationis jure ille ætate major, hic minor ſit. Si autem jus repræſentationis in ea Regione locum non habeat, tunc filius poſterior, tanquam gradu proximior, nepoti, utpote remotiori haud dubiè præfertur. Confer. Grot. *ubi ſuprà* §. *30*.

XXXIII.

Eædem prorſus diſtinctiones adhibendæ ſunt in caſu, quo nepos ex fratre Regis priore cum fratre Regis poſteriore concurrit. Unde ne Lectori faſtidium pariam, eas non repeto, ſed hoc ſolùm addo, quòd quibusdam in locis jus repræſentationis in linea collaterali receptum non ſit, tametſi illud in lineâ rectâ deſcendentium locum habeat.

XXXIV.

Quæritur quintò, quid dicendum ſit, ſi nepos, aut etiam neptis ex fratre Regis concurrat cum patruo Regis? ℟. Rurſus intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, porro refert, utrùm ſit paternum, vel avitum, aut noviter acquiſitum. Illo caſu excluſo patruo Regis ſuccedit nepos, aut etiam neptis ex fratre Regis, tametſi jus repræſentationis in lineâ collaterali receptum non ſit; ad Regnum enim paternum, vel avitum, ut ſuprà dixi, poſt liberos defuncti ex præſumpta ejusdem voluntate referendi gratiam primò vocantur liberi ejus, à quo Regnum

num proximè provenit. Si verò Regnum non à patre, ſed eo fortè præmortuo, immediatè ab avo ad defunctum perveniſſet, inter patruum Regis, & nepotem, vel neptem ex fratre Regis obſervanda foret imprimis prærogativa ſexûs, deinde ætatis. Hoc autem caſu ulteriùs intereſt, utrùm jus repræſentationis in linea collaterali receptum ſit, vel non. Si receptum ſit, nepos, vel etiam neptis patruo præfertur. Si verò non ſit receptum, inter patruum Regis, & nepotem, vel neptem ex fratre Regis, tanquam in gradu pares itidem obſervatur imprimis prærogativa ſexûs, deinde ætatis. Quòd ſi Regnum non ſit patrimoniale, tunc vel eſt lineale, vel hæreditarium. Si lineale ſit, nepos, & in cognatico etiam neptis ex fratre Regis patruo Regis præfertur. Si verò hæreditarium ſit, denuo refert, utrùm in illo Regno ſubitio in locum mortui obſervetur, vel non. Illo caſu idem dicendum eſt. Hoc autem caſu, cùm in gradu pares ſint, vincet ille, qui ſexu, aut ætate potior erit.

XXXV.

Planè illud dubium non eſt, quin nepos ex filio Regis ob ſexûs prærogativam in omni ſucceſſione præferatur filiæ Regis, niſi quæſtio ſit in ea Regione, ubi etiam inter liberos ſolus inſpicitur gradus, non item ſexus. Grot. §. *33*.

XXXVI.

Quæritur ſextò, utrùm nepos minor ex filio Regis præferatur nepoti majori ex filia Regis? ℞. Rurſùs intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, ob ætatis prærogativam præfertur nepos major ex filiâ Regis. Si verò ſit non-patrimoniale, tunc vel eſt lineale, vel hæreditarium. In lineali, ſive agnaticum ſit, ſive cognaticum, nepos ex filia Regis excluditur, nam in agnatico tam parùm ſuccedere poſſunt maſculi ex fœminis nati, quàm parùm ſuccedere poſſunt ipſæ fœminæ, in cognatico autem ob ætatem, aut ſexum nunquam tranſitur de linea in lineam. Si verò Regnum ſit hæreditarium, nepos major ex filia Regis nepoti minori ex filio ob prærogativam ætatis præfertur, niſi ſpecialis Lex extet, quæ contrarium diſponat; tametſi enim pater nepotis minoris, ſi viveret, ſorori ſuæ, ſeu matri nepotis majoris

Q 2 præfer-

præferretur, ex hoc tamen non ſequitur, quòd etiam nepos minor ex filio præferendus ſit nepoti majori ex filia, quia illud eveniret ob differentiam ſexûs, in propoſito autem nepos minor ex filio Regis, & nepos major ex filia, gradu, & ſexu ſunt pares, ac proinde prævalebit prærogativa ætatis.

XXXVII.

Quæritur ſeptimò utrùm neptis ex filio Regis primogenito præferatur filio Regis ſecundo genito, ſeu patruo ſuo? ℞. Denuo intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, neptis non præfertur, ſed ipſius patruus, ſeu filius Regis ſecundo genitus, etiam ſuppoſito repræſentationis jure, ob prærogativam ſexûs potior erit. Si verò ſit non-patrimoniale, tunc vel eſt lineale vel hæreditarium. Si lineale, porrò refert, utrùm ſit agnaticum, vel cognaticum. Si agnaticum, excluſâ nepte ſuccedit filius ſecundo genitus. Si verò cognaticum ſit, neptis ex filio Regis primogenito patruo ſuo præfertur. Quodſi Regnum hæreditarium ſit, filius Regis ſecundo genitus, etiam admiſſâ repræſentatione, nepti ex filio Regis primogenito præfertur, cùm jus repræſentationis hoc tantùm operetur, ut neptis capax ſit ſucceſſionis, inter capaces autem prævalere debet ſexûs privilegium.

XXXVIII.

Ob eandem rationem frater Regis minor in Regno hæreditario præfertur filiæ ex fratre Regis majore, tametſi ille in Regno lineali cognatico poſtponeretur. Atque ex his, quæ hactenus diximus, & alii ſimiles caſus decidi poſſunt. At

XXXIX.

Quid ſi ſuper ſucceſſione Regni hæreditarii, vel linealis inter duos, pluréſve controverſia oriatur, quiſnam erit judex? ℞. I. Regem modò regnantem judicem propriè loquendo non eſſe, ita ut is ejusmodi controverſiam, quæ fortè eo vivente jam agitari cœpit, per modum juriſdictionis, ſeu pro Imperio decidere poſſit; tametſi enim perſonas, inter quas lis ſuper futurâ ſucceſſione exorta eſt, Imperio Regnantis ſubjectas eſſe ponamus, hoc tamen non ſufficit,

ſed

ſed & cauſa, ſuper qua controvertitur, ejus jurisdictioni ſubjecta eſſe debet. Atqui cauſa ſucceſſionis non eſt ſubjecta Regi modò regnanti, quia ſucceſſio in Imperio non eſt ſub jure Imperii, ſed manſit in ſtatu naturali, cum fundetur in pacto primævo inter populum, & primum acquirentem inito, quod ſub jure Imperii haud eſt: Ergo &c. Interim non diffiteor, quin extent exempla Regum, qui authoritate, & meritis ſuis confiſi ampliorem hac in re ſibi aſſeruerunt poteſtatem, quàm aliàs indoles Regnorum liberorum ferat. ℞. II. Neque populum propriè, ſeu de judicio jurisdictionis loquendo judicem eſſe; nam primò populus in eos, inter quos ſuper ſucceſſione Regni lis exorta eſt, nullam prorſus jurisdictionem habet, quia omnem à ſe jurisdictionem abdicavit, & in Regem, ac Regiam familiam transtulit, qua proinde durante, nullas habet ejus reliquias: Ergo nec per modum jurisdictionis inter eos pronunciare poteſt. Deindè, ut paulò antè dixi, ſucceſſio in Imperium manſit in ſtatu naturali, quia fundatur in pacto primævo, ſuper quo populus tam parum cognoſcere poteſt tanquam judex, quàm parùm id poteſt Rex, uti enim populus deferens Regnum, & primus acquirens tanquam compaciſcentes æquales ſunt, & quà tales nemini ſubjecti, ita nec pactum, quo defertur ſumma poteſtas civilis, ullius Imperio, & Jurisdictioni ſubjectum eſſe poteſt. Patet igitur, quòd ejusmodi controverſiæ per modum jurisdictionis, ſeu pro Imperio decidi haud poſſint, nec tamen propterea ſequitur, quòd ob cauſam nondum liquidam ſtatim ad arma decurrendum ſit, ſed rationi naturali congruit, ut vel pactum primævum, ſi de eo dubium inciderit, novâ pactione declaretur, ubi & Rex, & populus, & cœteri ex familia Regnatrice ſuperſtites ſinguli ſuum habent, ſuffragium, ita ut nemo diſſentiens reliquorum arbitrio ſtare teneatur, cùm inter liberè paciſcentes pluralitas votorum non prævaleat, vel ſi de primævâ populi voluntate quæſtio ſit, ut interpretatio à populo petatur, quippe qui idem eſſe cenſetur cum eo, qui olim fuit, quam etiam populi interpretationem ſequi oportet, niſi ſatis certò conſtet, aliam olim fuiſſe populi voluntatem, & ex eâ jus alteri quæſitum, aut aliàs ex verbis deferentium appareat, quòd à populo non, ut arbitro, ſed ut conſultore, ſeu absque obligatione ejus interpretationem ſequendi, petita fuerit interpretatio, vel de-

nique ſi unus fortè competitorum conqueratur, ſtudia populi magis in alterum, quàm in ipſum propendere, ut res deferatur ad arbitros neutri partium addictos, & quorum nihil intereſt, utrùm hic, vel ille rerum potiatur. Confer. Grot. *ſæpè cit. Cap. 7.* §. *27. & ibi* Bœcler. Item Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 7.* §. *15.*

§. V.

De Translatione ſummæ poteſtatis per occupationem bellicam.

SUMMARIA.

I. *Invito ſummo Imperante transfertur poteſtas civilis per occupationem bellicam, modò bellum ſit juſtum.*

II. *Quàm variè Imperium jure belli acquiri poſſit?*

III. *Utrùm Rege capto ſimul etiam Imperium quæſitum ſit?*

IV. *Non ultra jure naturæ in bello etiam juſto victori acquiritur Imperium, quàm quatenus eidem ab hoſte debetur.*

V. *Laudabile eſt ſummo jure in victos abſtinere, modò ſine injuria in pace vivere liceat.*

VI. *Afferuntur variæ ſpecies moderatæ victoriæ.*

VII. *Si bellum injuſtum ſit, victor in civitatem, aut civitatis partem armis ſubactam ſummam poteſtatem non conſequitur.*

VIII. *Niſi invaſionis vitium poſtea fuerit purgatum, quòd fit, ſi populus ſui juris ex poſt ultrò in talem invaſorem vel expreſsè, vel tacitè conſentiat.*

IX. *Si verò ſui juris non ſit, vitium invaſionis non purgatur, tametſi populus ſpontè in invaſorem conſentiat.*

X. *Utrùm in ſtatu Monarchico morte veri Imperantis, vel ejus transactione, aut derelictione vitium invaſionis purgetur?*

XI. *Jure Gentium externo bellum publicum etiam ex injuſtâ cauſâ ſuſceptum pro juſto habetur.*

I.

DIſpeximus, quomodo ſumma poteſtas transferatur in alterum eo, penes quem exiſtit, volente. Supereſt, ut jam videamus, quomo-

quomodo illa transferatur eo invito, quod fit per occupationem bellicam, modò bellum ex juſtâ cauſâ fuerit ſuſceptum, ſuppoſitâ enim belli juſtitiâ, Imperium victori compenſationis modo cedit pro eo, quod eidem ab hoſte debetur. Certè ſi occupatione bellicâ nobis quærere poſſumus dominium in res hoſtiles, etiam armis nobis comparare poſſumus Imperium in populum hoſtilem, & cum victor in bello juſto ſingulos ſibi ſubjicere poſſit ſervitute perſonali, etiam univerſos ſibi ſubjicere poterit ſervitute civili.

II.

Acquiritur autem Imperium jure belli vel ita, ut, quæ civitas fuerat, civitas maneat, vel ut civitas eſſe deſinat. Manente civitate Imperium acquiritur vel tantùm ut eſt in Rege, alióve imperante, vel etiam ut eſt in populo. Illo caſu in Imperantis ſaltem jus ſucceditur, non ultra. Hoc autem caſu victor Imperium habet ita, ut & alienare poſſit, ſicut populus poterat, ſitque hoc Regnum patrimoniale. Non manente civitate acquiritur Imperium, ſi populus devictus alteri civitati adjungatur, quod duplici modo fieri poteſt. Primò, ut ſinguli civilium honorum participes fiant, prout Reges, & primi Conſules Romani fecerunt, qui hoc maximè auxerunt urbem, quòd victos populos migrare Romam cogerent, & eis jus civitatis darent. Secundò, ut pro ſubjectis tantùm, & tributariis habeantur, uti Romanorum Provinciæ erant. Vid. Grot. *Lib. 3. Cap. 8. §. 1. num. 3. & §. 2.*

III.

Quæri hoc loco poteſt, utrùm Rege duntaxat capto, ſimul etiam Imperium quæſitum ſit? ℞. Intereſſe, utrùm inter populos bellantes vetera captivitatis, & ſervitutis jura etiamnum obſerventur, vel non. Si etiamnum obſerventur, porro refert, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non. Si patrimoniale, Rege capto etiam Imperium quæſitum eſſe exiſtimo, quia unà cum captivo ſimul etiam omnes ipſius res, non tantùm corporales, ſed & incorporales in conſequentiam, mediâ ſcilicèt perſonâ, acquiruntur, qui enim dominus eſt perſonæ, idem etiam dominus eſt rerum, & juris omnis, quod perſonæ competit, niſi tale jus ſit, quod ex ſingulari perſonæ proprie-

proprietate profluit, ut jus patrium, & poteſtas maritalis, aut qui captus eſt, antea in civitate vixerit, quo caſu receptum eſt, ut res captivi in civitate exiſtentes ad alios ejus civitatis devolvantur, aut illis non extantibus bonis publicis accreſcant. Grot. *Lib. 3. Cap. 7.* §. *4. & Cap. 8.* §. *4.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 6.* §. *22* Hennig. ad Grot. *Lib. 3. Cap. 9.* §. *6.* Si ergo cœtera ejusmodi captivi Regis jura victori cedunt, etiam jus Imperii eidem cedere neceſſe eſt, cùm jus Imperii à cœteris rebus patrimonialibus in propoſito nihil differat. Deinde Regnum patrimoniale Rex pleno, & abſoluto jure proprietatis tenet, ita ut populus ei ſubditus nihil prorſùs juris habeat: Ergo licèt hic ſimul devictus non ſit, id tamen acquiſitionem Imperii impedire haud poteſt. Accedit, quòd propriè loquendo jure belli non tam acquirantur ſubditi, quàm potius jus perpetuum eos regendi, quà populus ſunt: Ergo licèt ſimul devicti non ſint, victori tamen Imperium in eos acquiritur. Si verò Regnum ſit non-patrimoniale, Imperium Rege duntaxat capto ſimul quæſitum non eſt, quia populus deferens Regnum non promiſcuè quemlibet ſpectavit, ſed certam tantùm perſonam, vel familiam, ac proinde citra populi voluntatem in alios transferri haud poteſt, niſi ſimul & ipſe populus jure belli ſubactus ſit. Quòdſi vetera captivitatis, & ſervitutis jura non ampliùs inter bellantes obſerventur, certum eſt, quòd, Rege duntaxat capto, Imperium victori haud acquiratur, tametſi Regnum ſit patrimoniale, cùm acquiſitio illa univerſalis acceſſio ſit dominii in perſonam, ac per conſequens ceſſante dominio in perſonam, etiam ceſſet univerſalis illa acquiſitio. Grot. *Cit. Lib. 3. Cap. 21.* §. *28.*

IV.

Non tamen ultrà jure naturæ in bello etiam juſto victori acquiritur Imperium, quàm quatenus eidem ab hoſte debetur, debitum autem intelligo non tantùm primarium, unde ortum eſt bellum, ſed & quod propter impenſas factas, ac damna in ipſo bello ab altero illata, ſubnatum eſt. Sic in diſceptatione cum Antiocho Romani impenſam, quæ in bellum facta eſſet, omnem præſtare Regem æquum cenſebant, cujus culpâ bellum excitatum eſſet. Liv. *Lib. 37. Cap. 35. propè fin.* Item apud Juſtin. *Lib. 31. Cap. 7.* leges pacis di-

cuntur

cuntur, ut Aſia Romanis cederet, contentus Syriæ Regno eſſet, naves univerſas, captivos, & transfugas traderet, ſumptúmque omnem belli Romanis reſtitueret. Grot. *cit. Lib. 3. Cap. 13.* §. *3.*

V.

Cœterùm quamquam victor Imperium in populum devictum ſibi poſſit aſſerere, laudabile tamen eſt, ſummo jure in victos abſtinere, modò ſine injuriâ in pace vivere liceat; quæ enim in ſingulos aut exigitur æquitas, aut laudatur humanitas, tantò magis in populos, aut populorum partes exigitur, aut laudatur, quantò in multos inſignior eſt & injuria, & beneficentia. Criſpus Saluſt. de Romanis veteribus, *Majores noſtri*, inquit, *religioſiſſimi mortales nihil victis eripiebant*, *præter injuriæ licentiam.* Et S. Auguſtin. *Lib. 4. de Civit. Dei Cap. 15.* negat, ad virum bonum pertinere, gaudere de Imperii latitudine, addens, majorem felicitatem eſſe, vicinum habere concordem, quàm vicinum malum ſubjugare bellantem. Grot. *dict. Lib. 3. Cap. 15.* §. *1. & 2.*

VI.

Sunt autem plures moderatæ victoriæ ſpecies. Prima, & nobiliſſima eſt, eripere duntaxat victis facultatem nocendi, quâ per laſciviam malè uſi erant, cœtera autem ex miſericordia remittere. Altera, victos victoribus miſcere, ut unus fiat populus, iisdem legibus vivens, ſimili libertate fruens, ut Seneca *Lib. 2. de Ira Cap. 34.* veteres Romanos feciſſe ſcribit. *Conditor noſter Romulus*, ait Claudius apud Tacit. *Lib. 11. Annal. Cap. 24. num. 7. tantum ſapientiâ valuit*, *ut pleróſque populos eodem die hoſtes*, *dein cives habuerit*, & num. 6. *quid aliud Lacedæmoniis*, *& Athenienſibus*, *quamquam armis pollerent*, *exitio fuit*, *niſi quòd victos pro alienigenis arcebant?* Exempla hujus rei extant in hiſtoriis Sabinorum, Albanorum, Latinorum, & aliorum ex Italia. Unde rectè Liv. *Lib. 1. Cap. 33.* rem Romanam hoſtibus in civitatem recipiendis auctam eſſe dixit. Tertia moderatæ victoriæ ſpecies eſt, victis aut Regibus, aut populis relinquere, quod habuerant Imperium, quod non tantùm humanitatis, ſed ſæpè etiam conſilii eſt. Laudat ſanè hoc Seneca *Lib. 1. de Clem. Cap. 21.* nihil ex Rege victo præter gloriam ſumere. Narrat Juſtin.

Lib. 1. Cap. 1. ex Trogo, eos, qui ante Ninum bella geſſerant, non Imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quæſiiſſe, & contentos victoriâ abſtinuiſſe Imperio. Ut verò victoris ſimul conſulatur ſecuritati, vel præſidia imponi, vel tributa devictis imponi poſſunt, aut etiam juberi, ut tradant arma, claſſem, ut non habeant arces, exercitum &c. Interdum victores in devictis civitatibus formam Regiminis tantùm mutabant, & ad ſuam Rempublicam accommodabant, ut Lacedæmonios ſub Primorum potentiâ, & initio Athenienſes ſub arbitrio populi feciſſe nos docet Ariſtoteles *de Republ. Lib. 4. Cap. 11. & Lib. 5. Cap. 7.* Quodſi minùs tutum ſit, omni in victos Imperio abſtinere, res tamen ita temperari poterit, ut aliquid Imperii relinquatur ipſis, aut ipſorum Regibus. Sed &, cùm omne Imperium victis eripitur, relinqui tamen illis poſſunt circa res privatas, & publicas minores ſuæ Leges, ſuique mores, & Magiſtratus. Denique in Imperio, etiam pleniſſimo, & quaſi herili victi clementer, & ita habendi ſunt, ut eorum utilitates cum utilitatibus victoris ſocientur, útque videatur mutatus tantùm Rex, maneant ipſis domus, agri, & cœtera, ut antea fuit. Quin ſiquis injuriam ipſis faciat, ut ipſe, & ſui ſint vindices, ſicut Cyrus ad victos Aſſyrios ajebat, ſecùs parùm firmum erit Imperium, nec enim credendum eſt, ullum vel hominem, vel populum in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutiùs, quàm neceſſe ſit, manſurum. Confer. Grot. *ſuprà cit. Cap. 15. §. 3. & ſeqq.*

VII.

Quòdſi verò bellum injuſtum ſit, victor in civitatem, aut civitatis partem armis ſubactam ſupremam poteſtatem non conſequitur, bellum enim injuſtum ſapit naturam latrocinii; nam ut rectè D. Auguſtin. *Lib. 4. de Civit. Dei Cap. 6.* ait: *Inferre bella finitimis, & inde in cœtera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſolâ Regni cupiditate conterere, & ſubdere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum eſt?* Hinc titulus habilis non eſt ad conferendum Imperium, ſicut rapina titulus habilis non eſt ad conferendum dominium privatum in res raptas. Fallitur ergo Hornius, dum *Lib. 2. de Civit. Cap. 9. §. 3.* ſcribit, invaſorem etiam injuſtum, quoties ſubditi adeò ſuperati ſint, ut nullas victori reſiſtendi vires habeant, ſolâ vi-

ctoriâ

ctoriâ ſine conſenſu populi Imperium accepiſſe intelligi eo ipſo, quod conſtrictam univerſæ multitudinis potentiam teneat, & victis pepercerit; nam pari ratione etiam latroni Imperium herile quæſitum eſſe dixeris, ſi viatorem ita conſtrictum teneat, ut is nullas eidem reſiſtendi vires habeat, & ita conſtricto vitam ſervet. Uti ergo capti à pyratis, & latronibus liberi permanent. *L. 19. §. 2. & L. 24. ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* ita & populus ſui juris, ſi bello injuſto ſubactus ſit, liber permanebit. Nec quidquam in contrarium facit, quòd victor victis pepercerit; licèt enim latro viatori parcat, non tamen propterea viator fit ſervus latronis: Ergo neque populus ſui juris injuſto ſubjicitur oppreſſori, tametſi hic eidem parcat; nimirum pro beneficio reputari haud poteſt, ſi parcatur illi, qui ſine ſcelere occidi nequit.

VIII.

Quamvis autem victor in civitatem, aut civitatis partem bello injuſto ſubactam ſummum Imperium non conſequatur, fieri tamen poteſt, ut ſucceſſu temporis iniquitas invaſionis purgetur, & Imperium illegitimè partum legitimum fiat. Ubi tamen intereſt, utrùm populus injuſto bello ſubactus ſui juris ſit, vel ſub Regis, aut procerum Imperio exiſtat. Si ſui juris ſit, vitium invaſionis purgatur, ſi populus ex poſt ultrò in talem invaſorem conſentiat, vel argumenta ſpontaneæ ſubjectionis præbeat, *ex poſt*, inquam, *& ultrò*, nec enim ab eo ſtatim tempore, quo populus devictus ex metu gravioris mali victoris arbitrio ſe dedidit, invaſionis vitium purgatum eſſe dixerim, cum metus injuſtus non tantùm actiones hominum privatas, ſed & publicas inficiat, eúmque, qui metum intulit, ad reſtitutionem obliget, etiamſi rei per vim extortæ dominus factus eſſe ſupponatur. Igitur aliquod temporis intervallum, quo populus invaſorem patienter ſuſtineat, intercedat neceſſe eſt; & quamvis Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 7. §. 4.* etiam ex modici temporis patientia conſenſum populi præſumi poſſe arbitretur, ſi invaſor Rempublicam benè gubernaverit, in hoc tamen eidem aſſentiri haud poſſum, quia vix eſt, ut metus populo incuſſus tam citò evaneſcat, præſertim cùm ejusmodi invaſores in poſſeſſione ſuâ iniquâ plerúmque violentis etiam mediis, aut ſaltem minis ſe firmare ſoleant, niſi

ergo fortiores accedant conjecturæ, ex modici temporis patientiâ non videtur populi in invaſorem conſenſus colligi poſſe, ut rectè etiam advertit Dn. P. Schmier *in J. P. U. Lib. 2. Cap. 2. Sect. 2. §. 1. num. 94.*

IX.

Si verò populus ſub Regis, aut Procerum Imperio exiſtat, iniquitas invaſionis non purgatur, tametſi populus, ſponte in invaſorem conſenſerit, cùm illis, qui jus imperandi habent, ſumma poteſtas ſolâ populi voluntate auferri haud poſſit. Unde in ſtatu Ariſtocratico ſimul neceſſe eſt, ut vel Optimates omnes deceſſerint, vel eo nomine tranſegerint, aut Imperium dereliquerint.

X.

In ſtatu autem Monarchico morte veri imperantis, vel ejus transactione, aut derelictione, etiam ſuppoſito in uſurpatorem populi conſenſu, non continuò purgatur vitium invaſionis, ſed refert, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale transactione, aut derelictione Imperantis purgatur quidem vitium invaſionis, non autem expulſi Regis morte, niſi is ſine hærede deceſſerit, aliàs enim Regnum unà cum cœteris bonis patrimonialibus ad ejus hæredes transmittitur. Si verò Regnum ſit non-patrimoniale, ulteriùs intereſt, utrùm ſit electivum, vel ſucceſſorium. Si electivum, vitium invaſionis ſuppoſito populi in invaſorem conſenſu, utique purgatur, ſive deinde Rex dejectus deceſſerit, ſive eo nomine tranſegerit, ſive Imperium dereliquerit. Si verò ſucceſſorium ſit, tunc vel eſt hæreditarium, vel lineale. Si hæreditarium, morte quidem expulſi Regis iniquitas invaſionis non purgatur, cùm ab ordine ſuccedendi per pactum expreſſum, vel tacitum inter Regnantem, & populum conſtituto unus ſine altero recedere haud poſſit. Utrùm autem non ſaltem ejus transactione, vel derelictione ſive expreſſâ, ſive præſumptâ vitium invaſionis purgetur, adeò expeditum non eſt, niſi fortè præter Regem expulſum nemo ex familiâ Regnatrice ſuperſit, tunc enim dubium non eſt, quin eo jus ſuum abdicante Imperium illegitimè partum legitimum fiat; vel enim ex poſt cum ipſo familia Regnatrix deficit, vel

non.

non. Illo caſu Rege jus ſuum abdicante Imperium aliàs ſtatim reverteretur ad populum: Ergo ſi hic ultrò in invaſorem conſenſiſſe, vel argumenta ſpontaneæ ſubjectionis præbuiſſe ponatur, non poteſt non vitium invaſionis eſſe purgatum. Hoc caſu Rege jus ſuum abdicante, Imperium ſecluſo populi in invaſorem conſenſu, itidem ſtatim reverteretur ad populum: Ergò poſito populi conſenſu tranſit in invaſorem: nec obeſt, quòd Regi abdicanti liberi poſtea naſcantur, nam cùm tempore abdicationis illi nondum extiterint in rerum natura, nullam quoque ſpem ſuccedendi tunc temporis habuerunt, quia rei non exiſtentis nulla ſunt accidentia, ac proinde citra eorum injuriam pactum primævum populi, & Regis ſuperſtitis conſenſu tolli potuit. Si autem tempore abdicationis plures ex familiâ regnatrice, qui ſpem ſuccedendi habent, ſuperſint, iniquitas invaſionis Regis transactiône, vel abdicatione non aliter purgatur, quàm ſi is primus ſit acquirens. Vid. §. *præced. num. 30.* Si denique Regnum lineale ſit, vitium invaſionis non purgatur, ſive deinde Rex expulſus deceſſerit, ſive eo nomine cum uſurpatore tranſegerit, ſive Imperium dereliquerit, niſi fortè præter eum nemo ex familia Regnatrice ſuperſit, quàm primùm enim quisque in rerum natura exiſtere cœpit, ſtatim ex pacto primævo ei jus proprium quæſitum eſt, quod abdicatione Regis expulſi invito auferri haud poteſt. Grot. *Lib. 2. Cap. 7.* §. *26.*

XI.

Planè licèt, ſi bellum injuſtum ſit, victor jure naturæ ſummam poteſtatem non conſequatur, niſi iniquitas invaſionis purgetur, jure tamen gentium externo bellum publicum etiam ex injuſtâ cauſâ ſuſceptum pro juſto, ac proinde etiam Imperium ita partum pro legitimo habetur; periculoſum enim foret aliis populis pacatis, ſi illi aliena bella ad ſua arbitria revocare, ac de eorum juſtitiâ, vel injuſtitiâ pronunciare vellent, quippe qui hac ratione facilè bello alieno inviti implicari poſſent. Vid. *Part. 4. Cap. 1.* §. *5. num. 9.*

§. VI.

Utrum etiam præſcriptio modus ſit acquirendi ſummam poteſtatem?

SUMMARIA.

I. *Deciſio dependet ex eo, utrùm præſcriptio juri etiam naturæ, vel ſaltem gentium cognita ſit, vel non?*

II. *Quidnam requiratur, ut ex ſilentio naſcatur præſumptio derelictionis?*

III. *Differt præſumpta derelictio à præſcriptione primùm in eo, quòd præſcriptio ſit modus acquirendi, præſumpta autem derelictio modus amittendi dominium.*

IV. *Deinde præſcriptio non aliter procedit, quàm ſi poſſeſſor in bonâ fide exiſtat, præſumpta autem derelictio etiam malæ fidei poſſeſſori ſuffragatur.*

V. *Unde confundi non debet cum præſcriptione, nec eidem nomen præſcriptionis imponi.*

VI. *Præſcriptio incognita eſt juri naturæ.*

VII. *Eſt etiam incognita juri gentium propriè dicto.*

VIII. *Subditi non poſſunt ſummam poteſtatem civilem adversùs eos præſcribere, quibus ſubjecti ſunt.*

IX. *Tametſi præſcriptio jure Gentium eſſet introducta, modò ejusdem civitatis pars manerent.*

X. *Imò licèt à reliquo corpore civitatis ſe ſepararent, ac pro ſeparatâ gente gererent.*

XI. *Poſſunt tamen præſcribere jura Majeſtatis extrinſeca, modò talia ſint, ut Imperans eorum uſum aliis etiam communicare ſoleat.*

I.

DEciſio famoſæ hujus quæſtionis ex eo dependet, utrùm præſcriptio juri etiam naturæ, vel ſaltem gentium cognita ſit, an verò ſit mera juris civilis creatura? Si enim juri etiam naturæ, vel ſaltem

ſaltem gentium cognita ſit, ſummum Imperium etiam viâ præſcriptionis acquiri poterit, ſi verò ſit mera juris civilis creatura, præſcriptio non erit modus acquirendi ſummam poteſtatem. Ut igitur hac in re meam aperiam ſententiam.

II.

Præmitto primò, etiam Imperia non minùs, ac res privatas pro derelictis haberi poſſe, ubi tamen neceſſe eſt, ut animus derelinquendi ſignis quibusdam externis indicetur, talia ſigna ſunt tum verba, tum facta, ſub factis autem moraliter veniunt & non facta, ſic qui rem ſuam ab alio teneri ſcit, nec quidquam contradicit multo tempore, is, niſi cauſa alia manifeſtò appareat, non videtur id alio feciſſe animo, quàm quòd rem ſuam nolit ampliùs in numero rerum ſuarum habere. Ut igitur ex ſilentio naſcatur præſumptio derelictionis, requiritur primò, ut aliquis ſciat rem ſuam ab altero teneri, qui enim id ignorat, præſumi non poteſt, quòd rem ſuam velit habere pro derelicta, cùm ignorantia voluntatem derelinquendi excludat. Secundò requiritur, ut ſilentium ſit liberè volentis, ſi enim cauſa alia appareat, cur quis ſileat, ceſſat conjectura voluntatis. Ut autem hæc duo adfuiſſe præſumantur, multum facit diuturnitas temporis, quamquam & aliæ conjecturæ hac in re valere poſſint. Sic primò fieri vix poteſt, ut multo tempore non innoteſcat nobis, rem noſtram ab alio detineri, cùm multas ejus occaſiones ſubminiſtret tempus; inter præſentes tamen etiam ſepoſitâ Lege civili, minus temporis ſpatium ad hanc conjecturam ſufficit, quàm inter abſentes. Deinde licèt incuſſus ſemel metus non nihil durare credatur, longo tamen tempore præſumitur expirare, cùm tempus longum multas occaſiones adverſùs metum ſibi conſulendi, vel per ſe, vel per alios ſuppeditet, vix enim fieri poteſt, ut longo tempore non ſit occaſio vel ad judices, vel ad arbitros provocandi, vel ſaltem proteſtandi, & jus ſuum reſervandi. Et quidem temporis immemorialis ſilentium ad conjecturam derelictionis ſemper ſufficere videtur, quia tempus memoriam hominum de facto viventium excedens propter humanam imbecillitatem moraliter quaſi infinitum eſt, niſi fortè validiſſimæ in contrarium ſint rationes; falluntur enim, qui præſumptionem derelictionis, quæ ex ſilentio tempo-

ris

ris immemorialis naſcitur, præſumptionem juris, & de jure ſimul eſſe putant, ita ut nulla in contrarium admittatur probatio, cùm præſumptionem juris, & de jure jus naturæ æquè ignoret, ac fictiones, utpote quæ non niſi commenta ſunt juris poſitivi. Vid. Grot. *Lib. 2. Cap. 4. à §. 3. usq. ad 8.*

III.

Præmitto ſecundò, præſcriptionem multùm differre à præſumpta derelictione; nam primò præſcriptio eſt modus acquirendi dominium, præſumpta autem derelictio quà talis non eſt modus acquirendi dominium, ſed modus amittendi; licèt enim res derelicta occupanti cedat, non tamen eidem immediatè cedit vi derelictionis, ſed vi occupationis, quæ derelictionem ſequitur, ita ut derelictio ſit tantùm conditio ſine qua non, & quidem cum occupatione alterius non neceſſariò connexa, cùm poſſit res pro derelictâ haberi, quin ea ex poſt occupetur ab altero, quo ſanè caſu nemo dixerit, derelictionem eſſe modum acquirendi dominium, & licèt poſtea aliquis rem pro derelictâ habitam occupet, & occupando ſibi dominium acquirat, non tamen ſibi acquirit vi derelictionis, ſed vi occupationis, derelictio autem tantùm facit, ut res tanquam nullius occupari, & occupanti acquiri poſſit, quæ aliàs occupari, & occupando acquiri non poſſet; aliàs ſanè derelictio ſpecies foret alienationis, quod à verò longiſſimè abeſt, cùm derelinquere etiam poſſit, qui rem alienare non poteſt. Sic Rex Regnum electione, vel Lege ſucceſſoriâ ſibi delatum ſine conſenſu populi alienare nequit, poteſt tamen illud, ſi velit, derelinquere, quia hoc plus non dicit, quàm nolle Imperium ampliùs habere, cùm ex adverſo illud ſimul voluntatem involvat, Imperium in alterum transferendi, quam, cùm is, qui Imperium derelinquit, non habeat, ideò etiam dici non poteſt derelinquendo alienare, cùm ad alienationem, quæ ab homine fit, de quâ ſolâ nobis in propoſito ſermo eſt, ex parte alienantis voluntas alienandi neceſſariò requiratur, quæ Lege quidem poſitivâ aliquando adfuiſſe præſumitur, tametſi reverâ non adfuerit; velut exemplum habemus *in L. 28. in princ. ff. de V. S. & L. 16. ff. de fund. dotal.* quod tamen jure naturæ non obtinet, utpote cui, ut ſuprà dixi, præſumptiones juris, & de jure ſimul incognitæ ſunt.

ſunt. Licèt igitur per occupationem ab altero poſtea ſecutam, aut continuatam eidem dominium, vel Imperium acquiratur, ad hanc tamen acquiſitionem præcedens derelictio ſolummodo concurrit tanquam conditio ſine qua non, ac per conſequens non eſt modus acquirendi, ſed modus duntaxat amittendi dominium. Aliud dicendum foret, ſi quis non tantùm animum derelinquendi, ſed & rem in certam perſonam transferendi haberet, eúmque ſignis externis manifeſtaret, & alter acceptaret; at tunc res non manet in terminis derelictionis, nec dominium alteri acquiritur per occupationem, quæ eſt modus acquirendi originarius, ſed per traditionem vel veram, vel fictam, quæ eſt modus acquirendi derivativus. Unde, ut verum fatear, non video, quomodo allata inter præſumptam derelictionem, & præſcriptionem differentia à Nonnemine trahi potuerit in dubium; non diffiteor quidem, omnem modum acquirendi derivativum ſimul eſſe modum amittendi, quia acquiſitio ex parte unius neceſſariò infert amiſſionem ex parte alterius, at non vice verſâ omnis modus amittendi eo ipſo etiam eſt modus acquirendi, ut patet in caſu, quo fera beſtia noſtram evaſit rurſus cuſtodiam, vel pecunia ultrà memoriam hominum de facto viventium abſcondita in terra delituit, ubi dominium quidem amittitur, non tamen alteri acquiritur, & licèt alius poſtea ejusmodi res apprehendat, non tamen earum dominium ſibi acquirit vi præcedentis amiſſionis, ſed vi occupationis, amiſſio autem eſt tantùm conditio ſine quâ non, idem prorſus contingit in derelictione ſive verâ, ſive præſumptâ.

IV.

Deinde præſcriptio etiam in eo differt à præſumptâ derelictione, quòd præſcriptio non aliter procedat, quàm ſi poſſeſſor in bonâ fide exiſtat, præſumpta autem derelictio etiam malæ fidei poſſeſſori ſuffragatur, ita ut qui hactenus injuſtus fuerat poſſeſſor, jam juſtus, & legitimus poſſeſſor exiſtat, perinde ac ſi alter animum derelinquendi verbis, aut facto quodam declaráſſet. Putat quidem idem Vir Clariſſimus, qui priorem differentiam in dubium trahere tentavit, animum derelinquendi ex ſilentio longi etiam temporis non præſumi, ſi quis ſciat, rem ſuam ab alio malâ fide poſſideri,

S cùm

cùm is ſperare poſſit, fore, ut malæ fidei poſſeſſor ſucceſſu temporis vellicante conſcientiâ ſtimulatus id, quod alienum eſſe agnoſcit, reſtituat. At malè; licèt enim homines ſe, ſuaque ament, ac propterea nemo facilè, quod ſuum eſt, jactare velle credatur, hoc ipſo tamen, quòd amore tam immodico in res caducas ferantur mortales, prudenter credibile non eſt, quemquam velle rem ulteriùs in numero rerum ſuarum habere, quam ſcit ab altero tanquam propriam, utut malâ fide, poſſideri, & tamen longiſſimo tempore, quamvis poſſet, nec contradicendo, nec proteſtando, nec ullo alio modo jus ſuum nititur conſervare.

V.

Errant igitur quicunque præſumptam derelictionem cum præſcriptione confundunt, qui autem hæc duo inter ſe differre fatentur, & tamen præſumptæ derelictioni nomen præſcriptionis imponunt, ſaltem aliis errandi cauſam præbent, cùm facilè accidere poſſet, ut omnia, quæ jure poſitivo in materia præſcriptionis conſtituta ſunt, ad præſumptam derelictionem traherentur, qui ſanè intolerabilis error eſſet. Deinde in vocabulis ſcientiarum, & artium, cujusmodi hæc ſunt, ſervanda eſt illa ſignificatio, quam apud cujusque artis, vel ſcientiæ peritos habent; aliàs enim, ſi verbum aliquod ad ſignificandam rem certam inſtitutum unius, vel alterius arbitrio transferri poſſet ad deſignandam rem etiam diverſi omnino generis, non poſſet non in ſcientiis, & artibus ſumma naſci confuſio. Certum autem eſt, quòd apud prudentes omnes vocabulum præſcriptionis modum acquirendi, & quidem derivativum ſignificet, appellatione verò præſumptæ derelictionis modus tantùm amittendi intelligatur, ſubſequens autem, vel continuata rei pro derelicto habitæ occupatio ſit, & dicatur acquiſitio originaria. Certè, ſi præſumpta derelictio propterea, quòd tractum temporis deſideret, ut naſcatur, appellari poteſt præſcriptio, eodem jure etiam conſuetudo vocari poterit præſcriptio, quia & illa tractum temporis deſiderat, quanta autem exinde ſequeretur confuſio, nemo non videt. Præluſimus hactenus propoſitæ Quæſtioni, jam ad ejus deciſionem progredimur.

VI. Dico

VI.

Dico igitur I. Præſcriptio incognita eſt juri naturæ. Ita Vaſqu. *Illuſtr. contr. Lib. 2. Cap. 51. num. 28.* Card. de Lugo *Tom. 1. Diſp. 7. Sect. 1.* Grot. *de Mar. Liber. Cap. 7. & de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 4.* Dn. P. Seybold. *de Republ. Chriſtian. Part. 12. Sect. 1. §. 10. à num. 6.* qui *num. 12.* meritò miratur, quòd Grot. ab adverſariis pro contrariâ opinione allegetur, quaſi ſcilicèt *cit. Cap. 4.* præſcriptionem juris naturalis eſſe tradat, quod ſanè ab ipſius mente prorſus alienum eſt, velut totum *Cap.* attentè perlegenti non poteſt non eſſe manifeſtum. *Probatur.* Si præſcriptio non eſt ad pacem, & tranquillitatem generis humani conſervandam ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria, tunc illa incognita eſt juri naturæ, cùm ad hoc jus non niſi ea referenda ſint, quæ ſimpliciter, & neceſſariò expediunt ad felicem ſtatum generis humani, ut *Part. 1. Cap. 1. §. 2. num. 14.* firmavimus, & ipſe Vir Clariſſimus, cujus antea mentionem fecimus, fatetur. Atqui præſcriptio non eſt ad pacem, & tranquillitatem generis humani conſervandam ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria, ſed ſufficit, quòd ex ſilentio longi temporis præſumptio naſcatur, rem fuiſſe derelictam; licèt enim conjectura hæc per contrarias probationes elidi poſſit, donec tamen elidatur, poſſeſſor interim pro vero rei domino habetur, eâ verò eliſâ etiam præſcriptio, utpote quæ ex mente Viri Clariſſimi in præſumptâ derelictione fundata eſt, evaneſceret. Unde ſic argumentor: vel præſumptio derelictionis per contrarias probationes elidi poteſt, vel non poteſt. Si elidi poſſit, præſcriptio ad pacem, & tranquillitatem generis humani conſervandam nihil facit, quia eliſâ præſumptione derelictionis etiam præſcriptio evaneſceret. Si verò elidi non poſſit, ad eum, quem dixi, finem neceſſaria non eſt, ſed ſufficit præſumpta derelictio. Certè ſi eliſâ per probationes contrarias præſumptione derelictionis non ſimul etiam confictа ab adverſariis præſcriptio evaneſceret, fruſtra omnino Imperatores in Capitulationibus adſtringerentur, ad omnem poſſibilem diligentiam, & operam adhibendam, ut ea, quæ Sacro Romano Imperio olim injuſtè decerpta ſunt, recuperentur, quoniam jam pridem fuiſſent præſcripta, cùm ex decurſu tanti temporis, ſaltem in ſucceſſoribus bona fides præſumatur, quam Ca-

pitulationes Cæſareæ profectò non infringunt; licèt enim Romanum Imperium teſtetur, ſe animum habere amiſſa recuperandi, ac per conſequens ea non poſſint haberi pro derelictis, non tamen propterea poſſeſſores conſtituuntur in malâ fide, ac proinde nec interrupta fuiſſet præſcriptio, quippe quæ jure naturæ non aliter interrumpitur, quàm ſi vel mala fides ſuperveniat, vel poſſeſſio interrumpatur. At dici haud poteſt, articulum illum de recuperandis ab Imperio injuſtè avulſis fruſtra hactenus Capitulationibus Cæſareis inſertum fuiſſe: Ergo &c. Deinde tametſi ſupponamus, præſcriptionem non eſſe fundatam in præſumpta derelictione, adeóque illam non corruere, etiamſi naturalis ex ſilentio temporis nata derelictionis præſumptio per contrarias probationes elidi poſſit, tamen præſcriptio ad tollendas lites, ac conſervandam generis humani pacem, & tranquillitatem plus non conferret, quàm præſumpta derelictio, cùm non minùs ſuper præſcriptione, quàm ſuper derelictione lites oriri poſſint; nam præſcriptio etiam immemorialis non aliter locum habet, quàm ſi poſſeſſor toto præſcriptionis tempore in bonâ fide extiterit, quæ licèt ex lapſu temporis, præſertim immemorialis, præſumatur, hæc tamen præſumptio non eſt juris, & de jure, ſed probationem admittit in contrarium, adeóque hoc præſcriptionis requiſitum ſubſtantiale æquè in controverſiam trahi poteſt, quàm præſumptio derelictionis, & ita conficta ab adverſariis præſcriptio ad tollendas lites, & conſervandam generis humani pacem, ac tranquillitatem plus ſanè non conferret, quàm conferat præſumpta derelictio. Non diffitemur quidem, difficile fore, ut præſumptio bonæ fidei ex lapſu temporis immemorialis nata per contrarias probationes elidatur, at non minùs difficile erit, præſumptionem derelictionis ex tanti temporis ſilentio natam per contrarias probationes enervare, cùm enim tempus memoriam hominum de facto viventium excedens moraliter quaſi infinitum ſit, ideo conjectura derelictionis ex tanti temporis ſilentio orta non aliter infringi poteſt, quàm, ſi, ut ſuprà jam dictum eſt, validiſſimæ in contrarium ſint rationes. Nulla igitur prorſus neceſſitas ſubeſt, præter derelictionem præſumptam, quam omnes agnoſcunt, etiam præſcriptionem jure naturæ adſtruendi. Quin ſuppoſitâ præſumptâ derelictione præſcriptio, qualem ſcilicet jure naturæ dari aſſerunt adverſa-

adverſarii, nequidem utilis eſſe videtur hoc ipſo, quòd, ut paulò antè oſtenſum eſt, ad tollendas lites, & conſervandam pacem, ac tranquillitatem generis humani nihil amplius conferret, quàm præſumpta derelictio, aut ſaltem licèt humanæ Reipublicæ utilis foret, exinde tamen non ſequeretur, illam jure naturæ dari, cùm non omne, quod expedit, ſtatim ad jus naturæ referri poſſit, ſed illud tantùm, quod ſimpliciter, & neceſſariò expedit ad felicem ſtatum generis humani, aliàs dicendum foret, matrimonia clandeſtina ipſo jure naturæ prohibita, & irrita eſſe, quia bono communi multùm profuiſſet, ſi ob graviſſima incommoda, & pericula, quæ ſecum trahunt, hoc jure eſſent prohibita, & irrita, quod tamen dici haud poteſt; tametſi enim ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis matrimonia clandeſtina ſemper deteſtata ſit, ut ait *Trident. Seſſ. 24. Cap. 1. de Reform. matrim.* illa tamen ſolo jure humano, & poſitivo Eccleſiæ, non jure naturæ, ut perperam nonnulli cenſent, quos refellit Dn. P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Clandeſtin. Deſponſ.* §. *2. num. 94.* fuerunt prohibita, nec ante Concil. Trid. erant invalida, ſed rata, & firma. *Cit. Cap. 1.* Ergo à primo ad ultimum præſcriptio, qualem fingunt adverſarii, nec neceſſaria, nec utilis eſt ad conſervandam pacem, & tranquillitatem generis humani, ſed ſufficit præſumpta derelictio, aut licèt utilis foret, nihilominus juri naturæ eſſet incognita.

VII.

Dico II. Præſcriptio etiam juri Gentium propriè dicto incognita eſt. Ita omnes illi, qui præſcriptionem meram juris civilis creaturam eſſe aſſerunt. *Probatur* I. Jus Gentium univerſale, quò præſcriptio ab adverſariis refertur, aliter probari non poteſt, quàm uſu continuo, & teſtimonio peritorum. At quòd præſcriptio etiam inter gentes quà tales recepta ſit, uſu continuo, & teſtimonio peritorum probari haud poteſt; licèt enim à Gentibus ad diuturnam, & vel maximè immemorialem poſſeſſionem ſæpiùs provocatum fuiſſe legamus, exinde tamen non ſequitur, quòd ad præſcriptionem provocaverint, ſed hoc ideò tantùm factum eſt, quia ex tanti temporis ſilentio naturalis naſcitur conjectura, rem fuiſſe derelictam, ac proinde rectè quietæ ſuæ poſſeſſioni porro tamdiu inſiſtere vole-

bant, donec præſumptio derelictionis per contrarias probationes fuiſſet eliſa. *Probatur* II. Quamvis humanæ ſocietatis interſit, ut Imperia tandem aliquando in certo, & extra controverſiæ aleam conſtituantur, ne aliàs perpetuis bellorum flammis arderet orbis, ad pacem tamen inter eas gentes conſervandam, quibus juſtitia cordi eſt, ſufficere videtur naturalis ex diuturni temporis ſilentio nata derelictionis præſumptio, quæ, niſi per contrarias probationes fuerit eliſa, pro veritate habetur, ambitioſas verò gentes, quibus nihil injuſtum, quod utile, nequidem præſcriptio à bellis retrahet: Ergo nulla prorſus neceſſitas exigebat, ut inter gentes quà tales præter præſumptam derelictionem inſuper reciperetur præſcriptio, ac per conſequens hoc ipſo non fuit communi gentium conſenſu recepta, cùm omnia, quæ hujus juris ſunt, quædam extorſerit neceſſitas. Certè qui in poſſeſſione non eſt, non aliter poſſidenti bellum inferre poteſt, quàm ſi liquidò poſſit oſtendere, rem, in cujus poſſeſſione alter exiſtit, non fuiſſe à ſe pro derelictâ habitam; licèt enim ſe juſtam cauſam habere putet, niſi tamen poſſeſſorem de injuſtitiâ poſſeſſionis convincere valeat, arma contra eundem ſumere haud poteſt, quia non habet jus eundem cogendi, ut de ſuâ poſſeſſione decedat: Ergo ad conſervandam pacem inter gentes juſtitiæ amantes ſufficit præſumpta derelictio, aut certè, ſi non ſufficit, neque præſcriptio ſufficiens erit, cùm & hæc impugnari, ac præſumptio bonæ fidei per contrarias probationes elidi poſſit. Eſt igitur præſcriptio æquè juri gentium, ac juri naturæ incognita, ac per conſequens merum juris civilis inventum. Unde eidem inter ſummos Imperantes locus eſſe haud poteſt, cùm jus civile unius Principis, aut populi liberi alterum Principem, & populum liberum non ſtringat, ſed inter eos jus tantùm naturale, & Gentium obſervetur.

VIII.

Dico III. Subditi non poſſunt ſummam poteſtatem civilem adverſùs eos præſcribere, quibus ſubjecti ſunt. Ita Grot. *Lib. 2. Cap. 4. §. 12. num. 1.* Hornius *de Civit. Lib. 2. Cap. 9. §. 19. num. 2. & ſeqq.* Hennigeſ. ad Grot. *cit. loc.* & alii. *Probatur.* Jus naturæ & Gentium, ut hactenus oſtenſum eſt, ex unâ parte præſcriptionem ignorant, ex alterâ autem parte Lex civilis de præſcriptione condita ab eo,

eo, qui ſummum habet Imperium, ad ipſum jus Imperii, & partes ejus neceſſarias non pertinet; ut enim quis Legibus obligetur, requiritur in Legis authore & poteſtas, & voluntas ſaltem præſumpta. Atqui in propoſito & poteſtas, & voluntas ſe obligandi deficit, poteſtas quidem, quia ſe per modum Legis obligare nemo poteſt, cùm obligare per modum Legis ex parte obligantis jus ſuperius, ex parte verò obligati ſubjectionem ſupponat, nemo autem ſe ipſo ſuperior, & ſimul inferior eſſe poteſt. Sed nec voluntas adfuiſſe præſumitur, quia Legislatores non cenſentur, ſe velle comprehendere, cùm Leges condendo non hoc agant, ut ſe, ſed ut ſubditos ſuos obſtringant: Ergo ſummus Imperans Lege ſuâ de præſcriptione latâ directè non obſtringitur, ac proinde ejusmodi Lex civilis ad ipſum jus Imperii, & partes ejus neceſſarias nullatenus pertinet. Et quamvis Legislator aliàs Legibus ſuis ſaltem indirectè obligetur, cùm vi officii ſui bono publico conſulere, ac ſubditos tum verbis, tum exemplo ad Legum obedientiam inducere teneatur, quem finem meliùs non aſſequitur, quàm ſi ipſe præſtet, quod exigit ab aliis, & Leges à ſe latas exemplo ſuo comprobet, Lege tamen ſuâ de præſcriptione latâ is hoc in paſſu ne indirectè quidem tenetur, quia tunc demum Legis auctor hoc modo ex æquitate naturali Legibus ſuis obſtringitur, cùm ſpectatur ut pars civitatis, & inſuper ratio, & materia Legis ſunt univerſales, velut accidit in æſtimandis rerum pretiis. At in propoſito Legis auctor non ſpectatur ut pars civitatis, ſed ut totam civitatem repræſentans. Deinde etiam ratio, & materia Legis non ſunt univerſales, nec enim ſummum Imperium, quod ſoli competit Imperanti, paris rationis eſt cum rebus aliis, ſed nobilitate ſuâ res alias multùm excedit, ac proinde ſummus Imperans hàc in parte nequidem indirectè obſtringitur Lege ſuâ de præſcriptione latâ: Ergo vi Legis civilis non poſſunt ſubditi adverſùs eos, quibus ſubjecti ſunt, ſummam poteſtatem præſcribere.

IX.

Dico IV. Tametſi præſcriptio jure Gentium eſſet introducta, tamen ſubditi ſummum Imperium non poſſent præſcribere adverſùs eos, quibus ſubjecti ſunt, ſi ejusdem civitatis pars manerent; nam

jus

jus Gentium non reſpicit membra ejusdem ſocietatis civilis inter ſe, ſed exteros, quia, ut ſuo loco dictum eſt, in arbitrariâ conſiſtit conventione, quâ gentes quà tales obligatione mutuâ conſociantur in ordine ad ea, quæ ad communem ipſarum felicitatem pertinent, ac proinde non ordinat civem ad concivem, ſed unam gentem, & ejus ſubditos ad alias gentes, ac earum ſubditos: Ergo licèt præſcriptio jure gentium recepta eſſet, inter membra tamen ejusdem civitatis propterea non obtineret, ac per conſequens ſubditi ſummum Imperium adverſùs eos, quibus ſubjecti ſunt, præſcribere haud poſſent, ſi ejusdem civitatis pars manerent. Licèt igitur accidere poſſit, ut alicujus populi Rex verus Regnum amittat, & populo ſubjiciatur, aut qui reverà non Rex, ſed Princeps erat, Rex ſummo cum Imperio fiat, aut ſummum Imperium, quod penes populum, aut penes Regem in ſolidum erat, inter eos dividatur, hoc tamen etiam ſuppoſitâ præſcriptionis ex jure Gentium origine, non contingeret vi præſcriptionis, ſed præſumptæ derelictionis, & occupationis.

X.

Dico V. Licèt præſcriptio eſſet juris Gentium, & pars ſubditorum à reliquo corpore civitatis ſe ſepararet, ac pro ſeparatâ gente gereret, illa tamen ſucceſſu temporis in poſſeſſione libertatis, & ſummi Imperii vi præſcriptionis ſe tueri non poſſet, ſed tantùm vi præſumptæ derelictionis, ſi ſummus Imperans conniventibus oculis tantò tempore ſiluiſſet, quod ad inducendam conjecturam derelictionis ſufficeret, tum quia hoc vix aliter contingere poſſe videtur, quàm cum malâ fide, cum qua præſcriptio non procedit, tum quia, licèt talis pars ſe pro ſeparatâ gente gerat, antequam tamen Imperans eam pro derelictâ habeat, reverà gens non eſt, ſed ſubjecta manet, & pars civitatis: Ergo Jus Gentium hoc in paſſu ad eam non pertinet, quippe quod non niſi diverſas inter ſe Gentes reſpicit.

XI.

Dico VI. Illa jura poteſtatis civilis, quæ ſalvâ ejus ſubſtantiâ ſeparari poſſunt, ſubditi præſcribere valent, modò talia ſint, ut imperans eorum uſum aliis etiam communicare ſoleat. Ita Grot. *Lib.* 2.

Cit.

Cit. Cap. 4. §. 13. nam primò dignitati, & ſummitati poteſtatis civilis nihil propterea decedit, hoc ipſo, quòd ſalvâ ejus ſubſtantiâ ab eâdem ſeparari queant. Deinde ſi aliis etiam communicari ſoleant, præſumptio naſcitur, quòd ſummus Imperans illa quoque præſcriptioni Lege ſuâ introductæ ſubjicere voluerit, ſecùs facilè hanc exceptionem addere potuiſſet. Certè apud Romanos ejusmodi jura ſummæ poteſtatis extrinſeca præſcriptioni erant obnoxia, velut haud obſcurè colligitur *ex L. 4. Cod. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* ubi jura omnia, tam publica quàm privata præſcriptioni ſubjiciuntur, quo locò appellatione jurium publicorum haud dubiè jura ſummæ poteſtatis extrinſeca veniunt, nam ex unâ parte extra jura ſummæ poteſtatis vix apparet jus aliquod, quod in numerum jurium publicorum referri queat, ex alterâ autem parte jura Majeſtatis intrinſeca præſcriptioni non fuiſſe ſubjecta conſtat *ex L. 6. Cod. eod.* ubi jus exigendi collectas publicas in ſignum ſupremæ poteſtatis, quod extra controverſiam jus Majeſtatis intrinſecum eſt, nullâ, ne quidem immemoriali præſcriptione abrogari poſſe dicitur. Sic ex ſupremâ poteſtate profluit quidem, quòd ab eâ non poſſit ulteriùs appellari, quia appellatio eſt provocatio ab inferiore ad ſuperiorem, qui autem ſummum Imperium habet, ſuperiorem non agnoſcit, non tamen hoc intrinſecum eſt Majeſtati, ſed ſalvâ ejus ſubſtantiâ ſeparari poteſt, & aliis quoque communicari ſolet, unde & præſcriptione obtineri poteſt. Aliud dicendum de jure extremæ provocationis, quod ſubditus viâ præſcriptionis acquirere haud poteſt, cùm hoc intrinſecum Majeſtatis jus ſit, utpote cui ſuprema jurisdictio ita cohæret, ut ſalvâ Majeſtatis ſubſtantiâ nequeat ab eâdem ſeparari. Certè ut ab aliquo nullâ ratione provocari poſſit, conditioni ſubditi repugnat, quia ille, à quo nullo modo provocari poteſt, non agnoſcit in terris aliquem ſuperiorem. Licèt igitur aliquis privilegio de non appellando munitus ſit, ex capite tamen nullitatis, vel protractæ, aut denegatæ juſtitiæ nihilominùs ad ſuperiorem provocari poteſt. Sueder. *ad J. P. Part. Spec. Sect. 1. Cap. 11. num. 1.* & ibi Dn. Baro à Lynkeren.

§. VII.

De Subjecto, & Objecto Summæ Poteſtatis Civilis.

SUMMARIA.

I. *Adducitur ſubjectum commune, & proprium, ſeu mediatum, & immediatum.*

II. *Refutatur Hornius, qui contendit, liberas Civitates ſinè Imperio ſolis pactis, & conventionibus contineri.*

III. *Refellitur eorum opinio, qui dicunt, ſummam poteſtatem ubique, & ſine exceptione eſſe populi.*

IV. *Proſternitur eorum ſententia, qui mutuam ſubjectionem fingunt.*

V. *Non repugnat, ut ſumma Poteſtas penes duos, veluti Regem, & Reginam in ſolidum exiſtat.*

VI. *Interim non debet ſtatim argumentum Regiæ poteſtatis ſumi ex ſolâ rerum externarum ſpecie.*

VII. *Uti nec ex ſolo nomine.*

VIII. *Objectum ſummæ poteſtatis Civilis aliud eſt primarium, aliud ſecundarium.*

I.

EXpoſitis modis, quibus ſumma poteſtas civilis in alios tranſit, ordo methodi nos ducit ad ejus ſubjectum, quod duplex eſt, commune, & proprium, ſeu, quod in idem recidit, mediatum, & immediatum. Commune, ſeu mediatum eſt civitas; tametſi enim populus ſummum Imperium in unum, vel paucos, etiam nullâ ejus parte retentâ, transtulerit, Imperium tamen, quod in Rege, aut concilio Optimatum exiſtit, ut in capite, mediatè in populo manet ut in toto, cujus pars eſt caput. Subjectum verò proprium, ſeu immediatum eſt perſona vera, vel ficta, quæ defacto ſummum Imperium in civitate habet. Ubi falſæ quorundam opiniones nobis ſunt refutandæ.

II. Prima

II.

Prima eſt, quæ contendit, liberas civitates ſine Imperio, ſolis pactis, & conventionibus contineri, quam opinionem magno apparatu propugnare nititur Hornius *de Civit. Lib. 3. Cap. un.* At irrito conatu; ſumma enim poteſtas, ut ſuprà demonſtravimus, ex naturâ rei totam ſequitur communitatem, tanquam moralis quædam proprietas, ita, ut eandem vel ipſa retinere, vel in unum, aut paucos transferre poſſit: Ergo non minùs in ſtatu populari, & Optimatum, quàm in ſtatu Monarchico ſummum datur Imperium. Argumenta, quibus utitur, non magni ponderis ſunt; nam

Primò Ille in hunc ferè modum arguit: Si ſumma poteſtas reſidet penes totam communitatem, ita ut univerſi imperent, ſinguli obediant, confunditur ſubjectum imperans, cum ſubjecto parente; ſi enim Imperium aſſignetur univerſis, tunc vel omnibus adhæret, vel quibusdam. Si omnibus, nemo manebit ſubditus, quia Imperium, & obſequium cadere non poſſunt in unam, eandémque perſonam. Si verò ſinguli ſint ſubditi, non erit, qui imperet, quia ex ſingulis parentibus non poteſt conſurgere, niſi multitudo obtemperans, cùm ſinguli præter obſequium univerſitati nihil conferant. At licèt ſumma poteſtas reſideat penes totam communitatem, non tamen propterea confunditur ſubjectum imperans cum ſubjecto parente; poteſt enim civitas duobus modis ſpectari. I. Formaliter, ſeu quatenus vicem ſuſtinet unius perſonæ fictæ à civibus ſingulis moraliter diverſæ. II. Materialiter, ſive quatenus conſtat civibus, quorum unusquisque à communitate reliquâ diſtinguitur. Formaliter ſpectata ſummâ poteſtate fulget, ac imperat. Materialiter verò ſpectata non imperat, ſed paret. Non intelligitur quidem univerſitas, niſi conjunctis ſingulis, poſtquam tamen ex ſingulis corpus morale, & politicum coaluit, univerſitas tanquam perſona ficta jura habet, quæ ad ſingulos non pertinent, uti viciſſim ſinguli jura habent, quæ ad univerſitatem quà talem haud pertinent, ac proinde univerſitas etiam ſupremam poteſtatem habere poteſt, quin illa ad ſingulos pertineat, & ſinguli obedire poſſunt, quin ipſa univerſitas quà talis obediat.

Secundò profert hoc argumentum. In comitiis popularibus pars major prævalet. Atqui ſi in ſtatu Democratico datur ſummum Imperium, pars major prævalere non poteſt; vel enim pars major ſola ſupremam habet poteſtatem, vel etiam pars minor ſuffragiis victa eandem habet. Neutrum poteſt dici; non primum, quia ſic ſumma poteſtas non reſideret penes univerſos. Non etiam ſecundum, quia ſtante hoc non poſſunt prævalere reliquorum vota, cùm aſſeri non poſſit, conſentire univerſos, ſi eximia pars populi contradicat. At jam diximus, ſummam poteſtatem in ſtatu populari reſidere penes totam communitatem, quatenus illa ſuſtinet vicem unius perſonæ fictæ, quæ conſentire intelligitur, ſi pars major conſentiat; cùm enim poſito conſenſu hominum in ſocietatem civilem ſumma poteſtas conferatur communitati à Deo tanquam authore naturæ, debuit ſanè ita conferri, ut ſerviat, atque idonea ſit ad obtinendum finem, propter quem confertur. Si autem non poſſet aliter exire in actum, & functiones ſuas exercere, quàm conſpirantibus in eandem ſententiam ſingulorum calculis, illa non ſerviret ad finem, ad quem ab authore naturæ deſtinata eſt, quia non promoveret, ſed potiùs everteret felicitatem publicam, cùm rariſſimè contingeret, ut omnes conſentirent: Ergo Deus tanquam prudentiſſimus author naturæ debuit velle, ut in negotiis communibus voluntas majoris partis habeatur pro voluntate univerſitatis. Accedit præſumpta voluntas in ſocietatem civilem coeuntium, quæ haud dubiè ea fuiſſe creditur, ut ratio aliqua eſſet expediendi negotia ad communitatem quà talem pertinentia, niſi autem pars major prævaleret, plerúmque nullà foret ratio, nam unanimis omnium conſenſus ob naturalem hominum ad diſſentiendum proclivitatem vix unquam ſperari poteſt, præſertim ſi eorum, qui jus ſuffragii habent, magnus ſit numerus, ut autem pars major cedat minori, manifeſtè abſurdum eſt; ſanioribus verò ſi palmam tribuendam, & ponderanda, non numeranda vota eſſe dixeris, in difficultates incides inextricabiles; quis enim ponderabit? num pars major, vel minor? Certè quælibet ſuam opinionem aut ſaniorem, aut ſaltem non minùs ſanam eſſe contendet; niſi ergo pars major vincat minorem, plerúmque nulla foret ratio expediendi negotia communitatis, ac proinde coeuntes in civitatem omnino conſenſiſſe cenſentur, ut conſen-

conſenſus majoris partis habeatur pro conſenſu totius communitatis. Grot. *Lib. 2. Cap. 5. §. 17.*

Tertiò ſic inſtat. In ſtatu Democratico nemo tenetur ad obſequium vi Imperii; non ipſa multitudo, quia Legem communibus ſuffragiis decretam, ſi velit, rurſus tollere poteſt; non ſinguli, quia multitudo conſtat ex ſingulis, ac proinde ſi multitudo non tenetur, nec ſinguli tenentur: Ergo in ſtatu populari non datur ſumma poteſtas. Sed iterum auram verberat; poteſt enim multitudo duobus modis ſpectari, primò collectivè, ſive quatenus tanquam perſona ficta diſtinguitur à ſingulis. Secundò diſtributivè, ſeu quatenus conſideratur ſecundùm ſingulos, ex quibus coaleſcit. Priore modo ſpectata imperat, nec tenetur Legum vinculis. Poſteriore verò modo ſpectata obtemperat, ac nexu Legum conſtringitur. Hinc & priore modo ſpectata Legem communibus ſuffragiis decretam, ſi velit, rurſus tollere poteſt, non verò ſi poſteriore modo ſpectetur.

Quartò denique ita opponit. Si in ſtatu populari ſumma poteſtas reſideret penes totam communitatem, neceſſariò ſinguli aliquam ejus particulam obtinerent, quævis autem particula eſſet ſumma, quia ex pluribus particulis non ſummis non poſſet conſurgere poteſtas ſumma: Ergo in unâ, eâdémque civitate darentur plura ſumma, quod videtur abſurdum. Sed etiam hoc argumentum leve eſt; quamvis enim ſumma poteſtas reſideat penes totam communitatem, exinde tamen non ſequitur, quòd ſinguli aliquam ejus particulam obtineant, cùm non reſideat penes communitatem materialiter, & diſtributivè, ſed formaliter, & collectivè ſumptam, quo modo ſpectata, ut diximus, jura habet, quæ ad ſingulos non pertinent. Deinde abſurdum non eſt, ut duo ſumma in eâdem civitate dentur, ſi enim ſtatus ſit mixtus, ita ut diverſa ſummæ poteſtatis jura penes diſparata ſubjecta reſideant, utique plura ſumma in eâdem civitate dantur, quia quilibet jus ſuum ſummo jure tenet; ſic etiam ſi duo ſummum Imperium pro indiviſo commune habeant, duo ſumma in eadem civitate dantur, utérque enim eſt ſummus, quia neuter alteri ſubjectus eſt. Ergo hoc tantùm ſenſu duo ſumma in eâdem civitate dari repugnat, quod civitas ſummum habens

bens Imperium non poſſit alterius Imperio eſſe ſubjecta, vel in eâdem civitate ſimul dari Majeſtas perſonalis, & realis.

III.

Altera ex adverſo opinio ſuſtinet, ſummam poteſtatem ubique, & ſine exceptione eſſe populi, ita ut eidem Reges, quoties Imperio ſuo malè utuntur, & coercere, & punire liceat. Impia ſanè, & ad inferos, unde orta eſt, unanimi omnium proborum calculo releganda ſententia; nam imprimis poteſt populus ſui juris ſe uni, vel pluribus ita ſubjicere, ut regendi ſui jùs in eum, vel eos planè tranſcribat, nullâ ejus parte retentâ; licèt enim ſumma poteſtas civilis ex naturâ rei totam ſequatur communitatem, recta tamen ratio non præcipit, ut penes eandem remaneat: Ergo, ſi velit, poteſt illam abdicare, & in unum, vel paucos transferre. Certè privatus quisque ſe alteri in ſervitutem perſonalem addicere poteſt: Ergo etiam populus ſe alteri in ſervitutem, ut ita dicam, civilem addicere poteſt; quàm parùm enim recta ratio jubet, ut ſinguli homines in libertate relinquantur, tam parùm jubet, ut ſumma poteſtas in tota communitate, tanquam in ſubjecto immediato, ſemper permaneat, ac proinde, ſi quisque privatus libertatem perſonalem abdicare, & ſe alteri ſubjicere poteſt, etiam populus ſui juris libertatem civilem abdicare, & ſe alteri ſubjicere poterit. Deinde multæ extare poſſunt cauſæ, quibus populus moveatur, ad jus totum imperandi à ſe abdicandum, & in alterum transferendum, veluti eſt I. periculum interitûs vel à vi externâ, vel ab inopiâ non aliter vitabile, ut, ſi populus in periculum ſalutis adductus ſe aliâ Lege defendere, aut inopiâ preſſus, copiam, unde ſe ſuſtentet, aliter habere non poſſit, quàm ſi jus totum imperandi à ſe abdicet, ac in alium transferat. II. Habitatio, aut libertas non aliter parabilis. Sic accidere poteſt, ut paterfamilias latifundia poſſidens neminem aliâ Lege in ſuas terras habitantem recipere velit, aut, ut quis magnam ſervorum copiam habens eos manumittat, ſub Imperii ferendi, & cenſûs ſolvendi Legibus. III. Ingenium libertatis non adeò appetens, & Regibus ſuetum; ſunt enim populi quidam eo ingenio, ut Regi, quàm regere nôrint rectiùs, velut de ſe ſenſiſſe videntur Cappadoces, qui oblatæ à Romanis libertati vitam ſub Regibus

præetu-

prætulêrunt, negantes, ſe ſine Rege vivere poſſe. IV. Exempla Gentium, quæ per plura ſæcula ſub Imperio Regio ſatis feliciter vixerunt, ut Liv. *Lib. 42. Cap. 5.* urbes ſub Eumene nullius liberæ civitatis fortunam cum ſuâ mutatam voluiſſe ſcribit; ita motus fuit populus Hebræus ad petendum Regem, dum Samueli dixit: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent Nationes. 1. Reg. 8. verſ. 5.* V. Status Reipublicæ corruptæ, perturbatæque, nec niſi abſoluto unius Imperio ſanabilis. Sic Cæſaris Auguſti ætate *multis prudentibus viſum* inquit Tacit. *Lib. 1. Annal. Cap. 9. num. 4. non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, quàm ut ab uno regeretur.* Et *Lib. 1. Hiſtor. Cap. 1. num. 2. Omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuiſſe.* Conſentit Flor. *Lib. 4. Cap. 3. num. 6.* Ubi populum Romanum non aliter ſalvum eſſe potuiſſe ait, niſi confugiſſet ad ſervitutem. VI. Homines, ut advertit Cicer. *Lib. 2. de Offic. Cap. 6.* ſe alterius Imperio, ac poteſtati ſubjicere poſſunt etiam benevolentiâ, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantiâ, aut ſpe utilitatis ducti. Præterea etiam juſto bello non minùs Imperium, quàm dominium privatum acquiri poteſt. Et ſanè, dari Reges, qui populi etiam univerſim ſumpti arbitrio non ſubſint, hiſtoria tum ſacra, tum profana teſtatur. Non negamus quidem, fuiſſe Reges, qui populo ſubjecti erant, ut olim Reges Spartanorum fuiſſe conſtat. At tales non niſi impropriè Reges appellantur, cùm ſolo nomine, non re, & poteſtate Reges ſint. Quod autem hactenus de Regibus dictum, idem etiam de Proceribus tenendum eſt, ut qui populi poteſtati tam parùm ſubjecti ſunt, quàm Reges, eadem enim in propoſito Regum, & Optimatum eſt ratio. Imò etiam alterius populi Imperio populus ſubjici poteſt, ita ut ei nihil, niſi obſequii gloria relinquatur, velut olim Campani ſe populo Romano ſubjecerunt. Liv. *Lib. 7. Cap. 31.* Quidni igitur & uni homini præpotenti ſe eundem in modum ſubjicere valeat? Eſt ergo manifeſtò falſum, quòd ſumma poteſtas ubique, & ſine exceptione ſit populi, nec argumenta, quæ in contrarium afferuntur, ullius ſunt roboris. Primò enim dicunt, omne Regimen eorum cauſâ paratum eſſe, qui reguntur, non qui regunt: Ergo, *inferunt*, qui reguntur, ſuperiores ſunt eo, qui regit. At, primò non omnia Regimina eorum cauſâ parata ſunt, qui reguntur, ſed

poſſunt quædam Imperia comparata eſſe ad Regum utilitatem, ut quæ jure victoriæ parta ſunt, poſſunt etiam quædam reſpicere utilitatem tam ejus, qui regit, quàm ejus, qui regitur, ut cùm populus impotens ſibi tuendo, Regem ſibi potentem imponit. Deinde tametſi in plerisque Imperiis per ſe reſpiciatur utilitas eorum, qui reguntur, exinde tamen non ſequitur, populos Rege eſſe ſuperiores, cùm & tutela pupilli cauſâ comparata ſit, qui tamen tutore ſuperior non eſt, quoniam tutela vis eſt ac poteſtas in pupillum. Et quamvis tutor malè adminiſtrans rem pupillarem amoveri poſſit, ex hoc tamen inferri haud poteſt, etiam Regem malè adminiſtrantem amoveri poſſe; nam tutor Superiorem habet, in Imperiis autem, quia progreſſus in infinitum non datur, omnino in aliquâ perſonâ, aut cœtu conſiſtendum eſt, quorum peccata, quia ſuperiorem ſe judicem non habent, Deo punienda relinqui debent; aliàs enim Reges omnes non niſi nudi Magiſtratus forent populi. Rectè Tacit. *Lib. 4. Hiſtor. Cap. 74. num. 4. quomodo*, inquit, *ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum, vel avaritiam Dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.* Certè tutor malè adminiſtrans coerceri, & puniri non poteſt à pupillo: Ergo neque Rex malè adminiſtrans coerceri, & puniri poterit à populo.

Secundò dicunt, populos quandóque punitos eſſe propter peccata Regum, quod non ob aliam cauſam factum eſſe videtur, quàm quia populus peccantes Reges non punivit, aut repreſſit: Ergo poteſt populus Reges coercere, ac punire. At uti diffiteri non poſſumus, populum aliquando punitum fuiſſe propter peccata Regum, velut exemplum habemus *2. Reg. 24.* ita negamus, id ideò factum eſſe, quòd populus peccantes Reges non puniverit, aut repreſſerit, ſed ideò hoc factum eſt, quia peccatis Regum populus vel tacitè conſenſit, vel quia peccata Regum Deum moverunt ad punienda propria populi delicta, vel denique Deus ſupremo ſuo dominio, quod in vitam, necémque ſingulorum habet, uſus eſt in pœnam Regum, quibus ſupplicium eſt, ſubditis orbari. Confer. Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 8. per tot.*

IV. Tertia

IV.

Tertia opinio eorum eſt, qui mutuam ſubjectionem adſtruunt, ita ut populus Regi rectè imperanti parere debeat, Rex verò malè imperans populo ſubjiciatur, tale Imperium caſtrenſe tumultuarium Aiax, Achilles, & cœteri Heroes ad Trojam volebant, Achilles enim de Regno Agamemnonis, & Menelai ſic loquitur:

Et nos Atridis, ſiquidem benè imperent,
Parebimus; ſin minus, non parebimus.

Euripid. Iphiger. *Aul. v. 927.* At licèt veriſſimum ſit, quòd populus Regi talia imperanti, quæ manifeſtò iniqua ſunt, parere non debeat, hoc tamen nullum populo in Regem tribuit Imperium. Certè ſi populo alicui propoſitum eſſet, partiri cum Rege Imperium, fines utriusque poteſtati aſſignari deberent tales, qui ex locorum, perſonarum, aut negotiorum diſcrimine facilè cognoſci poſſent. Bonitas autem, & malitia actûs, præſertim in civilibus, quæ ſæpè ambiguam habent interpretationem, ad hoc aptæ non ſunt, cùm exinde non poſſit non ſequi ſumma confuſio, ſiquidem cognitionem de eâdem re jure poteſtatis ſub obtentu actûs boni, malíve hinc Rex, inde populus ad ſe traheret. Non eſt autem credibile, quòd ulli populo unquam in mentem venerit, talem rerum perturbationem inducere. Vid. Grot. *cit. Cap. 3. §. 9.* & Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 4. §. 14.*

V.

Cœterùm, ut ſumma poteſtas penes duos, veluti Regem, & Reginam in ſolidum exiſtat, nulla videtur eſſe repugnantia; ſi enim non repugnat, ut Vicarius generalis eandem numero jurisdictionem habeat cum Epiſcopo, etiam non repugnat, ut duo eandem numero poteſtatem habeant in civitatem, ita ut penes Regem e. g. ſtet exercitium, Regina verò non niſi abſente Rege adminiſtrationem habeat, exemplum habemus in Maria, & Wilhelmo in Anglia. Huber. *de Jur. Civit. Lib. 1. Sect. 7. Cap. 2. num. 19. & ſeqq.* Sic etiam ſi vivente Imperatore Rex Romanorum eligatur, eadem numero Majeſtas in Imperatore, & Rege Romanorum exiſtit; nec enim aſſentiri poſſumus illis, qui Regem Romanorum nudum Imperato-

ris Vicarium eſſe aſſerunt, cùm contrarium ex Receſſibus Imperii ſatis manifeſtò colligatur, quanquam Is non niſi abſente, vel impedito Imperatore ſummam poteſtatem exercere valeat.

VI.

Interim non debemus ſtatim argumentum Regiæ poteſtatis ſumere ex ſolâ rerum externarum ſpecie; licèt enim alicui tribuantur Regia inſignia, ex eo tamen non continuò ſequitur, quòd is Regiam poteſtatem habeat, cùm ejusmodi inſignia in liberis quibusdam civitatibus etiam illis tribui ſoleant, qui primum dignitate, & auctoritate locum obtinent absque jubendi poteſtate, exemplo ſit Dux Reipublicæ Venetæ, cui corona, & titulus ſerenitatis tribuitur, etiamſi ſummam poteſtatem non obtineat.

VII.

Deinde neque argumentum ducere poſſumus ex ſolo nomine, dicendo v. g. hic appellatur Rex: Ergo ſummam habet poteſtatem, hic autem vocatur Princeps: Ergo eandem non habet: tametſi enim *Rex*, & *Princeps*, *Regnum* & *Principatus* apud Romanos ſibi paſſim opponantur, velut ex Cæſar. *Lib. 7. de Bell. Gall. Cap. 4. num. 1.* Tacit. *Lib. 2. Annal. Cap. 57. in fin.* & aliis apparet, ſæpè tamen factum eſt, ut hæc vocabula confunderentur, &, qui Principes tantùm erant, Reges, ac vice verſâ, qui Reges erant, Principes appellarentur. Sic vetus Germania Reges habuit auctoritate ſuadendi magìs, quàm jubendi poteſtate, ut Tacit. *de Morib. German. Cap. 11. num. 6.* teſtatur. Ex adverſo Imperatores Romani, poſtquam palam, & ſine ullâ diſſimulatione Regnum liberrimum tenuerunt, Principes tamen vocabantur. Grot. *cit. Cap. 3. §. 10 num. 1. & ſeqq. & ibi* Obrecht, ubi propterea redarguit Bodin. *de Republ. Lib. 1. Cap. 8.*

VIII.

Objectum ſummæ poteſtatis civilis itidem duplex eſt, primarium, & ſecundarium. Primarium conſtituunt perſonæ ſubditæ, ſecundarium verò territorium, in quo ſumma poteſtas exercetur. Grot. *Lib. 2. Cap. 3. §. 4. num. 1.*

§. VIII.

§. VIII.
De Formâ Poteſtatis Civilis.

SUMMARIA.

I. *Forma Majeſtatis conſiſtit in ſummitate poteſtatis in Civitatem.*
II. *Imperium poteſt eſſe ſummum, etiamſi abſolutum non ſit.*
III. *Rejicitur eorum opinio, qui non niſi Imperia per ſucceſſionem delata ſumma eſſe exiſtimant.*
IV. *Imperium non deſinit eſſe ſummum, tametſi ad certum tempus delatum ſit, ita ut eo lapſo expiret.*
V. *Pro Monarchis tamen temporariis haberi haud poſſunt, qui jus acceperunt quovis tempore revocabile.*
VI. *Uti nec illi, qui ſummum Imperium alieno duntaxat nomine, non proprio exercent.*
VII. *Quisnam ergo pro Monarcha temporario habendus ſit?*
VIII. *Utrùm Dictator Romanus fuerit Monarcha temporarius?*
IX. *Sed nec Imperium ſub Lege commiſſoriâ delatum deſinit eſſe ſummum.*
X. *Qui ex fœdere alterius Majeſtatem comiter conſervare tenetur, ſummum Imperium retinet.*
XI. *Solvuntur contraria.*
XII. *Imperium non deſinit eſſe ſummum, tametſi feudi jure teneatur.*
XIII. *Solvitur Objectio quædam.*
XIV. *Nihil denique ſummitati poteſtatis officit, quòd Imperans alteri penſionem ſolvat.*

I.

FOrma poteſtatis civilis conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ ab aliis poteſtatibus diſtinguitur, quæ in eo ſita eſt, quòd ſit poteſtas ſumma, & quidem in civitatem, ſeu communitatem hominum perfectam; nam per hoc quod ſumma ſit, differt à poteſtate Magiſtratuum, nec non parentum, & dominorum in civitate exiſtentium, per hoc autem, quòd ſit in civitatem, differt à poteſtate

 patris-

patrisfamilias extra Rempublicam viventis, quæ in ordine ſuo ſuprema quidem eſt, ad Majeſtatis dignitatem tamen non aſcendit, quia familiam duntaxat, non communitatem hominum perfectam moderatur, velut ſuprà §. *1. num. 4.* diximus.

II.

Quamvis autem poteſtas civilis pacto fortè reſtricta ſit, non tamen propterea deſinit eſſe ſumma; diverſa enim ſunt, poteſtatem eſſe ſummam, & eſſe abſolutam, cùm ſumma eſſe poſſit, quin ſit abſoluta, ſumma enim dicitur, quæ non cogitur, aliam poteſtatem ejusdem ordinis, & lineæ revereri: abſoluta autem, quæ nullis conventionis vinculis adſtricta liberè pro arbitrio habentis exerceri poteſt. Quare ſalvâ omnino ſummitate poteſtatis civilis exercitium reſtringi poterit, ac proinde Imperium ſummum cum abſoluto confundi non debet; poteſt Imperium ſummum eſſe limitatum, & contrà non ſummum abſolutum; limitatum enim, & abſolutum duntaxat modum habendi reſtrictum, vel liberum denotat, qui naturam rei non immutat. Grot. *ſæpè cit. Cap. 3.* §. *11. num. 1. &* §. *14.* Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 6.* §. *10.*

III.

Errant etiam, qui non niſi Imperia per ſucceſſionem delata ſumma eſſe exiſtimant, quia ſucceſſio, & electio modi tantùm ſunt, quibus acquiritur Imperium, ac proinde idem manet Imperium, ſive hoc, ſive illo modo deferatur; aliàs ſanè nequidem Imperia per ſucceſſionem delata eſſent ſumma, cùm & ipſa ab electione familiæ ſuum ceperint initium, ſucceſſio autem plus non confert, quàm prima contulit electio: ſi ergo prima electio non contulit ſummum Imperium, nec ſucceſſio conferre poteſt, quia veteris tantùm juris eſt continuatio. Grot. *ubi ſuprà* §. *10. num. 5.*

IV.

Deinde nec Imperium deſinit eſſe ſummum, tametſi ad certum duntaxat temporis ſpatium delatum ſit, ita ut eo elapſo expiret; nam, ut paulò ante diximus, modus habendi non immutat naturam rei, quæ eadem manet, ſive hoc, ſive illo modo habeatur.

Certè ex naturâ rei non repugnat, poteſtatem eſſe ſummam, & ſimul temporariam, cùm eſſentia ſummitatis non conſiſtat in perpetuitate, ſed in eo, quòd actus Imperii proprio nomine exerceri poſſint, ita ut nequeant alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi, quod utique ſtare poteſt cum reſtrictione poteſtatis ad certum tempus. Præterea populus rei ſuæ moderator, & arbiter eſt: Ergo ſummum Imperium non minùs ad certum temporis ſpatium, quàm in perpetuum in alium transferre poteſt. Interim non inficiamur, quin major dignitas Imperium perpetuum, quàm temporarium comitetur; ſolent enim homines cum ſolidiore veneratione proſequi eos, quos nunquam ad privatam conditionem redactum iri nôrunt, quàm quos paulò poſt in æquo ſunt conſpecturi.

V.

Planè, qui jus acceperunt, quovis tempore revocabile, quale olim Vandalorum Regnum fuit in Africa, & Gothorum in Hiſpania, cum ipſos deponerent populi, quoties diſplicebant, hi pro Monarchis temporariis haberi haud poſſunt, cùm ſinguli eorum actus irriti reddi queant ab illis, qui precariam poteſtatem dederunt, non enim veri Reges, ſed miniſtri tantùm ſunt eorum, apud quos ſumma rerum conſiſtit. Grot. *dict. Cap. 3. §. 11. num. 3. & ibi* Hennig. *in fin.*

VI.

Similiter nec illi pro Monarchis temporariis haberi poſſunt, qui ſummum Imperium alieno duntaxat nomine, non proprio exercent, veluti ſunt curatores Regni ob Regis infantiam, amentiam, aut captivitatem conſtituti; tametſi enim ita conſtituantur, ut populo non ſubſint, nec eorum poteſtas, antequam Rex ad legitimam pervenerit ætatem, aut ſanam mentem, vel libertatem receperit, revocabilis ſit, Monarchæ tamen temporales vocari haud poſſunt, quia ſummum Imperium non ſuo, ſed alieno nomine exercent, permanet enim jus ipſum imperandi penes Regem, ad quem per ſucceſſionem delatum eſt, licèt ob infantiam, aut ſupervenientem furorem, vel captivitatem illud actu exercere nequeat. Tam parùm igitur curatoribus Regni communicatur ſumma poteſtas, quàm parùm

rùm tutori communicatur dominium, quod pupillus in res ſuas habet, ac proinde ſummum Imperium non niſi alieno nomine exercent, prout ipſimet nequaquam ſe pro veris Majeſtatis poſſeſſoribus venditant, ſed tutorio, & curatorio nomine omnia à ſe geri publicis, & privatis litteris confitentur. Puffendorf. *ubi ſuprà* §. *15*.

VII.

Pro Monarchâ igitur temporario ille demum habendus eſt, qui ſummum Imperium ad tempus jure proprio, & tanquam ſuum poſſidet, nec illud precariò tantùm, aut vice alterius exercet, veluti ſi alicui Regnum eo pacto delatum, & ab eo ſuſceptum ſit, ut, ſi alteri naſcantur liberi, illud iis reſtituat, prout Hercules legitur Spartha bello captæ Imperium Tyndareo hac Lege dediſſe, ut, ſi quos ipſe Hercules liberos relinqueret, id iis reſtitueretur. Ut Grot. §. *12. num. 4.* ex Diodor. refert, antequam enim alteri liberi naſcantur, ſummam poteſtatem jure proprio habet, perinde ut privatus tali caſu verus interim rei fideicommiſſariæ dominus eſt, eámque tanquam ſuam ita exercet, ut ipſius actus nullius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi poſſint, ubi verò exiſtente poſtea conditione Regnum reſtituitur, jus omne, quod Rex fiduciarius hactenus habebat, in fideicommiſſarium tranſit, & ille rurſus in privatam ſortem recidit. Vitriar. ad Grot. *ſæpè cit. Cap. 3. Quæſt. 37.*

VIII.

Aliud exemplum ſummi Imperii temporarii in Dictatore Romano occurrere arbitrantur Grot. *cit. Cap.* §. *11. num. 1. & 2.* & ibi Hennigeſ. ac Teſmar. ſuámque opinionem potiſſimùm ex Liv. *Lib. 8. à Cap. 32. usque ad 36.* ſtabilire conantur, ubi cùm Q. Fabius contra Dictatoris Papirii Imperium, utut feliciter, pugnâſſet, damnatus tamen ab eo eſt ad mortem. Obſtabat huic immiti ſententiæ & frementis exercitûs clamor, & venerandi ſenis patris humillimæ preces, & efficax Senatûs auctoritas. Nihil impetratum eſt. Provocavit igitur miſer parens infelicis filii ad populum. Dictator, etſi provocationi deferre moribus patriis non fuiſſet adſtrictus, tamen ut omnibus de plenitudine ſuæ poteſtatis magis conſtaret, conceſſit in concionem, & ſeditioſis tribunis de jure ſuo tam magnificè reſpondit,

dit, ut ſtupentibus, & ſuam jam vicem magìs anxiis, quàm ejus, cui auxilium ab ſe petebatur, ſilentium indixerit. Succeſſit univerſus Romanus populus, non ex Imperio agens, ſed ad preces, & obteſtationes verſus. Tribuni quoque inclinatam rem in preces ſubſecuti. Jam ipſe adoleſcens, jam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere in genua, & iram deprecari Dictatoris. Tum demum Dictator, ne jure ſummo ad invidiam uteretur, delicti veniam dedit, cùm ſolenni tamen proteſtatione: *Viciſſe Imperii Majeſtatem, non noxæ eximi Q. Fabium, ſed noxæ damnatum donari populo Romano, donari tribunitiæ poteſtati, precarium, non juſtum auxilium ferenti.* Contrariæ ex adverſo ſententiæ præter Bodin. *Lib. 1. de Republ. Cap. 8.* ſubſcribunt Puffendorf. *ſuprà cit. Cap. 6.* §. *15.* Bœcler. & Obrecht ad Grot. *alleg.* §. *11.* qui exiſtimant, Dictatorem Romanum Magiſtratum duntaxat extraordinarium fuiſſe, qui intra ſemeſtre tempus nomine, ac vice populi ſummam exercuerit poteſtatem, neque obeſſe, quòd Dictatura ab initio ſine provocatione fuerit, cùm inſolens non ſit, dari Magiſtratum, abs quo, ſaltem in certo negotiorum genere, non concedatur provocatio, velut ſub Imperatoribus erant Præfecti Prætorio. *Lib. un. ff. de Offic. Præfect. Prætor.*

IX.

Porro nec Imperium ſub Lege commiſſoriâ, ſeu ita delatum, ut Rex Regno cadat, ſi promiſſa non ſervet, ſummum eſſe deſinit, ſed modus habendi ſaltem erit imminutus, qui tamen naturam rei non immutat; licèt enim Rex tali caſu Imperium habeat amiſſibiliter, non tamen illud habet precariò, nec vice alterius, ſed jure proprio exercet, ita ut ipſius actus nullius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi poſſint. Certè Imperium, quod feudi jure tenetur, non deſinit eſſe ſummum, tametſi ex capite feloniæ amitti poſſit, ut paulò poſt probabimus: Ergo neque Imperium ſub Lege commiſſoriâ delatum ſummum eſſe deſinit, licèt ob violatam fidem amitti poſſit. Diſſentit Vitriar. *ſæpè cit. Cap. 3. Quæſt. 45.* duplici ratione motus. Prima eſt, quòd Rex, qui Imperium ſub Lege commiſſoriâ accipit, ſe ſubjiciat judicio populi, vel ſtatuum Regni. Altera, quòd pœna infligatur à ſuperiore propter transgreſſionem Legis, quam

quam præſcribit. At neutra ratio noſtram evertit ſententiam. Non prima, quia ejusmodi clauſula commiſſoria talia duntaxat comprehendere ſolet, quæ in ipſos ſenſus incurrunt, ac proinde ambiguæ diſceptationi non ſunt obnoxia. Unde nullo opus eſt judicio, in quo ſuper violatâ fide, utpote re per ſe manifeſtâ, cognoſcatur, nec etiam requiritur ſententia, ſed ſufficit, ſi populus, aut Regni proceres teſtentur, quòd notoriam ejusmodi violationem datæ fidei ad animum revocent, & jure ſuo uti velint. Puffendorf. *ubi ſuprà* §. *10*. Accedit, quòd Regnum ſub Lege commiſſoriâ delatum propter violatam fidem ipſo facto amittatur, ſi pactum reſolutivum verbis directis ſit conceptum. Tametſi igitur Rex, qui Regnum hac Lege accipit, judicio, ac ſententiæ populi ſe ſubjiciat, non tamen ſe ſubjicit pro eo tempore, quo manet Rex, ſed pro illo tantùm, quo Rex non ampliùs erit: Ergo antequam Regnum committatur, Imperium, quod habet, manet ſummum. Altera autem ratio vagatur extra rhombum; licèt enim amiſſio Regni pœna ſit violatæ fidei, non tamen eſt pœna legalis, aut judicialis, ſed conventionalis, ſeu pacto, quo Regnum delatum, & ſuſceptum eſt, conſtituta, quæ ſuperiorem non deſiderat, ut committatur. Unde adductum argumentum in pœnis tantùm legalibus, & judicialibus procedit, quæ ſine dubio non niſi à ſuperiore infligi poſſunt.

X.

Famoſa quæſtio eſt, utrùm ſummum Imperium retineat, qui ex fœdere alterius Majeſtatem comiter conſervare tenetur. Ad hanc quæſtionem Proculus *in L. 7. §. 1. ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* in hæc verba reſpondit: *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt: item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi Majeſtatem comiter conſervaret; hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum: quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque authoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſint: ſic eos, qui Majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt.* Quamvis igitur populus tali fœdere obſtrictus operam dare teneatur, ut alterius populi Imperium in tuto ſit, & digni-

dignitas, quæ in propoſito Majeſtatis nomine ſignificatur, ei conſtet, non tamen propterea ejus ſubjicitur poteſtati, ſed liber manet. Eſt quidem populus fœdere inferior in fide, & patrocinio populi ſuperioris, perinde ut clientes in fide ſunt patronorum. At ſicut patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ita nec patrocinium publicum tollit libertatem civilem. Unde alter populus dignitate tantùm, & auctoritate, non poteſtate ſuperior eſſe dicitur. Sunt tamen quædam, quæ in contrarium opponi poſſunt, & quidem

XI.

Primò obſtare videntur ipſius Proculi verba *in* §. *2.* ubi *at fiunt apud nos rei,* inquit, *ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus*, quod non videtur fieri potuiſſe, ſi civitates fœderatæ ſummum retinuiſſent Imperium. ℞. I. Proculum *in* §. *1.* fœdus inæquale deſcribere, quale ſuâpte naturâ eſt, quæ in hoc tantùm conſiſtit, ut populus fœdere inferior alterius Imperium, ac Majeſtatem comiter obſervet, & in omnibus actionibus reverentiam quandam erga ipſum oſtendat; *in* §. *2.* autem eundem referre factum flexæ in arrogantiam potentiæ Romanæ, quæ ſucceſſu temporis victos juxta, ac ſocios opprimebat, quâ de injuſtitiâ conqueritur ipſe Cicer. *de Offic. Lib. 2*, ubi, *deſitum eſt*, inquit, *videri quidquam in ſocios iniquum, cùm extitiſſet etiam in cives tanta crudelitas.* Et ſanè plerúmque accidit, ut, qui ſuperiores ſunt in fœdere, ſi illi potentiâ multùm antecellant, paulatim Imperium propriè dictum uſurpent, ac fœdere inferiores ad conditionem ſubditorum redigant, præſertim ſi fœdus ſit perpetuum, & cum jure inducendi præſidia in oppida conjunctum. ℞. II. Verba Proculi *in cit.* §. *2.* hoc tantùm ſenſu accipienda eſſe, quòd apud Romanos ex fœderatis civitatibus rei fiant, & illi damnari, ac puniri poſſint, ſi in loco Romanis ſubjecto deliquerint, quamvis verſâ vice cives Romani in territoriis fœderatarum civitatum delinquentes nequeant ad ſupplicium rapi, quod nullam infert ſubjectionem civitatum fœderatarum, ſed peculiarem duntaxat continet prærogativam populi Romani, tanquam in fœdere ſuperioris. Extra hunc caſum Senatus Romanus ipſe fatetur apud Polyb. excerpt. 105. judicium ſibi in fœderatos

tos reos non competere. Confer. Ziegler. & Hennigeſ. ad Grot. §. *21.* ad verba: *ſed ut hæc res intelligatur &c.* Item Obrecht *ibid.* ad verba: *Obſtare his, quæ diximus &c.*

Secundò opponi poteſt, quòd in hiſtoriis ei, qui fœdere ſuperior eſt, *imperandi*, & ei, qui eſt inferior, *parendi* vox interdum tribuatur: Ergo non tantùm auctoritate, & dignitate, ſed & Imperio ille ſuperior, hic inferior, & ſubditus erit. ℞. Cùm in fœdere inæquali uni vox *imperandi*, alteri *parendi* tribuitur, eas non accipi in ſenſu proprio, ſed tantùm improprio; vel enim agitur de rebus ad commune bonum ſocietatis pertinentibus, vel de privatâ utilitate ejus, qui ſuperior eſt infœdere. In rebus communibus extra tempus conventùs, etiam ubi fœdus æquale eſt, ſolet is, qui lectus eſt Princeps fœderis, ſociis imperare, ác proinde mirum non eſt. Si in fœdere inæquali idem faciat is, qui ſuperior eſt in fœdere. Imperium autem hîc nihil aliud ſignificat, quàm directionem, adeóque libertatem aliorum non tollit. In iis verò rebus, quæ ad propriam utilitatem ſpectant, ſuperioris poſtulata Imperia dici ſolent propter effectûs ſimilitudinem, nam quod ſuperior ab inferiore poſtulat, ab hoc vix denegari poteſt. Hinc illud: *Rex dum rogat, jubet.*

Tertiò objici poteſt, quòd ſi ſocii, qui in ejusdem populi, aut Regis fide ſunt, inter ſe litigent, plerúmque controverſiæ diſceptari ſoleant apud eum, qui in fœdere ſuperior eſt: Ergo verum in eos Imperium habere, ipſis autem ſola obſequii gloria relicta eſſe videtùr. ℞. Hoc caſu eum, qui in fœdere ſuperior eſt, conciliatoris tantùm, aut arbitri compromiſſarii partes ſuſtinere, non veri judicis. Sic & in fœdere æquali controverſiæ vel ad conventum ſociorum, quos res non tangit, vel ad Principem fœderis, tanquam communem arbitrum, deferri ſolent. Sic & Reges apud judices à ſe conſtitutos ſolent contendere, ex quo tamen nulla ſubjectio erui poteſt. Grot. *Lib. 1. Cap. 3.* §. *21.*

XII.

Difficilior multis videtur quæſtio, utrùm Imperium deſinat eſſe ſummum, ſi feudi jure teneatur? Affirmativam tenet Vitriar. *cit. Cap. 3. Quæſt. 54.* Negativam verò præter Grot. *eod. Cap.* §. *23.* tuentur

tur Hennig. & Teſmar. *ibidem*, item Huber. *de Jur. Civit. Lib. 1. Sect. 3. Cap. 3. num. 41. & ſeqq.* Dn. P. Schmier *in J. P. U. Lib. 2. Cap. 1. Sect. 1.* §. *3. num. 27.* & alii, quibus aſſentior; tametſi enim dominium directum penes concedentem remaneat, eique vaſallus fidelitatem, reverentiam, & ſervitia præſtare teneatur, hoc tamen non efficit, ut Imperium deſinat eſſe ſummum, quia dominium directum hoc tantùm operatur, quod jus Imperandi non ſolùm familiâ extinctâ ad concedentem revertatur, ſed & ex capite feloniæ amitti poſſit, quod modum habendi quidem imminuit, rem ipſam autem non immutat, qui enim Regnum feudale tenet, omnes ſummi Imperii actus eodem jure exercet, quo is, qui Regnum habet non feudale, ita ut à Domino directo non poſſint, irriti reddi, cùm is vaſallum in exercitio juris ſui neutiquam impedire queat. Obligatio autem vaſalli eadem eſt, ſive aliquis ipſum jus imperandi, ſive aliud quidvis feudi jure poſſideat. Sicut ergo illa privato non demit jus libertatis perſonalis, ita nec Regi demit libertatem civilem. Certè vaſallus ex ſolo feudi titulo non fit ſubditus domini directi, cùm aliud ſit eſſe vaſallum, aliud eſſe ſubditum alicujus. *Clem. Paſtoralis 2. de ſent. & re judicat.* Ergo nec Rex vaſallus fit ſubditus illius, à quo Imperium in feudum recognoſcit. Præſtat quidem vaſallus domino directo juramentum, at non præſtat juramentum ſubjectionis, ſed tantùm fidelitatis; licèt enim interdum etiam juret **gehorſam zu ſeyn**; hoc tamen ad ſolas cauſas feudales pertinet, in quibus utique dominum agnoſcere, & obſequium eidem præſtare tenetur. Tametſi ergo aliquis Regnum ſuum ab altero in feudum recognoſcat, libertatem tamen civilem is retinet, ac proinde Imperium ob nexum feudalem non deſinit eſſe ſummum. At

XIII.

Dices. Dominus directus juriſdictionem habet in vaſallum: Ergo qui Imperium feudi jure tenet, ſubjectus eſt illi, à quo tenet. Qui autem alteri ſubjectus eſt, non habet poteſtatem ſummam: Ergo &c. ℞. D. Ant. Dominus directus juriſdictionem habet in vaſallum ex pacto tantùm deſcendentem, & omni poteſtate coactivâ deſtitutam, adeóque planè impropriam C. Ant. propriè dictam N. Ant. & Conſ. Juriſdictio igitur, quam dominus directus quà

 talis

talis habet, impropria, omniſque poteſtatis coactivæ expers eſt; fundatur enim in contractu feudali, vi cujus vaſallus in cauſis feudalibus ejus cognitioni, & ſententiæ haud aliter ſe ſubmittit, ac litigantes arbitro compromiſſario ſe ſubmittere ſolent. Uti ergo de ſummitate Imperii nihil decedit, ſi Rex in arbitrum compromittat, ita nec in propoſito quidquam de ſummitate Imperii decedere dicendum eſt. Deinde omni poteſtate coactivâ deſtituta eſt; licèt enim dominus vaſallo condemnato ſub periculo amiſſionis feudi mandare poſſit, ut ſententiæ in judicio feudali latæ pareat, aut etiam miſſionem in bona decernere queat, realem tamen immiſſionem facere nequit, ſed judicis ordinarii opem, & auxilium implorare, ac requirere debet. Ludwel *ad Jus feud. Part. 2. Cap. ult. pag. 423.* Præterea jurisdictio, quam dominus in vaſallum habet, ab illâ, quæ in ſubditos competit, etiam in hoc differt, quòd vaſallus domino etiam invito pro lubitu ab illâ ſe liberare valeat, feudum refutando. At ſubditus obligationi, quam ſuperiori debet, citra ejus conſenſum ſe eximere haud poteſt, etiamſi omnia bona ſua derelinquere vellet, ſecùs ſi faceret, graviſſimum inobedientiæ, & defectionis crimen incurreret. Nihil ergo ſummitati poteſtatis civilis detrahit jurisdictio, quam is, qui Regnum in feudum concedit, in Regem vaſallum habet, quamvis de dignitate Regiâ humile vaſalli nomen haud parùm delibare videatur.

XIV.

Planè illud certum, & extra controverſiam eſſe arbitror, quòd Imperium non deſinat eſſe ſummum, tametſi Imperans certum quid penſitet, vel ad redimendas potentioris injurias, quas ab eo ſibi inferendas metuit, vel ad tutelam comparandam contra vicini Principis inſolentiam, & ambitionem, cùm ejusmodi penſiones non ex Imperio alterius, ſed ex pacto, & conventione profluant. Grot. *dict. Cap. 3. §. 22.*

§. IX.

De effectu & proprietatibus ſummæ poteſtatis civilis.

SUMMARIA.

I. *Effectus ſummæ poteſtatis civilis ſtat tum in jure dirigendi actiones ſubditorum, tum in obligatione ſemper, & ubique intendendi ſalutem, & felicitatem publicam.*

II. *An, & quatenus ſummi Imperantes Legibus merè civilibus ſoluti ſint?*

III. *Non ſunt ulli mortalium adſtricti ad rationes actuum ſuorum reddendas.*

IV. *Pœnæ humanæ non ſubjacent.*

V. *Summam poteſtatem civilem ſumma comitatur dignitas.*

VI. *Non eſt indiviſibilis.*

VII. *Eſt ſancta & inviolabilis, ac proinde ſubditi ſummis Imperantibus arma opponere haud poſſunt.*

VIII. *Adeò ut nequidem Magiſtratus injuriis ſummorum Imperantium reſiſtere queant.*

IX. *Si autem Rex verè hoſtili animo in totius populi exitium feratur, eidem reſiſti poteſt.*

X. *Quid ſi Rex non totum populum, ſed inſignem tantùm ejus partem perdere velit?*

XI. *Quid ſi ſingulos? ubi refertur ſententia Grotii.*

XII. *Adducuntur certæ cautiones.*

XIII. *Referuntur plures caſus, quibus reſiſti poteſt.*

XIV. *Utrùm invaſori alieni Imperii in iis, quæ jubet, parendum ſit?*

XV. *Quamdiu ſolâ vi retinet poſſeſſionem, is jure belli à quolibet interfici poteſt.*

XVI. *Ut & ſi ante invaſionem Lex publica extiterit, quæ hoc permittat.*

XVII. *Aut ſi, diſerta accedat auctoritas ejus, qui verum jus imperandi habet.*

XVIII. *Tametſi invaſori jam fides juratò data eſſet.*

XIX. *Extra hóſce caſus privatò invaſorem ſummi Imperii vi dejicere, aut occidere non licet.*

I.

EFFectus poteſtatis civilis alius eſt directus, alius indirectus. Directus porro vel eſt generalis, vel ſpecialis. Generalis conſiſtit in jure dirigendi actiones ſubditorum ad ſalutem Reipublicæ. Effectus verò ſpeciales plures ſunt pro diverſitate jurium, quæ ſumma poteſtas complectitur. Effectus autem indirectus ſtat in obligatione, quam ſummi Imperantes unà cum Imperio in ſe ſuſcipiunt; cùm enim ſumma poteſtas ſuâpte naturâ ordinata ſit ad bonum, & felicitatem communitatis politicæ, hoc ipſo, quòd aliquis eandem ſibi à communitate delatam ſuſcipiat, ſimul etiam in ſe obligationem recipit, Rempublicam ſibi commiſſam ita gubernandi, ut ſemper, & ubique ſalutem, & felicitatem publicam intendat. Unde neutiquam ferendi ſunt, qui turpi aſſentandi ſtudio ſummos Imperantes ab omni obligationis vinculo liberos eſſe pronunciare audent, nixi potiſſimum *1. Reg. 8. verſ. 11. & ſeqq.* ubi Samuel populo Iſraëlitico Regem petenti Jus Regis, qui regnaturus eſſet ſuper eum, ex mandato Dei hiſce prædixit verbis: *Hoc erit Jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, vósque eritis ei ſervi.* Sed malè; nam jus hoc Regis, quod Samuel populo Iſraëlitico prædixit, non approbatur tanquam verum, & legitimum jus, ſed tantùm refertur, prout à Regibus haud rarò uſurpatur in depreſſionem ſubditorum, quali tunc uſi ſunt Reges Ammonitarum, Moabitarum, & Philiſthinorum; cùm enim Iſraëlitæ Regem ſibi petiiſſent, qui eos judicaret, ſicut univerſæ habent

bent Nationes, juſſit Deus per Samuelem ipſis prænuntiari Jus Regis à vicinis Nationibus uſurpatum, ut inde intelligant, quàm malè fecerint petendo ſibi Regem, & tales etiam Hebræis obtigiſſe Reges, manifeſtum fecit graviſſimum illud jugum, quod Salomon, Roboam, Jeroboam & plures alii Reges ſubditis impoſuêre. Alia ſanè vivendi ratio præſcribitur Regi *Deuter. Cap. 17. verſ. 16. & ſeqq.* Hæcque eſt illa Lex Regni, quam Samuel *1. Reg. 10. verſ. 25.* locutus eſt ad populum, eámque ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino, non jus illud Regis paulò antè adductum. S. Thom. *1. 2. Quæſt. 105. Art. 1. & 2.*

II.

Proprietates ſummæ poteſtatis civilis plures occurrunt. Prima eſt, quòd Legibus merè civilibus ſoluta ſit, ità ut ſummi Imperantes nequidem vi Legum ſuarum directivâ directè obligentur, licèt, ſi lex reſpiciat materiam ſummæ poteſtati, ac ſubditis communem, illi Lege ſuâ ſaltem indirectè obſtringantur, cùm vi officii ſui teneantur bono publico conſulere, ac ſubditos tum verbis, tum exemplo ad virtutum ſtudium, & Legùm obedientiam inducere, quem finem non meliùs aſſequuntur, quàm ſi ipſi præſtent, quod exigunt ab aliis, & Leges à ſe latas exemplo ſuo comprobent. Vid. Dn. D. Gletle *in Juriſpr. fundam. Lib. 1. Tit. 2. Cap. 4. §. 5. num. 5. & ſeqq.*

III.

Secunda proprietas eſt, quòd ſumma poteſtas civilis nulli mortalium obſtricta ſit ad rationes actuum ſuorum reddendas, ita ut jure Imperii ab alio irritari poſſint, cùm poteſtatem ſuperiorem ejusdem ordinis, & lineæ non agnoſcat; ſolent quidem ſæpè ſummi Imperantes tuendæ exiſtimationis cauſâ univerſo orbi actuum ſuorum rationes reddere. Ad hoc nullam arguit ſubjectionem. Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 6. num. 2.*

IV.

Tertia proprietas eſt, quòd ſummi Imperantes pœnæ humanæ non ſubjaceant, cùm impoſitio pœnæ ex parte infligentis ſupponat jus ſuperius, quod repugnat reſpectu ſummorum Imperantium, quia

quia ſummo ſuperius in eodem ordine dari haud poteſt. Hinc illud dictum M. Antonini Philoſophi: *Nemo, niſi ſolus Deus, judex Principis eſſe poteſt.* Et Marcus Aurelius Magiſtratus dixit de privatis, Principes de Magiſtratibus, Deum de Regibus judicare. Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 8. num. 15.*

V.

Quarta proprietas eſt, quòd ſummam poteſtatem civilem ſumma comitetur dignitas. Unde ſummis Imperantibus, tanquam Dei vicariis, etiam ab exteris omnis debetur honor, & reverentia. Sanè contemptus, & violatio ſummæ dignitatis ad communem omnium Imperantium contumeliam ſpectare videtur, ob peſſimum, quod aliis præbetur, exemplum; fruſtrà enim ſperat, ſuam dignitatem in tuto fore, qui eandem in aliis ſpernit, aut ſperni, ac vilipendi patitur. Ipſorum igitur Imperantium intereſt, ut dignitas, quæ ſummo cohæret Imperio, etiam in exteris ubique & ſemper intacta, ac illæſa conſervetur.

VI.

Quinta ab aliquibus aſſignatur proprietas, quòd ſumma poteſtas ſit indiviſibilis; ſi enim, *inquiunt*, divideretur, paritas intercederet, eóque deſineret eſſe ſumma, cùm ſummus non ſit, qui parem habet, aut reſpectu aliquo paret. Ubi poteſtates ſunt æquales, neutra dici poteſt ſumma. Sed horum ſententiam jam ſuprà *Part. 1. Cap. 2. §. 2.* rejecimus. Et ſanè argumentum hoc non magni ponderis eſt; tametſi enim poteſtas civilis dividatur, ita ut diverſæ ejus portiones diviſim penes diverſos reſideant, non tamen propterea deſinit eſſe ſumma, quia paritas, quæ per talem diviſionem inducitur, non eſt reſpectu ejusdem, ſed diverſi juris, neuter enim reſpectu ſuæ partis parem habet, ſed cujuslibet poteſtas verè, & poſitivè ſumma eſt. Si autem quædam ſummæ poteſtatis jura penes Regem, & concilium Optimatum indiviſim reſideant, reſpectu eorundem quidem jurium paritas inducitur, nihilominus tamen ne hoc quidem caſu ſummitas poteſtatis civilis deſtruitur, cùm neceſſe non ſit, ut poteſtas in civitatem ſit ſumma in ſenſu poſitivo, ſed ſufficiat, ſi ſumma ſit in ſenſu negativo, hoc eſt, ut altiori poteſtati ejusdem ordinis, & lineæ non ſit ſubjecta.

VII. Ulti-

VII.

Ultima denique proprietas eſt, quòd ſumma poteſtas civilis ſit ſancta, & inviolabilis, ac proinde ſubditi ſine graviſſimo læſæ Majeſtatis crimine ſummis Imperantibus arma opponere haud poſſunt, idque non eo tantùm caſu procedit, quo ſummi Imperantes intra poteſtatis ſuæ limites perſiſtunt, quod nemo ſanus negaverit, ſed & ſi eos egreſſi ſubditis injuriam inferre tentent; ſi enim ſub prætextu arcendæ injuriæ ſummis Imperantibus reſiſtere permiſſum eſſet, ordo imperandi, & parendi penitus diſſolveretur, quia paſſim fingeretur injuria, ubi tamen nulla injuria eſt, vel licèt hoc non ſemper accideret, periculum ſaltem foret univerſale: Sine ordine autem imperandi, & parendi non poteſt civilis ſocietas conſiſtere. Toleranda igitur potiùs injuria eſt, quàm vi reſiſtendum, nec arma, ſed preces ſunt opponendæ. Sic Lyſimachus, ùt Juſtin. *Lib. 15.* teſtatur, magno animo Regis, velut parentis, contumeliam tulit. Similiter Liv. *Lib. 27. Cap. 36. in fin.* ùt parentum ſævitiam, ſic patriæ patiendo, ac ferendo leniendam eſſe ait. Eleganter Seneca *Lib. 2. de Ira Cap. 30. Judex eſt, qui lædere videtur? plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ. Rex eſt, ſi nocentem punit, cede juſtitiæ, ſi innocentem, cede fortunæ.* Exemplo ſint veteres Chriſtiani, qui, licèt à peſſimis Imperatoribus graviſſimas perſecutiones perpeſſi ſint, nec defuerint, qui obtentu adjuvandæ Reipublicæ ſe illis opponerent, horum tamen conatibus nunquam ſe adjunxerunt, ut authoritate Tertulliani, S. Ambroſii &c. probat Grot. *Lib. 1. Cap. 4. §. 5.*

VIII.

Sunt, qui ſaltem Magiſtratus inferiores injuriis ſummorum Imperantium reſiſtere poſſe putant, imò & peccare eos ajunt, niſi reſiſtant, cùm officium Magiſtratuum ſit, ſubditos adverſùs aliorum injurias defendere. Extant hanc in rem libelli quidam, quos ſeditioſa hæc, & novarum rerum cupida ingenia priore ſæculo in lucem publicam emiſère, inter quos ille eſt, qui Bruti eruditum magìs, quàm auſpicatum nomen præfert. Claſſicum ille canit adverſùs Reges, & privatâ auctoritate ex Regibus Tyrannos facit, cavillatione non modò ſanioris Philoſophiæ, ſed & ſacræ ſcripturæ. At pernicioſam hanc ſententiam meritò improbant, & deteſtantur omnes,

quotquot tranquillitatis publicæ amantes ſunt; quamvis enim Magiſtratus ſubalterni inferiorum habitâ ratione perſonæ publicæ ſint, reſpectu tamen ſuperiorum privati ſunt, cùm omnis poteſtas, quæ in Magiſtratibus ſubalternis eſt, tam quoad originem, quàm quoad latitudinem, & totum ſuum eſſe, ac operari dependeat à ſummâ poteſtate, eique ita ſubjiciatur, ut, quidquid faciunt contra voluntatem ſummi Imperantis, id pro actu merè privato habendum ſit. Atque hanc ſubordinationem non tantùm indicat ſenſus communis, ſed & ſacræ probant litteræ ad Rom. *13. verſ. 1.* ubi Doctor Gentium *omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe* jubet, quibus verbis Magiſtratus etiam inferiores incluſit. Item *Epiſt. 1. Cap. 2. verſ. 11.* ubi Princeps Apoſtolorum nos aliter vult ſubjectos eſſe Regi, aliter Magiſtratibus, Regi quidem quaſi præcellenti, Magiſtratibus verò tanquam ab eo miſſis. Quòd ſi contra Reges aliquando à ſubditis vi quid factum fuiſſe legatur, id vel factum eſt ex ſpeciali mandato Dei, cujus jus in Reges ſummum eſt, vel id narratur tantùm in teſtimonium divinæ providentiæ id permittentis, non in facti humani approbationem. Fruſtra etiam ab adverſariis opponitur dictum Trajani, cùm pugionem Præfecto Prætorio his verbis traderet: *Hoc pro me utere, ſi rectè Impero, ſi malè, contra me*; nullam enim Trajanus in ſe hiſce verbis Præfecto Prætorio contulit poteſtatem, ſed S. P. Q. R. ſecuros tantùm reddere voluit de Imperio rectè adminiſtrando. Confer. Grot. *dict. Cap. 4.* §. *6.* & ibi Bœcler.

IX.

Planè ſi Rex verè hoſtili animo in totius populi exitium feratur, quin ei hoc caſu reſiſti poſſit, vix dubium eſſe videtur; nam qui ſe hoſtem totius populi profitetur, hoc ipſo Regnum abdicat, cùm voluntas perdendi, & imperandi non poſſit ſimul conſiſtere. Sed hoc in Rege mentis compote, & qui uni imperat populo, vix accidere poſſe videtur; ſi verò pluribus imperet populis, fieri poteſt, ut in unius populi gratiam alterum velit perdere, ut colonias ibi faciat. Ita Grot. *cit. loc.* §. *11. & ibi* Vitriar. *Quæſt. 14.* Item Huber. *de Jur. civit. Lib. 1. Sect. 9. Cap. 3. num. 29. & 30.*

X. At

X.

At quid ſi Rex non totum populum, ſed inſignem tantùm ejus partem velit perdere, poterítne illa adverſùs tam immanem Regis ſævitiam ſe armis defendere? Barclajus utut aliàs Regii Imperii aſſertor fortiſſimus *Lib. 3. adverſus Monarchomos Cap. 8.* affirmat. Ejusdem etiam opinionis eſt Puffendorf. *Lib. 7. Cap. 8.* §. *6. & 7.* tum quòd Rex qui in hoſtem abit, & inſignem populi partem perdere vult, eam hoc ipſo ab obligatione, quâ ipſi obſtricta erat, videatur abſolvere, tum quòd illi, qui ab initio in ſocietatem civilem coaluerunt, aut ei ex poſt acceſſerunt, præſumi non poſſint, naturali defenſioni adverſùs tam immanem Regis ſævitiam renunciâſſe, hoc enim majus eſſet malum, quâm cujus evitandi cauſâ in civitatem coiêrunt.

XI.

Ulteriùs progreditur Grot. qui *ſuprà cit. Cap. 4.* §. *7. num. 4.* ait, *ſe vix audere indiſcriminatim damnare etiam ſingulos, qui ultimo neceſſitatis præſidio ſic utantur, ut interim communis boni reſpectum non deſerant.* Adducit is exemplum Davidis, qui extra pauca facta teſtimonium vitæ ſecundum Leges exactæ habet, & tamen, poſtquam tum Jonathanis indicio, tum pluribus aliis certiſſimis argumentis compererat, Regem Saulem vitæ ſuæ imminere, armatos circum ſe, primùm quadringentos, deinde plures aliquanto habuit, quò, *inquit ille*, niſi ad vim arcendam, ſi inferretur? Interim nec urbes invadit, nec pugnandi captat occaſiones, ſed latebras quærit, modò in locis deviis, modò apud populos extraneos, & hac Religione, ut popularibus ſuis nunquam nocuerit. Ita Grot.

XII.

Cœterùm licèt transmittatur, quòd ſubditi adverſùs immanem Imperantium ſævitiam ſe tueri poſſint, hoc tamen primò non aliter poterit procedere, quàm ſi omnia priùs ad obtinendam clementiam tentata incaſſum ſint, ita ut nullum remedium aliud ſuperſit. Deinde in hoc rerum ſtatu non ultrà arma ſubditorum juſta eſſe poſſunt, quàm quatenus exigat inevitabilis defenſionis neceſſitas, ac proinde Regem poteſtate ſuâ exuere haud poſſunt, multò minùs

 perſo-

perſonæ ipſius vim inferre queunt; *quis enim*, inquit David ad Abiſai, *extendet manum ſuam in Chriſtum Domini*, *& innocens erit?* *1. Reg. 26.* Percuſſit ſanè David cor ſuum, eò quòd abſcidiſſet chlamydis oram Saulis, dixitque ad viros ſuos: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quoniam Chriſtus Domini eſt.* Et paulò poſt: *propitius ſit mihi Dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini. 1. Reg. 24.* Adde Grot. *ubi ſuprà num. 6. & 7. & ibi* Hennig. ſed nec cœteris ſubditis propterea obſequium exuere, aut innocentem vi armatâ protegere permiſſum eſt, quia ob injuriam, quæ uni fit, reliqui obligatione ſuâ erga Principem non ſolvuntur, neque metus, ne eadem, vel ſimilis fortè injuria ipſis inferatur, ad obligationem abrumpendam ſufficit, cùm incertus ſit, & peculiares in uno odii cauſæ eſſe poſſint, quæ in aliis non deprehenduntur; quod vel maximè procedit, ſi Rex ſub obtentu juris, ſubornatis fortè calumniatoribus, & falſis teſtibus innocentem ad ſupplicium rapere inſtituat, cùm Imperans in exercitio judiciariæ poteſtatis citra violationem publicæ tranquillitatis impediri haud poſſit. Puffendorf. *ubi ſuprà* §. 5.

XIII.

Hac tamen inviolabilitate non gaudent, niſi veri Reges, qui enim Regium quidem nomen gerunt, populi autem poteſtati ſubſunt, quales olim erant Reges Spartanorum, ſi in Leges, & Rempublicam peccent, non tantùm vi repelli poſſunt, ſed etiam, ſi opus, puniri morte, velut Pauſaniæ Regi Lacedæmoniorum contigit, nihil enim ampliùs ſunt, quàm nudi Magiſtratus populi, penes quem ſummum ſtat Imperium. Deinde hactenus tantùm gaudent, quatenus ſunt ſummi Imperantes, ſi enim inter Regem, & populum, vel Senatum Procerum Imperium diviſum ſit, Regi in partem non ſuam involanti vis juſta opponi poterit, etiamſi dictum ſit, belli poteſtatem penes Regem fore, quia hoc de bello externo intelligi debet, nam qui ſummi Imperii partem habet, non poteſt non jus habere, eam partem tuendi. Sed & reſiſti poterit Regi, ſi is modum habendi Imperii immutare velit, puta ſi Regnum electione, aut ſucceſſoriâ Lege delatum alienando alteri tradere, aut ſubjicere moliatur;

liatur; nam modus habendi non continetur ſub Imperio. Idem dicendum, ſi in delatione Imperii dictum ſit, ut certo eventu Regi reſiſti poſſit, qui enim jus ſuum alienat, etiam jus illud pactis imminuere poteſt. Denique ſi Rex Imperium vel abdicaverit, vel manifeſtò pro derelicto habuerit, aut ex Lege commiſſoriâ rurſus amiſerit, vel aliàs in privatam denuo ſortem reciderit, in talem ex poſt omnia licent, quæ in alium privatum licent. Confer. Grot. *ſæpè cit. Cap.* 4. §. 8. *& ſeqq.* & Puffendorf. *ubi ſuprà* §. 8.

XIV.

Vidimus, quid permiſſum ſit in eum, qui jus imperandi habet, aut habuit, ſupereſt, ut jam videamus, quid privatis in invaſorem alieni Imperii liceat, quamdiu ſcilicet durat injuſtæ poſſeſſionis cauſa; nam ex quo vitium poſſeſſionis purgatum eſt, ex eo tempore invaſor legitimus incipit eſſe Rex, ac proinde eâdem ſanctitate, & inviolabilitate gaudet, quâ ille, qui ab initio ex juſto, & legitimo titulo Regnum occupavit. Antequam autem hoc dubium excutiamus, priùs nobis videndum eſt, utrùm ejusmodi invaſori in iis, quæ jubet, parendum ſit? dixeris fortè, parendum non eſſe, nam obligatio ad obſequium conſurgere non poteſt, niſi is, qui præcipit, præcipiendi habeat poteſtatem, qua invaſor, quamdiu quidem durat injuſtæ poſſeſſionis cauſa, utique deſtitutus eſt. At nihilominus dicimus, actus Imperii, quos invaſor, dum poſſidet, inſtar legitimi Principis exercet, vim habere poſſe obligandi, non quidem ex invaſoris jure, quippe quod nullum eſt, ſed ex præſumptâ voluntate ejus, qui jus imperandi habet, cùm omnino probabile ſit, hunc malle interim rata eſſe, quæ imperat invaſor, quàm Legibus, & judiciis ſublatis ſummam induci confuſionem, modò actus non pertineant ad raptorem in poſſeſſione ſuâ iniquâ firmandum, nam in his, ſi poſſit ſine gravi periculo non pareri, parendum non eſt: Si autem legitimus Princeps in talem ſit conjectus ſtatum, ut neque ipſe, quam debet, defenſionem ſubditis ſuis præſtare queat, neque tantæ ſint ſubditorum vires, ut invaſori citra præſens exitium valeant reſiſtere, tunc neceſſitati cedere, & in iis etiam, quæ ad firmandam invaſoris poſſeſſionem pertinent, parere poſſunt; quia Princeps expulſus ſubditis ſuis obligationem erga ſe, quantum ad con-

ſervationem ipſorum, & declinandis periculis neceſſarium eſt, interim, donec fata viam ipſi ad Regnum iterum aperiant, remiſiſſe cenſetur, quilibet enim Princeps ejus humanitatis eſſe præſumitur, ut malit ſubditos ſuos quocunque modo ſervari, quàm nullo cum fructu perire. Vid. Grot. *cit. Cap.* 4. §. 15. & Puffendorf. *dict. Lib.* 7. *Cap.* 8. §. 10. Expedito hoc dubio

XV.

Quæritur jam, utrùm privatis talem invaſorem alieni Imperii vi dejicere, aut omnino occidere liceat? ℞. In tribus caſibus id licere, & quidem primò, ſi bello injuſto quis arripuerit Imperium, nec pactio ulla ſecuta ſit, aut fides ei data, ſed ſolâ vi retineatur poſſeſſio, veluti ſi in ſtatu populari, aut poſt extinctam Regiam familiam privatus faſces, & Regium Imperium vi uſurpet; nam hoc caſu jus belli manere videtur, ac per conſequens in talem invaſorem licet, quod in hoſtem licet, qui à quolibet etiam privato jure interfici poteſt. Ita Grot. *ſæpè cit. Cap.* 4. §. 16. Exiſtimat quidem Theſmar. *ibid. Lit. C.* hoc non aliter procedere, quàm ſi quis ſit miles, & Sacramento obſtrictus, neque enim jus eſſe ei, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte, velut Marcum Catonem ſenem ad Marcum filium, cùm is ab Imperatore miſſus factus eſſet, ſcripſiſſe refert Cicer. *Lib.* 1. *de Offic. Cap.* 11. Sed malè; civitas enim, vel qui Imperium in civitatem habet, unicuique ſuorum civium facultatem dare intelligitur, eandem contra ejusmodi injuſtum oppreſſorem defendendi. Unde qui talem invaſorem interficit, authoritate publicâ, non privatâ eundem interficit. Deinde in bello juſto cuilibet jure naturæ permiſſum eſſe videtur, ea facere, quæ parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidit, cùm innocentem defendere quivis poſſit; *fortitudo enim*, inquit S. Ambroſ. *de Offic. Lib.* 1. *Cap.* 5. *quæ defendit infirmos, plena juſtitia eſt*; imò ſi id facilè, & ſine incommodo ſuo fieri queat, ex Lege charitatis etiam defendere teneatur. Dictum Catonis rigorem duntaxat reſpicit diſciplinæ militaris Romanæ, ùt advertit Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 18. §. 1. *num.* 2.

XVI. Se-

XVI.

Secundò invaſor Imperii dejici, aut interfici poteſt, ſi ante invaſionem Lex publica extiterit, quæ unicuique poteſtatem faciat, occidendi eum, qui hoc, aut illud, quod in aſpectum cadit, auſus fuerit, qualis erat Romæ Lex Valeria, ſi quis injuſſu populi Magiſtratum gereret, quod non eatenus tantùm procedere videtur, quatenus in actu occupandi, & invadendi conſtitutus eſt, ſed etiam poſtquam occupavit, ſecùs ac exiſtimat Vitriar. *cit. Cap. 4. Quæſt. 21.* modò pactio non ſit ſecuta, aut fides invaſori data; tametſi enim quis ſummum Imperium, aut ejus partem vi injuſtâ occupaverit, niſi tamen pactio ſecuta, aut fides illi data fuerit, invaſionis vitium purgatum dici haud poteſt: Ergo priſtinus Imperans retinet ſummam poteſtatem civilem, ac per conſequens etiam Lex ab eo lata ſuam retinet vim, & efficaciam, atque adeò talis invaſor non minùs poſt occupatam Imperium, aut ejus partem, quàm cùm ille in actu invadendi, & occupandi conſtitutus eſt, ab unoquoque interfici poteſt. Certè invaſor ſemper actu vim infert Reipublicæ, quamdiu invaſionis vitium non purgatur: Ergo ſi in actu invadendi, & occupandi conſtitutus à quolibet occidi poteſt, etiam occidi poterit, poſtquam occupavit. Denique ille, qui ſummum Imperium habet, extra omne dubium talem invaſorem jure belli rurſus dejicere, & interficere poteſt: Ergo etiam alteri id faciendi per Legem generalem facultatem dare poteſt, ac proinde ſi ante invaſionem data ſit, illa etiam poſt occupationem injuſtam eò usque perdurat, donec vitium invaſionis fuerit purgatum.

XVII.

Tertiò invaſorem Imperii dejicere, aut omnino occidere licet, ſi diſerta accedat auctoritas ejus, qui verum jus imperandi habet: idem dicendum, ſi accedat auctoritas ejus, qui Regis infantis tutor eſt, qualis erat Jojada, cujus juſſu Athalia Regno depulſa, & interfecta fuit. *4. Reg. Cap. 11. & 2. Paralipom. Cap. 23.* Diſſentit Hornius, qui ipſâ invaſoris poſſeſſione, & dejectione veri Regis Imperium ſtatim ad invaſorem transferri arbitratur. Sed male; nam primò vis injuſta titulus habilis non eſt ad conferendum Imperium. Deinde

Deinde ſi prædo mihi e. g. ſervum per vim eripuerit, dominium non amitto, licèt difficilis ſit ejus perſecutio: Ergo nec Rex amittit Imperium, tametſi invaſor poſſeſſionem Regni apprehenderit. Certè poſſeſſio rei amitti poteſt, quin propterea amittatur ejus dominium; Ergo ex eo, quòd poſſeſſio Regni amiſſa ſit, malè infertur, etiam jus imperandi amiſſum eſſe. Hennigeſ. ad Grot. *ſæpè cit. Cap. 4.* §. *18.*

XVIII.

At quid, ſi invaſori jam fides, & quidem juratò data eſſet, an ille hoc etiam caſu accedente auctoritate ejus, qui verum jus imperandi habet, aut ejus tutoris, ſi is adhuc infans ſit, ab unoquoque interfici poterit? Negativam tuetur Bœcler. *ad cit.* §. *18.* Affirmativam verò Hennig. *dict. loc.* & D. Balthaſ. Wernher. *in Element. J. N. & G. Cap. 23.* §. *15.* Quibus aſſentior; quamdiu enim legitimus imperans ſubditos obligatione fidei, qua ſibi tenentur, non ſolvit, aut ſolviſſe præſumitur, tamdiu illi eandem alteri promittere haud poſſunt, & ſi promittant, promiſſio ob defectum poteſtatis ipſo jure nulla eſt, cùm obligationem, qua legitimo Imperanti adſtricti ſunt, eo invito excutere haud poſſint. Tendit ergo ejusmodi juramentum fidelitatis in præjudicium legitimi Imperantis, ac per conſequens obligatorium haud eſt. Quare accedente ejus auctoritate talis invaſor non minùs poſt, quàm ante fidem datam interfici poterit.

XIX.

Extra hæc privato non licet invaſorem ſummi Imperii vi dejicere, aut occidere, quia fieri poteſt, ut is, qui jus imperandi habet, malit invaſorem in poſſeſſione relinqui, quàm periculoſis, & cruentis motibus occaſionem dari, qui plerumque ſequi ſolent violatis, aut interfectis illis, qui validam habent factionem in populo, aut etiam extraneos amicos. Certè an verus Rex rem in ejusmodi periculum adduci velit, incertum eſt, cujus voluntate non exploratâ non poteſt vis eſſe juſta. Maximè autem in re controverſâ judicium ſibi privatus ſumere non debet, ſed poſſeſſionem ſequi. Grot. *ſæpiùs cit. Cap. 4.* §. *19. & ſeqq.*

§. X.

§. X.

De contrariis ſummæ Poteſtatis civilis.

SUMMARIA.

I. *Summum Imperium volente Imperante expirat primò abdicatione.*

II. *Utrùm abdicans ſucceſſoris ſubditus fiat?*

III. *Secundò alienatione, modò Imperans id pleno, & abſoluto dominii jure habeat, aliàs verius eſt, Imperium non amitti.*

IV. *Tertiò derelictione facto quodam declaratâ.*

V. *Quartò derelictione præſumptâ, non tamen ſtatim aliquis Imperium pro derelicto habere cenſetur, ſi id negligentiùs curet.*

VI. *Recenſentur modi, quibus ſummum Imperium deſinit Imperante invito.*

I.

Contraria ſunt modi, quibus poteſtas civilis rurſus exſpirat. Exſpirat autem vel ſummo Imperante volente, vel invito. Voluntas vel eſt vera, vel præſumpta, vera porro vel expreſſa, vel tacita, ſeu facto quodam declarata. Expreſſâ voluntate exſpirat ſummum Imperium, ſi quis diſertis verbis id abdicet, nam cedere jure ſuo quivis poteſt, modò uſum rationis, & liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habeat, & quamvìs ſingulari alicujus populi Lege caveri poſſit, ut, quod quis ſemel capeſſivit Imperium, ſine populi, aut Procerum Regni conſenſu ampliùs abdicare nequeat, vix tamen apud ullum populum Legem talem extare credo. Interim non nego, quin abdicatio, bellis præſertim incumbentibus, quandoque in Reipublicæ injuriam tendere poſſit. Exempla ſpontaneæ abdicationis plura occurrunt. Sic Carolus V. Imperator faſces imperiales liberâ voluntate depoſuit. Sic priore ſæculo Chriſtina Regina Sueciæ, obnitente Gentis Suecicæ, & Ordinum voto, in plenis Comitiis Inſignia Regalia exuit, & Caſimirus Rex Poloniæ contra opinionem, & exſpectationem Senatorum Regiam abdicavit dignitatem.

II.

Dubitari poteſt, utrùm poſt abdicatum Imperium abdicans ſucceſſoris ſubditus fiat? ℞. Intereſſe, utrùm in abdicatione pactus ſit independentiam, ùt Chriſtina Regina Sueciæ fecit, vel non. Illo caſu non fit ſubditus, qui enim paciſcitur independentiam, eximitur Imperio, cùm independentem eſſe idem ſit, ac nemini eſſe ſubjectum. Interim talis exemptus non ampliùs prioris civitatis pars manere videtur, cùm in eâdem civitate inter imperantes, & ſubjectos medium non detur: Erit ergo in ſtatu naturali conſtitutus, ſi tamen extra fines Imperii, in quo independentiam pactus eſt, ſe conferat, in libero aliorum Imperantium arbitrio ſitum erit, utrùm illam independentiam in ſuo territorio agnoſcere velint, vel non; nam pactum non egreditur paciſcentium perſonas. Humanitatis igitur, & indulgentiæ, non juris erat, quòd paulò antè nominata Regina Sueciæ tum in Galliâ, tum Romæ pro independente, & nemini ſubjectâ agnita & habita fuerit. Huber. *de J. C. Lib. 1. Sect. 9. Cap. 6. num. 19. & 20.* Si autem abdicans Imperium independentiam pactus non ſit, eundem omnino ſubditum fieri exiſtimo, nec enim ob id, quòd Imperium abdicaverit, pars civitatis eſſe deſinit, inter imperantes autem, & ſubditos in eâdem civitate medium non datur; interim nihilominus eidem ob memoriam priſtini faſtigii cultum, reverentiámque exhibendam eſſe cenſeo, quia ipſo Regimine præcedenti ſibi devinxit populum, ut gratitudinis & reverentiæ nexu ipſi maneat illigatus. Oſiand. & Teſmar. ad Grot. *Lib. 1. Cap. 4. §. 9.*

III.

Secundò voluntate Imperantis expreſſâ ſummum amittitur Imperium alienatione, modò id pleno, & abſoluto dominii jure habeat, ſecùs veriùs nobis videtur, Imperium non amitti, cùm talis alienatio nullius momenti ſit, quæ autem nulla ſunt, nullum habent juris effectum: nec dici poteſt, eſſe tantùm nullam reſpectu illius, in cujus gratiam fit, non etiam ex parte alienantis, qui enim jus ſuum alteri cedit, non aliter id dimittere velle cenſetur, quàm ſi illud in ceſſionarium tranſeat, utpote cujus ſolius gratiâ id dimittere vult: Ergo ſi tranſire non poſſit, non creditur id velle dimittere.

Unde

Unde fruſtrà opponunt adverſarii, quòd Rex alienando Regnum eidem renunciet, cùm non ſimpliciter, & abſolutè renunciet, ſed ſub hac tantùm conditione, ſi cum effectu juris Regnum in alterum transferri valeat, qua conditione deficiente non intelligitur Regnum dimittere velle. Grot. *cit. Cap. 4.* §. *10.* & Vitriar. *ibidem Quæſt. 12.*

IV.

Tacitâ voluntate ſummum amittitur Imperium derelictione facto declaratâ, quid enim intereſt, utrùm verbis, vel facto quis voluntatem ſuam declaret? Exemplum nobis præbet Henricus tertius Poloniæ Rex, qui auditâ morte fratris Caroli noni Galliarum Regis clam ſe Cracoviâ ſubduxit. Unde Poloni inſequente anno Stephanum Batori Principem Tranſylvaniæ Regem creavêre.

V.

Præſumpta voluntas abdicandi Imperium elicitur ex ſilentio, qui enim ſcit, Regnum ſuum ab altero tanquam proprium poſſideri, & cùm contradicere poſſet, tempore immemoriali tacet, id derelinquere cenſetur, qua de re ſuprà §. *6.* ſatìs dictum eſt. Interim licèt quis Imperium ſibi commiſſum negligentiùs curet, non tamen propterea id ſtatim pro derelicto habere cenſetur, quia nec privati res ſuas pro derelictis habere creduntur, quamvìs eas negligentiùs obſervent: Ergo multò minùs Imperium cenſetur pro derelicto habitum, tametſi id negligentiùs curetur, cùm ſummum Imperium tanquam res longè nobiliſſima non tam facilè deſeri ſoleat, quàm res privatæ; gratias quidem populo Romano egit Antiochus, quòd nimis magnâ procuratione liberatus modicis terminis uteretur. Valer. Max. *Lib. 14. Cap. 1.* At pauci noſtrâ ætate ſunt Antiochi, quivis potiùs præeſſe, quàm ſubeſſe vult. Ad excludendum igitur animum derelinquendi ſufficit, ſi aliquos ſummi Imperii actus exerceat, licèt cœteroquin Imperium negligentiùs curet. Grot. *cit. Cap. 4.* §. *9. in fin.*

VI.

Invito Imperante ſummum Imperium deſinit primò lapſu temporis, ad quod delatum eſt; nam, ùt ſuprà oſtendi, ex naturâ rei

non repugnat, ſummum Imperium ad certum tempus deferri, ita ut eo elapſo exſpiret. Secundò deſinit, ſi Regnum feudale ex capite feloniæ amiſſum ſit. Tertiò ſi caſus Legis commiſſoriæ, ſub qua Imperium delatum, exiſtat. Quartò interitu populi. Quintò occupatione bellicâ. Sextò denique morte ejus, qui ſummum Imperium habuit, quo caſu illud quandoque ad populum revertitur, quandoque verò non revertitur: intereſt nimirum, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, non aliter morte Imperantis Imperium revertitur ad populum, quàm ſi ille ſine omni hærede deceſſerit, ſi enim hæredem ex teſtamento, vel ab inteſtato habeat, Imperium in hæredem tranſit, ſi autem nullâ editâ voluntatis ſignificatione, nullo etiam relicto conſanguineo mortuus ſit, omne jus, quod habuit, penitus interiit, ac proinde populus, qui in ditione ejus fuerat, ſui juris exiſtit, nec enim Imperium inter eas res eſt, quæ primo occupanti cedunt, niſi, qui ſubditi fuerant, libertatem ſuam ultro deſerant. Si verò Regnum ſit non-patrimoniale, refert, utrùm electione, vel ſucceſſoriâ Lege delatum ſit. Illo caſu morte Imperantis Imperium ad populum redit, nec citra novam electionem in ejus filium tranſit. Hoc autem caſu non aliter revertitur ad populum, quàm ſi cum ipſo ſimul familia Regnatrix defecerit.

§. XI.

De Regia tutela.

SUMMARIA.

I. *Si Regnum devolvatur ad eum, qui nondum regnipotens eſt, tum locus ſit tutelæ.*

II. *Cuinam tutela Regia debeatur, ſi nulla Lex publica hac in parte adſit?*

III. *Quamdiu tutela Regia duret?*

I.

QUòdſi Regnum vel ex præſumpta voluntate Regnantis, vel ex Lege ſucceſſoria devolvatur ad eum, qui propter teneram ætatem nondum, ut Liv. *Lib. 24. Cap. 4.* loquitur, regnipotens eſt,

hoc

hoc caſu ſana poſtulat ratio, ut Imperium interim, donec Rex ad legitimam pervenerit ætatem, per tutores adminiſtretur; qui enim vult, ut & illi in Regno ſuccedere poſſint, qui adminiſtrationis nondum ſunt capaces, neceſſariò ſimul velle debet, ut eandem interim alii nomine Regis in ſe ſuſcipiant, quod & moribus omnium populorum receptum eſſe conſtat. Bene Imperator noſter *in* §. *6. Inſt. de Attilian. tutor. Impuberes*, inquit, *in tutelâ eſſe naturali juri conveniens eſt, ut is, qui perfectæ ætatis non eſt, alterius tutelâ regatur.* Hoc igitur ſatis certum eſt. At

II.

Dubium non leve ſupereſt, cuinam tutela Regia debeatur, ſi nulla Lex publica, quæ imprimis ſpectanda eſt, hac in parte adſit? videtur intereſſe, utrùm Regnum ſit patrimoniale, vel non-patrimoniale. Si patrimoniale, porro refert, utrùm pater teſtamento tutorem dederit, vel non. Illo caſu is tutor erit, quem pater conſtituit; ſi enim Rex de ipſo Regno patrimoniali pro libitu diſponere poteſt, ita ut ejus voluntas non minùs ſervanda ſit, quàm privati patrisfamilias teſtamentum, multò magis is de tutelâ diſponere poterit. Hoc autem caſu mater tutrix erit, quippe quæ jure naturæ in liberos, qui per lubricum ætatis ſe ipſos regere nequeunt, ex titulo generationis non minùs Imperium habet, quàm pater, juri autem in perſonam naturale conſequens eſt jus in res. Si verò mater vel nolit eſſe tutrix, vel non adſit, is tutor erit, quem familia Regnatrix elegerit, quoniam par omnium jus eſſe videtur; licèt enim non deſint, qui hoc caſu tutelam proximo ſucceſſori deferri putent, eorum tamen ſententiæ accedere haud poſſumus, cùm res plena periculi ſit, Reges pupillos ſucceſſoris tutelæ committere; teſtantur enim hiſtoriæ, quòd multi ex illis ejusmodi pupillos veneno, aut armis ſuſtulerint, ut Regno potirentur; cenſetur autem defunctùs Rex noluiſſe, ut poſt mortem ſuam pupillus tutelæ tum Reipublicæ, tum ipſi pupillo adeò periculoſæ comittatur, cujus præſumptæ voluntati in Regno patrimoniali omnino ſtandum eſt. Quòd ſi Regnum ſit non-patrimoniale, rurſus intereſt, utrùm pater teſtamento tutorem dederit, vel non. Illo caſu iterum is tutor erit, quem pater conſtituit; licèt enim ſint, qui putent, in Regno

non-patrimoniali à patre teſtamento tutorem dari non poſſe, contrariam tamen nobis verius eſſe videtur, cui enim populus curam ſalutis publicæ commiſit, eidem ſimul etiam electionem tutoris Regii commiſiſſe cenſetur hoc ipſo, quòd in delatione Imperii poteſtatem de tutela diſponendi ſibi expreſſè non reſervaverit, quam ſententiam multa etiam comprobant exempla; ſi tamen populus videat, tutorem teſtamento datum aut non idoneum, aut ſuſpectum eſſe, integrum eidem erit, à voluntate paternâ recedere, & alii tutelam Regis impuberis deferre. Hoc autem caſu ulteriùs refert, utrùm in tali Regno etiam fœminæ ad ſucceſſionem admittantur, vel non. Si & fœminæ ſucceſſionis capaces ſint, matrem Regis pupilli tutricem fore exiſtimo, nam ex eo, quòd populus fœminas quoque ad ſucceſſionem admittat, conjectura naſcitur, quòd etiam matrem, utpote cui ipſa natura in perſonam Regis impuberis Imperium dedit, ad ejus tutelam velit admittere. Si verò populus fœminas à ſucceſſione excluſerit, etiam matrem à tutela excludere voluiſſe cenſetur. Si denique mater vel nolit, vel non poſſit eſſe tutrix, videtur in arbitrio populi, aut Procerum Regni ſtare, cuinam tutelam Regis impuberis deferre velint. Confer Nicol. Hert. *de Tutel. Reg. Sect. 1. §. 10. & ſeqq.* Böhmer. *in J. P. U. Part. ſpecial. Lib. 3. Cap. 4. §. 27.* Grot. qui tamen ex parte à nobis diſſentit, *Lib. 1. Cap. 3. §. 15.*

III.

Durat autem tutela Regia tamdiu, donec Rex ad eam pervenerit ætatem, quam vel mos, vel obſervantia, vel Lex publica Regni ad capeſſendum Regimen definivit, velut in plerisque Europæ Regnis definita eſt; ſic enim Reges Galliæ Regnipotentes fiunt poſt annum decimum tertium completum, eâdem ætate etiam Reges Luſitaniæ, & Hiſpan. ad ſuſcipiendam Regni adminiſtrationem admitti refert Hert. *cit. differt. Sect. 2. §. 4.* Si verò ætas nec more, & obſervantiâ, nec Lege publicâ Regni definita ſit, tanta hoc caſu jure naturæ in Rege ad finiendam tutelam requiritur ætas, ut is populum ſibi commiſſum ſaltem accedente prudentûm conſiliariorum auxilio regere poſſit. Quòd ſi deſuper naſcatur dubium, poteſtas hoc decidendi in Regno patrimoniali domui Regnatrici, in non-patrimoniali verò populo, aut, qui populum repræſentant, Proceribus videtur competere. Confer Hert. *dict. Sect. 2. §. 3.*

PARS

PARS TERTIA.

De Juribus ſummæ Poteſtatis civilis.

EXpoſita fuit ſuperiore parte natura ſummæ Poteſtatis in communi, ſupereſt, ut jam ejusdem jura in ſpecie excutiamus, quæ commodè ad tria genera reduci poſſe videntur; vel enim immediatè reſpiciunt perſonas, ut jus ferendi Leges &c. vel res privatorum, ut jus imponendi tributa, & vectigalia &c. vel denique ipſum territorium, ut jus exſtruendi fortalitia &c. de quibus ordine agemus, ita tamen, ut ea, quæ paſſim in jure etiam privato tradi ſolent, paucis abſolvamus. Sit igitur

CAPUT I.

De Juribus Poteſtatis civilis, quæ immediatè perſonas reſpiciunt.

§. I.

De Jure ferendi Leges.

SUMMARIA.

I. *Ad conſervationem civilis ſocietatis poteſtas ferendarum Legum eſt omnino neceſſaria.*
II. *Definitur Lex civilis.*
III. *Dividitur primò in Imperantem, & permittentem.*
IV. *Secundò in præceptivam & pœnalem.*
V. *Tertiò in prohibentem, & irritantem.*

VI. *Quartò*

VI. *Quartò in favorabilem & odioſam.*

VII. *Legem civilem ille demum ferre poteſt, penes quem ſumma in civitatem poteſtas reſidet.*

VIII. *Si Regina nupſerit, quisnam Leges ferre poſſit, an Illa, vel ejus Maritus?*

IX. *Quid requiratur, ut quis Legum civilium vinculo obſtringatur?*

X. *Subditi perpetui non aliter Legibus ſuæ Reipublicæ obligantur, quàm ſi præſentes ſint.*

XI. *Sufficit tamen, eos moraliter ſaltem præſentes eſſe, licèt phyſicè ſint abſentes.*

XII. *Etiam ſubditi temporarii Legibus civilibus illius Reipublicæ, ubi interim exiſtunt, obligantur.*

XIII. *Niſi vel talis Lex ſit, quæ veram, & propriè dictam ſubjectionem ſupponit.*

XIV. *Aut nihil interſit ad felicitatem Reipublicæ, utrùm illam obſervent, vel non.*

XV. *Subditis tamen temporariis accenſeri haud poſſunt perſonæ legatorum.*

XVI. *Multò minùs ipſi ſupremi Principes, ſi in alieno territorio exiſtant.*

XVII. *Utrùm ipſe Legislator ſuis Legibus obligetur?*

XVIII. *Leges Regni civiles in actibus Regum privatis locum habent, niſi ſint pœnales, & coactivæ.*

XIX. *Aut niſi ex circumſtantiis appareat, quòd Reges ejusmodi actus à communibus Regni Legibus immunes eſſe velint.*

XX. *Utrùm perſonæ Eccleſiaſticæ Legibus civilibus obligentur?*

XXI. *Legibus civilibus præcipi poſſunt ſoli actus poſſibiles, honeſti, & qui non nimis ardui, ac difficiles ſunt.*

XXII. *Poſſunt non tantùm actus juſtitiæ, ſed & aliarum virtutum moralium præcipi.*

XXIII. *Prohiberi poſſunt non tantùm actus turpes, ſed etiam indifferentes, imò & qui per ſe, ac in ſuâ ſpecie honeſti ſunt.*

XXIV. *Per-*

XXIV. *Permitti denique poſſunt non ſolùm honeſta, & indifferentia, ſed quandoq; etiam inhoneſta.*

XXV. *Affertur forma Legum civilium tum interna, tum externa, quæ poſterior ſtat in promulgatione.*

XXVI. *A quonam tempore Leges civiles obligare incipiant?*

XXVII. *Leges civiles, ſi juſtæ ſint, obligant non tantùm pro foro externo, ſed & interno.*

XXVIII. *Quid dicendum ſit de Legibus in præſumptione fundatis?*

XXIX. *Unde colligi poſſit, quòd Lex in præſumptione alicujus facti, vel potiùs univerſalis periculi fundata ſit?*

XXX. *Lex civilis pœnalis pura, aut disjunctivè mixta regulariter non obligat ad actum, vel omiſſionem actûs.*

XXXI. *Si autem ſit conjunctivè mixta pœnalis, regulariter obligat in conſcientia ad actum, vel omiſſionem actûs.*

XXXII. *An, & quatenus Leges civiles pœnales obligent ad pœnam?*

XXXIII. *An, & quatenus Leges irritantes in conſcientia obligent?*

XXXIV. *Afferuntur contraria Legum civilium.*

I.

INter Jura ſummi Imperii, quæ immediatè perſonas reſpiciunt, primum locum tenet poteſtas ferendarum Legum, utpote ad conſervationem civilis ſocietatis omnino neceſſaria; *in Legibus*, inquit Ariſtotel. *Lib. 1. Rhetor. Cap. 4. conſiſtit ſalus civitatis*, & rectè; ſunt enim Leges tutela proborum, frœnum improborum, firmamentum tranquillitatis publicæ. *Mens*, *& animus*, ait Cicer. pro Cluent. *& conſilium*, *& ſententia civitatis poſita eſt in Legibus: ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine Lege ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine, & membris uti non poteſt.*

II.

Definiri ſolet Lex civilis ex S. Thoma, quòd ſit ordinatio rationis in bonum communitatis politicæ ab eo, qui curam illius habet, promulgata.

III.

Dividitur I. in imperantem, & permittentem. Imperans porro vel eſt præceptiva, vel prohibitiva actûs. Illam vulgò affirmativam: hanc verò negativam appellant. Lex permiſſiva vel continet permiſſionem plenam, vel minùs plenam. Plena permiſſio eſt, quæ jus dat ad aliquid omnino licitè agendum, ac proinde agentem etiam in foro interno ſecurum reddit. Minùs plena verò, quæ tantùm impunitatem tribuit in foro externo, in foro conſcientiæ autem agentem tutum non reddit. Sic jure Romano permiſſum eſt marito adulterum vilis conditionis in flagranti cum ſua uxore domi ſuæ deprehenſum occidere. *L. 24. in princ. ff. & L. 4. Cod. ad Leg. Jul. de adulter.* Grot. *Lib. 1. Cap. 1. §. 17. num. 2.*

IV.

Dividitur II. in præceptivam, & pœnalem. Præceptiva dicitur, qua ſimpliciter aliquid præcipitur, vel prohibetur absque hoc, quòd pœna dictetur transgreſſoribus. Pœnalis verò, quæ pœnam minatur transgreſſoribus: éſtque vel merè pœnalis, vel mixta. Merè pœnalis dicitur, quæ ſolius pœnæ mentionem facit absque hoc, quòd actum explicitè præcipiat, vel prohibeat. Mixta verò, quæ duo continet membra, in quorum primo aliquid præcipitur, vel prohibetur, in altero autem pœna præfigitur transgreſſoribus, & vel mixta eſt verbis conjunctivis, vel disjunctivis. Lex conjunctivè mixta dicitur, quæ & actum præcipit, vel prohibet, & ſimul pœnam minatur transgreſſoribus. Disjunctivè verò mixta vocatur, quæ ſub disjunctione actum præcipit, vel prohibet, & pœnam minatur.

V.

Dividitur III. in Legem prohibentem & irritantem. Prohibens dicitur, quæ actum nudè prohibet. Irritans verò, quæ actum etiam jubet eſſe irritum. Quamvìs autem jure civili Romano omnis Lex prohibens ſit etiam irritans, niſi contrarium aliunde colligatur, per text. expreſs. *in L. 5. Cod. de Legib.* hoc tamen non eſt ex vi nudæ prohibitionis, ſed provenit ex virtute novæ illius Legis, quam

alii

alii populi ſequi neceſſe non habent; diverſa enim ſunt, prohibere, & irritum quid facere, ac per conſequens non eo ipſo, quòd Legislator civilis aliquid prohibeat, illud, ſi contra prohibitionem factum fuerit, etiam irritare velle cenſetur, cùm prohibitio vim ſuam exſerere poſſit per pœnam vel expreſſam, vel arbitrariam. Grot. *Lib. 2. Cap. 5. §. 16.*

VI.

Dividitur IV. in favorabilem, & odioſam. Favorabilis dicitur, quæ ex fine ſuo primario alicui favere intendit, tametſi hic favor cum damno alterius neceſſariò connexus ſit. Odioſa verò, quæ malum alterius habet pro motivo. Lex favorabilis, niſi contraria Legislatoris voluntas aliunde colligatur, amplam recipit interpretationem, odioſa verò per ſe loquendo ſtrictæ interpretationis eſt. In dubio Lex favorabilis potiùs cenſenda eſt, quàm odioſa, quia de Legislatore meritò præſumimus, quòd beneficium potiùs voluerit conferre, quàm plectere vel coërcere.

VII.

Cauſa efficiens Legum civilium eſt Legislator. Poteſt autem Legem civilem ille demum ferre, penes quem ſumma in civitatem poteſtas reſidet; Legislatio enim eſt unus ex præcipuis actibus gubernationis Reipublicæ: Ergo per ſe ſpectat ad poteſtatem gubernativam Reipublicæ. Deinde Lex totam obligat communitatem: Ergo ferri debet ab eo, qui ſuperior eſt communitate, cùm æqualis æqualem nequeat Legis vinculo conſtringere. Suarez *de Legib. Lib. 1. Cap. 8. num. 3. & ſeqq.*

VIII.

Quæri poteſt, ſi Regina nupſerit, quisnam Leges ferre poſſit? an Illa, vel ejus Maritus? vera, & uſu ipſo comprobata ſententia ſtat pro Regina, quia ex naturâ rei nec ſumma poteſtas, nec ſummæ poteſtatis exercitium per nuptias in maritum tranſit, ſed penes uxorem remanet, cùm non repugnet, fœminam ſubeſſe marito quoad uſum matrimonii, Regimen familiæ, & educationem liberorum, præeſſe verò quoad gubernationem politicam Reipublicæ. Suarez *de Legib. Lib. 3. Cap. 9. num. 10. & ſeqq.* Aliud dicendum foret, ſi

Regina ſummam poteſtatem titulo dotis in maritum tranſtuliſſet, vel ſaltem liberum, & ab eâ independens ſummæ poteſtatis exercitium eidem permiſiſſet, quorum tamen neutrum in Regno hæreditario, & lineali ſine populi, aut qui populum referunt, Procerum conſenſu fieri poteſt. Vid. *Part. 2. §. 3. num. 10. & 11.*

IX.

Subjectum Legum civilium ſunt ſubditi Legislatoris uſu rationis præditi. Duo igitur concurrere debent, ut quis Legum civilium vinculo obſtringatur. Primum eſt, ut Legislatori ſubjectus ſit, quia Lex eſt commune præceptum obligans eos, quibus imponitur, nemo autem præcepto obligari poteſt, niſi qui præcipienti ſubjectus eſt. Alterum, ut uſum rationis habeat, nam Lex eſt moralis regula humanorum actuum, ac proinde non poteſt dirigere eos, qui uſum rationis non habent, cùm ſint inhabiles ad vim Legis intelligendam.

X.

Duo autem ſunt genera ſubditorum, alii enim ſunt perpetui, alii temporarii. Perpetui dicuntur, qui ex cauſâ permanente in aliquâ Regione commorantur. Temporarii verò, qui tranſeundi, aut moræ exiguæ cauſâ alicubi ſunt. Perpetui haud dubiè Legibus ſuæ Reipublicæ tenentur, modò in territorio Legislatoris exiſtant; ſi enim extra illud conſtituti ſint, illis haud tenentur, quia Lex ultimò reſpicit felicitatem territorii, in quo Legislator conſtitutus eſt tanquam caput ad illam ſuis Legibus procurandam. Unde poteſtatem ferendi Leges non aliam accepit, quàm in quantum ea neceſſaria eſt ad hujusmodi felicitatem promovendam, ad quem finem per ſe loquendo nihil conducit poteſtas ligandi ſubditos extra territorium exiſtentes, cùm transgreſſio, quæ fit extra territorium Legem ferentis, ejus Reipublicæ nullum inferat damnum. Alia ratio eſt præcepti, hoc enim ſubditum obligat, etiamſi is extra territorium præcipientis exiſtat, quia ultimò reſpicit privatam felicitatem ſubditi, cui expedit, ubique locorum obligari poſſe, & ideo obligatio præcepti inhæret oſſibus illius. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. Tract. 1. Cap. 1. contr. 6. num. 63.*

XI. Planè

XI.

Planè aliquando Legum civilium vis etiam ad ſubditos abſentes extenditur, ſi enim abſens in territorio ponat actionem prohibitam, vel non ponat actionem præceptam, perinde delinquit in Leges territorii, ac ſi corpore præſens eſſet, quia licèt phyſicè abſens ſit, moraliter tamen præſens eſſe cenſetur, cùm transgreſſionem Legis in territorio ſuæ Reipublicæ conſummet, quod ſufficit, ut ſubditus Lege obligari poſſit; niſi enim Legislator certas actiones præcipere, vel prohibere poſſet ſubditis etiam extra territorium ſuum exiſtentibus, non poſſet is commodis, & utilitati ſuæ Reipublicæ ſatìs providere, ac proinde careret poteſtate neceſſariâ ad bonum, & felicem ſtatum territorii. Sic ſi Lege tuæ Reipublicæ ſupplicium rotæ veneficio ſit præſtitutum, pœnam hanc incurris, licèt ex territorio alio venenum transmiſeris, quia moraliter deliquiſſe cenſeris in territorio tuæ Reipublicæ, cùm flagitium ibi voluntate tuâ fuerit conſummatum, aliàs ſanè parùm proſpectum eſſet diſciplinæ publicæ, ſi ſubditis phyſicè abſentibus offendere liceret quietem territorii, cùm parùm interſit, utrum per cauſam phyſicam, vel moralem vincula tranquillitatis publicæ diſſolvantur. Similiter ſi Lex omnibus reditum præcipiat, quos bello fortè Reipublicæ illato abeſſe contigerit, qui non revertuntur, cùm reverti poſſent, in Legem hanc committunt, cùm enim in territorio ſe non ſiſtant præſentes, adeóque non ponant actionem præceptam, moraliter cenſentur delinquere in territorio, quia ibi cenſetur aliquis delinquere, ubi non facit, quod ibi facere deberet. Haunold. *ubi ſuprà num. 58. & 72.* Dn. Gletle *in J. F. Lib. 1. Tit. 2. Cap. 4. §. 5. num. 16.*

XII.

Porrò etiam ſubditi temporarii Legibus civilibus illius Reipublicæ, ubi interim exiſtunt, obligantur, quia ad gubernationem populi moraliter neceſſarium eſt, ut, qui eidem vel ad tempus ſe admiſcent, conformes ſe reddant ejus populi inſtitutis, & ideò Rerumpublicarum Rectores non aliter peregrinis tranſitum, aut commorationem in ſuo territorio concedere cenſentur, quàm ſi illi eorum jurisdictioni, & Legibus tamdiu ſe ſubjiciant, quamdiu ibidem

commorantur. Unde hoc ipſo, quòd territorium alienum intrent, illius jurisdictioni, & Legibus ſe ſubmittere intelliguntur. Sic lege, quâ privatis venatio interdicitur, aut propter caritatem annonæ prohibetur exportatio frumenti, etiam exteri obſtringuntur. Grot. *Lib. 2. Cap. 2. §. 5.*

XIII.

Planè ſi talis Lex ſit, quæ veram & propriè dictam ſubjectionem ſupponit, ea ad ſubditos temporarios haud pertinet, quia Leges non alios obligant, quàm quos Legislator vult obligare. Si autem talis Lex ſit, quæ veram, & propriè dictam ſubjectionem ſupponit, Legislator vult tantùm obligare ſubditos propriè & ſtrictè dictos, in quos ſcilicet omnia jura ſummæ poteſtatis exercere poteſt, ad quam claſſem, ut per ſe manifeſtum eſt, ſubditi temporarii haud pertinent.

XIV.

Deinde nec illis Legibus tenentur exteri, quas ſive obſervent, ſive non obſervent, ad felicitatem Reipublicæ nihil facit, veluti ſunt Leges, quibus cohibetur nimius veſtium luxus; finis enim earum eſt præcavere, ne ſubditi verè tales cum præjudicio felicitatis publicæ facultatibus ſe exhauriant, cùm interſit Reipublicæ cives, & ſubditos habere locupletes. Utrùm ergo ſubditi temporarii Leges illas obſervent, vel non, in ordine ad felicitatem territorii, ubi per breve tempus morantur, nihil facit; licèt enim nimio veſtium luxu bona ſua diſſipent, hoc tamen non cedit in præjudicium illius Reipublicæ, ubi interim exiſtunt, ſed alterius, cujus veri, ac propriè dicti ſunt ſubditi; ſi tamen periculum ſubeſſet, ne & ſubditi verè tales paulatim ejusmodi Leges ſpernere incipiant, etiam peregrini illis ſe accommodare tenerentur.

XV.

Cœterùm ſubditis temporariis accenſeri haud poſſunt perſonæ legatorum, quia Jure Gentium perinde habentur, ac ſi non exiſterent in territorio illius, in cujus Aula morantur, ac proinde Legibus civilibus alienæ Reipublicæ neutiquam tenentur. Unde nec in

loco legationis puniri queunt, etiamſi ibi delinquant, ùt alibi dicemus.

XVI.

Multò minùs ſubditis temporariis annumerari poſſunt ſupremi Principes, ſi in alieno territorio exiſtant, aut commorentur; ubicunque enim Rex exiſtit, ſummam ille in ſuos ſubditos poteſtatem retinet: Ergo non fit ſubditus temporarius, cùm implicet habere ſummam poteſtatem, & ſimul altiori poteſtati ejusdem Ordinis, & lineæ ſubjectum eſſe. Igitur jure merito Maria Regina Scotiæ noluit Angliæ Legibus ſe ſubjicere, etſi in Anglia moraretur, teſtata, ùt Teſmar. *Lib. 2. Cap. 2. §. 5. Lit. B.* ex Cambden. refert, *vel millies perire ſe malle, quàm ſubditam ſe agnoſcere*, cui malè reponebant Angli, *quamvìs non originariam, temporariam tamen eam eſſe ſubditam, cùm duo Principes abſoluti quoad auctoritatem Regiam ſimul in uno Regno eſſe nequeant*, quaſi verò quidquam decedat Regiæ poteſtati, ſi Rex exterus in alterius Regis territorio exiſtens Regiam auctoritatem, & poteſtatem in ſuos ſubditos retineat? Rectè Caſs. *de Jur. & Jud. Legat. Section. poſter. num. 23. manet*, inquit, *una in unâ civitate poteſtas ſumma, quam alter in eam exercet, alter in ea habet quidem, ſed non in eandem.*

XVII.

Cum igitur Legum civilium vinculo ille demùm conſtringatur, qui Legislatori ſubjectus eſt, ideo per ſe ſequitur, ipſum Legislatorem ſuis Legibus directè neutiquam obligari, cùm nemo ſibi ipſi ſubjectus eſſe poſſit; ſi tamen Lex reſpiciat materiam ſummæ poteſtati, ac ſubditis communem, Legislator Lege ſuâ ſaltem indirectè tenetur, tanquam principalis pars communitatis politicæ. Haunold. *cit. Contr. 6. §. 1. num. 54.* Dn. Gletle *ubi ſuprà num. 9.*

XVIII.

Quòdſi Leges Regni civiles actum aliquem irritum, aut irritabilem reddant, tunc intereſſe videtur, utrùm id in favorem agentis, vel in ejus pœnam ſit conſtitutum. Illo caſu ejusmodi Leges etiam

etiam in actibus Regum privatis, quos cum ſubditis celebrant, locum habent. Sic ſi Rex in contractu emptionis ultra dimidium à ſubdito læſus ſit, dubium mihi non eſt, quin eidem, ſi jus Romanum in Regno ſit receptum, remedium *L. 2. Cod. de Reſcin. vendit.* competat, quia Rex in dubio voluiſſe præſumitur, ut actus ipſius communem Legum regulam ſequantur, ac proinde non aliter contrahendo ſubditis ſe obligare voluiſſe intelligitur, quàm ſalvis juris remediis, quæ per communes Leges Regni privatis indulta ſunt. Hoc autem caſu arbitror, illas locum non habere, quia Leges pœnales, & coactivæ reſpectu ſummorum Imperantium vim ſuam exſerere haud poſſunt, punitio enim, & coactio inter punientem, & punitum, cogentem, & coactum diſtinctionem ſupponunt realem, cùm nemo ſe ipſum punire, aut cogere queat. Grot. *Lib. 2. Cap. 14. §. 2. & 5.*

XIX.

Planè ſi ex circumſtantiis appareat, quòd Reges actus ſuos, quos non ut Reges, ſed privatorum inſtar cum ſubditis celebrant, à communibus Regni Legibus immunes eſſe velint, hoc caſu utique aliud dicendum erit, cùm nullâ neceſſitate eas ſequi cogantur, ac proinde licèt contractus aliquis ſecundùm Leges Regni nullus, & irritus foret, ſi tamen Rex ſciens, & volens contractum illum cum ſubdito ineat, contractus erit validus, modò ea habeat, quæ jus naturæ ad ejus valorem deſiderat. Sic licèt Leges Regni ad validitatem contractûs emphyteutici fortè ſcripturam deſiderarent, poſſet tamen ſupremus Princeps, ſi vellet, prædium ſuum, etiam non interveniente ſcripturâ, alteri in emphyteuſin concedere, etſi de hac ejus voluntate conſtaret, contractus non minùs eſſet validus, quàm ſi ſcriptura acceſſiſſet. Grot. *cit. loc.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 10. §. 4.*

XX.

Deinde neque perſonæ Eccleſiaſticæ directè Legibus civilibus obligantur, cùm à juriſdictione & poteſtate Principum ſæcularium abſolutè ſint exemptæ. *Cap. 10. X. de Conſtit.* Si tamen non lædant immunitatem eccleſiaſticam, ſed materiam reſpiciant eccleſiaſticis

&

& laicis communem, & ad rectam Reipublicæ gubernationem pertineant, ejusmodi Legibus ſaltem indirectè obſtringuntur, nam hoc ipſo, quòd ſummi Pontifices perſonas eccleſiaſticas in partem communitatis politicæ, & ad commercia cum Laicis admitti velint, etiam velle cenſentur, ut tales Leges civiles obſervent, qui enim vult unum, vult omnia connexa cum illo. Suarez *Lib. 3. de Legib. Cap. 34. per tot.* Haunold. *cit. Cap. 1. Contr. 6.* §. *4. num. 80. & ſeqq.*

XXI.

Objectum Legum civilium ſunt actiones humanæ omnes, quæ præcipi, prohiberi, aut permitti poſſunt. Præcipi poſſunt, ſoli actus poſſibiles honeſti, & qui non nimis ardui, ac difficiles ſunt. Excluduntur ergo primò actus naturæ viribus impoſſibiles, quia ad impoſſibile nemo obligari poteſt. Deinde actus inhoneſti, & turpes, quia Lex vi eſſentiæ ſuæ debet eſſe regula honeſtæ operationis. Denique actus nimis ardui, ac difficiles, niſi enim Leges accommodatæ eſſent, fragilitati hominum, occaſionem præberent moraliter certam frequentiſſimis transgreſſionibus formalibus, & hoc ipſo à naturâ Legum deflecterent, quia plus incommodi, quàm commodi afferrent Reipublicæ, ac proinde ita demum vim obligandi habent, ſi latæ ſint ad humanum modum, & cum ſenſu imbecillitatis humanæ. Planè neceſſitate Reipublicæ exigente etiam actus ardui, ac difficiles, & cum certo periculo mortis conjuncti præcipi poſſunt, cùm communitas politica non poſſit eſſe deſtituta poteſtate moraliter neceſſariâ ad ſui conſervationem, ac proinde ſi neceſſitas exigat, ut actus aliquis difficilis, & per ſe cum periculo mortis conjunctus præcipiatur, poteſt ille præcipi. Suarez *cit. Lib. 3. Cap. 30. num. 4. & 5.*

XXII.

Poſſunt autem Legibus civilibus non tantùm actus juſtitiæ, ſed & aliarum virtutum moralium præcipi, quia finis earum Legum in naturali ſtat felicitate politicæ communitatis, qui finis obtineri non poteſt, niſi pleræque virtutes in communitate floreant, omnes tamen omnium, & ſingularum virtutum actus Legibus civilibus præ-

cipi haud poſſunt, tum quia Lex humana debet eſſe moderata, & de re moraliter poſſibili univerſæ communitati, ſaltem pro majori parte, tum quia ad finem Legis humanæ non ſunt neceſſarii omnes actus omnium virtutum, menſura autem poteſtatis ex fine illius ſumenda eſt. Suarez *dict. Lib. 3. Cap. 12. à num. 7.*

XXIII.

Prohiberi ex adverſo poſſunt non tantùm actus turpes, & inhoneſti, ſed etiam indifferentes, imò & qui per ſe, ac in ſuâ ſpecie honeſti ſunt, ſi in certis circumſtantiis bono publico non conducant, aut fini per Legislatorem intento adverſentur. Sic licèt per ſe bonum ſit adminiſtrare juſtitiam, jus tamen Romanum prohibet, ne adminiſtretur die feriato *L. 7. & ult. Cod. de feriis.* Suarez. *dict. Cap. 12. num. 18.*

XXIV.

Permitti denique poſſunt Lege civili non ſolùm honeſta, & indifferentia, ſed inhoneſta quoque, ſi fragilitas hominum lenitatem hanc poſtulet, vel ejusmodi permiſſio neceſſaria ſit ad evitandum majus malum, quia propterea Lex non approbat ipſum actum turpem, ſed impunitatem ſaltem tribuit in foro externo, quod malum non eſt, cum Legislator civilis non teneatur neceſſariò delicta in omnibus circumſtantiis punire, imò nequidem omnia vitia contra omnes virtutes prohibere poſſit, omnia enim vitia cavere non eſt omnium, nec multorum, ſed perfectorum; Lex autem civilis accommodata eſſe debet communitati humanæ ſecundùm naturalem conditionem ſpectatæ. Suarez *cit. Cap. 12. num. 12.*

XXV.

Forma Legum civilium duplex eſt, interna & externa. Interna conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ diſtinguuntur tum à jure naturæ, tum à jure Gentium, quæ differentia facilè ex iis, quæ ſuo loco de utroque jure dicta ſunt, erui poteſt. Externa verò ſtat in earum promulgatione, ſine qua Lex nulla intelligi poteſt, cùm citra

tra eam non poſſit habere rationem communis regulæ. Tametſi igitur in publico Regis, aut Optimatum concilio decreta, & conſcripta ſit, vim tamen obligandi non habet, priusquam communitati fuerit promulgata. Suarez *dict. Lib. 3. Cap. 16. num. 1. & 2.* Jure Romano quidem neceſſe eſt, ut promulgatio in ſingulis fiat provinciis, nec ad univerſalem Legis efficaciam ſatis eſt, ſi tantùm in Metropoli ſit promulgata *Nov. 66. Cap. 1.* quæ licèt de Legibus teſtamentariis tantùm loquatur, ob generalitatem tamen Rubricæ communi peritorum conſenſu ad omnes Leges civiles extenditur, ex naturâ autem rei etiam in Republicâ ex pluribus provinciis conflatâ unam promulgationem in Metropoli factam ſufficere exiſtimat Suarez *dict. Cap. 16. num. 14.*

XXVI.

Effectus Legum civilium eſt obligatio, quam ſtatim, ac promulgatæ ſunt, producunt, niſi aliud tempus, ex quo obligare debeant, vel ab ipſo Legislatore fuerit expreſſum, vel jure communi Reipublicæ, ſive ſcripto, ſive non ſcripto determinatum, prout jure Romano tempus bimeſtre poſt promulgationem conſtitutum legitur *in cit. Nov. 66. Cap. 1.* Ratio eſt, quia Lex poſtquam per promulgationem eſſentiale ſuum complementum accepit, ſtatim agere poteſt, niſi virtus ejus aliunde impediatur: Ergo ſi aliud tempus non ſit determinatum, quaſi agens naturale ſtatim etiam agit. Planè licèt Lex ſufficienter promulgata, ſi ejus virtus non fuerit ſuſpenſa, & obligatio ad certum tempus dilata, ſtatim obligare incipiat, non tamen ſimul, & in eodem momento obligat in toto territorio, pro quo fertur, ſed ſucceſſivè, & intra tempus moraliter ſufficiens, ut notitia Legis, & promulgationis factæ per totum territorium diffundatur; uti enim ad obligationem proximam Legis per ſe neceſſaria eſt ejus notitia, ita ad obligationem remotam ſaltem neceſſarium erit, ut per ſe loquendo poſſit devenire in nótitiam. Eſt autem moraliter impoſſibile, ut factâ promulgatione in uno loco ſtatim omnes Reipublicæ ſubditi illius notitiam habere poſſint. Latè Suarez *cit. Lib. 3. Cap. 17.*

XXVII.

Obligant autem Leges civiles ſi juſtæ ſint, non tantùm pro foro externo, ſed & interno, ſeu conſcientiæ, cùm poteſtas obligandi in conſcientiâ omnino neceſſaria ſit ad congruam, & convenientem gubernationem Reipublicæ politicæ, ſi enim Leges civiles non niſi ſub pœnâ temporali â Legislatore infligendâ obligarent, pauci forent, qui eas obſervarent, ſed plerique pœnas impoſitas vi, aut fraude eluderent. Accedunt textus Sacræ Scripturæ *ad Romanos 13.* & Divi Petri *Epiſt. 1. Cap. 2.* Vid. Suarez *ſæpè cit. Lib. 3. Cap. 21.*

XXVIII.

Excipitur Lex fundata in præſumptione alicujus facti, qualitatis, aut circumſtantiæ pro hoc, vel illo caſu particulari, quæ non obligat in conſcientiâ, ſi factum illud aut circumſtantia non ſubſit, quia fundamentum, & finis adæquatus Legis ceſſat. Sic Lex, quæ jubet obſequi ſententiæ judicis, non obſtringit in conſcientiâ, ſi certò conſtet, ſententiam eſſe injuſtam, quia fundatur in præſumptione, quòd ſententia ſit juſta. Aliud dicendum, ſi Lex fundata ſit in præſumptione, ſeu potiùs in morali certitudine univerſalis periculi, tunc enim obligat in conſcientiâ, licèt in caſu particulari ceſſet periculum, quod Lex avertere intendit, quia fundamentum Legis non tollitur, cùm ſemper verum ſit dicere, actum eſſe periculoſum, licèt non eveniat effectus. Sic Lex quæ prohibet habere plura officia Reipublicæ propter vitandum incommodum indebitæ adminiſtrationis obligat etiam illum, in quo tale incommodum ceſſat, eòquòd ad illa perfectiſſimè adminiſtranda ſufficiat, quia Leges humanæ attendunt ad ea, quæ frequentiùs ſolent contingere, quod ſatis eſt, ut generaliter obligent. Confer. P. Suarez *ſæpè alleg. Lib. 3. Cap. 23. num. 6. & ſeqq.* & Clariſs. Dn. P. Pichler *ad Tit. Jur. Can. de Conſtit.* §. *4. num. 39.*

XXIX.

Quamvìs autem nequeat in univerſum determinari, utrùm Lex in præſumptione alicujus facti, vel univerſalis periculi fundata ſit,

ſed

ſed id partim ex verbis, & materiâ, partim ex uſu, & mente peritorum ſit deſumendum, ſi tamen Lex actionem aliquam prohibeat, tanquam unicè obnoxiam periculo nocumenti privati, vel circumſtantiam, aut qualitatem reſpiciat, quæ unicè concernit bonum privatum ſingulorum, cenſetur eſſe in præſumptione facti fundata, quia finis ejus unicus, & adæquatus eſt, ut vel bonum particulare promoveatur, vel damnum ſingulare avertatur. Si verò Lex actionem aliquam prohibeat, tanquam obnoxiam periculo nocumenti publici, vel via eſſet eludendæ Legis, ſi obtentu ceſſantis periculi deflectere liceret à normâ Lege præſcriptâ, tunc Lex cenſetur eſſe fundata in præſumptione periculi univerſalis. Ratio prioris eſt, quia finis primarius Legis eſſe videtur, conſulere bono publico, ac per conſequens commune periculum, non caſus particulares reſpexit; poſterioris verò, quia non eſt prudenter credibile, quòd Legislator ferre velit Legem imperfectam, & bono publico parùm, aut nihil proficuam, qualis eſſet, cujus diſpoſitionem callidâ machinatione eludere liceret. Ita Dn. Gletle *Part. 1. Pandect. Quæſt. 3. num. 6. & ſeqq.* quem ſequitur Dn. P. Schmier *de Jur. Legal. Cap. 1. num. 152. & ſeqq.*

XXX.

Dubium eſt, an, & quatenus in conſcientiâ obligent Leges pœnales? & quidem primò, utrùm obſtringant ad actum, vel omiſſionem actûs? ℞. Intereſſe, utrùm ſint pœnales puræ, vel mixtæ, & ſi mixtæ utrùm ſint mixtæ verbis conjunctivis, vel disjunctivis. Lex civilis pœnalis pura, aut disjunctivè mixta non obligat in conſcientia ad actum, vel omiſſionem actûs; qui enim ſolius pœnæ mentionem facit, aut ſub disjunctione tantùm actum præcipit, vel prohibet, non ſufficienter declarat, quòd determinatè ad actum, vel omiſſionem actûs velit obligare: Ergo obligare velle non cenſetur, tum quia in dubio pars mitior, & benignior præferenda, tum quia contra eum, qui Legem dicere potuit apertiùs, facienda eſt interpretatio: omnis quidem pœna ſupponit culpam, at non neceſſariò ſupponit culpam Theologicam, ſed contenta eſt culpâ civili, & politicâ: alia ratio eſt Legis Canonicæ, quæ pœnam minatur ſpiritualem, quia pœna ſuſpenſionis,

interdicti, vel excommunicationis infligi non poteſt, niſi præceſſerit culpa Theologica. Planè aliquando ex materiâ Legis colligi poteſt, quòd Legislator etiam civilis in conſcientiâ obligare velit ad actum, vel omiſſionem actûs, licèt expreſſis verbis eundem non præcipiat, aut prohibeat, ſed ſolam pœnam comminetur, veluti ſi materia Legis pertineat ad pacem, & tranquillitatem Reipublicæ conſervandam, vel ad magnum incommodum avertendum, & ſinè obligatione conſcientiæ ſpes exigua ſit, obtinendi finem à Lege intentum, eò quòd fortè boni æquè, ac mali in materiam illam admodùm proni, & proclives ſint; nam tali modo Legislator obligare velle præſumitur, qui magìs convenit, & conducit ſaluti, atque tranquillitati Reipublicæ. At in ejusmodi circumſtantiis magìs convenit, & conducit ſaluti Reipublicæ, ſi ſubditi etiam in conſcientiâ obligentur: Ergo &c. Confer. P. Suarez *de Legib. Lib. 5. Cap. 4. num. 9. & 12.* P. Haunold *de J. & J. Tom. 1. Tract. 1. Cap. 1. Contr. 5. num. 46. & 47.*

XXXI.

Quod ſi lex pœnalis conjunctivè mixta ſit, illa, niſi de contrariâ intentione Legislatoris aliunde conſtet, in conſcientiâ obligat ad actum, vel omiſſionem actûs; poteſt enim legislator etiam civilis obligare in conſcientiâ: Ergo ſi actum abſolutè præcipiat, vel prohibeat, ad illum ponendum, vel omittendum etiam obligat in conſcientiâ, quia abſolutè præcipiendo, vel prohibendo ſatis declarat, quòd hoc modo obligare velit. Certè, ſi nulla pœna adjecta eſſet, ejusmodi lex obligaret in conſcientiâ ad actum, vel omiſſionem actûs: Ergo obligat etiam, ſi pœna ſit adjecta, quippe, quæ non eo fine adjecta eſt, ut obligatio Legis minuatur, ſed ut magìs ſtringatur, & exaſperetur. Suarez *cit. Lib. 5. Cap. 3. num. 6. & ſeqq.* P. Haunold. *ubi ſuprà num. 45.*

XXXII.

Secundò dubium eſt, an, & quatenus Leges civiles pœnales obligent ad pœnam? ℞. Intereſſe, utrùm pœnam immediatè determi-

terminet, & infligat ipſa lex, quæ latæ ſententiæ vocatur, vel eandem relinquat determinationi, aut ſaltem condemnationi judicis, quæ ferendæ ſententiæ nuncupatur. Pœna latæ ſententiæ vel tantùm impedit acquiſitionem juris novi, vel privat jure jam quæſito. Prior etiam ante ſententiam judicis ſtringit à tempore commiſſi criminis; Reſpublica enim eſt jurium, ac bonorum ſuorum domina: Ergo non minùs, quàm quilibet privatus rei ſuæ Legem dicere, ac per conſequens in pœnam delicti conſtituere poteſt, ut transgreſſor nullum ad ejusmodi bona communia habeat acceſſum. Poſterior verò ante ſententiam judicis declaratoriam non obligat, quia, ut ſuprà dictum eſt, Leges accommodatæ eſſe debent fragilitati humanæ: eſſet autem nimis durum, ſi quis poſt admiſſum delictum ſtatim ſui accuſator, & pœnæ ab ipſo jure latæ in conſcientiâ executor eſſe cogeretur, quod tamen de ſolis pœnis temporalibus, non ſpiritualibus, ut quæ noſtri fori non ſunt, intellectum volumus. Confer. P. Suarez *cit. Lib. 5. Cap. 7. & 8.* Dn. Gletle *in J. F. Lib. 1. Tit. 2. Cap. 4. §. ult. à num. 10.* Dn. P. Schmier *de Jur. Legal. Cap. 1. à num. 139.*

XXXIII.

Non minùs dubium eſt, an, & quatenus Leges irritantes in conſcientiâ obligent? ℞. Intereſſe, utrùm lex actum irritet in odium, & pœnam agentis, vel in ejus favorem, aut ob commune bonum. Si in odium, & pœnam agentis, applicari debent ea, quæ paulò ante de Lege pœnali in genere dicta ſunt. Si verò actum irritum declaret, propter privatum, aut commune bonum, porro refert, utrùm annexam habeat expreſſam, vel tacitam prohibitionem, vel non. Illo caſu obligat in conſcientiâ ad omittendum actum prohibitum. Hoc autem caſu non obligat quidem ad omittendum actum, obſtringit tamen etiam ante ſententiam, ut ex actu invalido nullum commodum, vel emolumentum percipere liceat. Sic non peccat quidem, qui teſtamentum condit debitis ſolennitatibus deſtitutum, interim tamen hæres in tali teſtamento ſcriptus non poteſt hæreditatem tutâ conſcientia retinere, licèt eidem nondum fuerit per ſententiam abjudicata. Confer. Dn. P. Schmier *cit. Cap. 1. à num. 175.*

XXXIV.

XXXIV.

Contraria Legum civilium ſunt modi, quibus iterum ceſſant. Ceſſant autem tribus modis. Primò ſi cauſa finalis in totum, & abſolutè ceſſet. Secundò ſi rurſus abrogentur. Tertiò ſi in illis diſpenſetur.

§. II.

De Jure puniendi transgreſſores Legum.

SUMMARIA.

I. *Poteſtas puniendi ſontes ad conſervationem civilis ſocietatis non minùs neceſſaria eſt, quàm poteſtas Legislatoria.*

II. *Definitur pœna, & explicatur definitio.*

III. *Rejicitur definitio Grotiana.*

IV. *Dividitur pœna primò in ordinariam, & extraordinariam.*

V. *Secundò in capitalem, & non capitalem.*

VI. *Jus naturæ non tantùm dictat, licitum eſſe punire ſontes, ſed etiam præcipit, niſi adſit juſta pœnam remittendi cauſa.*

VII. *Ille demum punire poteſt, qui in delinquentem publicum habet Imperium.*

VIII. *Propter delictum alienum nemo puniri poteſt.*

IX. *Effectus tamen pœnæ quandóque in conſequentiam ad alios innocentes pertingit.*

X. *Interdum etiam occaſione delicti alieni alius damnum ſentire poteſt.*

XI. *Qui particeps eſt delicti alieni, is haud dubiè puniri poteſt.*

XII. *Propter delictum univerſitatis, in corpore, & bonis propriis non niſi illi puniri poſſunt, qui in crimen conſenſerunt, aut impium decretum ſunt executi.*

XIII. *Pœna ob delictum univerſitatis non ampliùs exigi poteſt, ſi illi ſint extincti, qui in delictum conſenſêrunt.*

XIV. *Obligatio tamen reparandi damnum injuſtè illatum perdurat.*

XV. *Non poſſunt ab hominibus puniri actus peccaminoſi interni, niſi voluntas peccandi ad actus externos proceſſerit.*

XVI. *Deinde pœnæ humanæ non ſubjacent leviores lapſus.*

XVII. *Porro nec puniri ſolent ab hominibus actus oppoſiti illis virtutibus, quorum natura omnem coactionem repudiat.*

XVIII. *Quomodo pœna differat à vindictâ.*

XIX. *Adducitur finis pœnæ tum intrinſecus, tum extrinſecus, qui poſterior triplex eſt.*

XX. *Qui punit, honeſtum finem intendere debet, non in ſolo ejus, quem punit malo acquieſcere.*

XXI. *Quisnam ſit effectus pœnæ tum ex parte puniti, tum ex parte punientis?*

XXII. *Cauſa impellens ad peccandum plerúmque non eſt ipſa malitia peccati, ſed vel impetus declinandi malum, vel appetitus alicujus boni.*

XXIII. *Cauſa, quæ in genere à peccando retrahere debet, eſt malitia peccati.*

XXIV. *Idoneitas perſonæ ad ponderandas cauſas avertentes, & reprimendos affectus impellentes deſumi ſolet ex ætate, ſexu &c.*

XXV. *Recenſentur circumſtantiæ delicti ex Lib. 16. §. 3. & ſeqq. ff. de Pœnis.*

XXVI. *Pœna non debet eſſe major, quàm exigat menſura delicti, nec minor, quàm poſtulet ratio diſciplinæ publicæ.*

XXVII. *Si pœna arbitrio judicis relicta ſit, humanitas exigit, ut is mitiorem eligat, niſi cauſa extrinſeca accedat.*

XXVIII. *Tollitur pœna tum præviâ morte rei, tum remiſſione factâ ab eo, qui jus remittendi habet.*

XXIX. *Poteſt ſummus Imperans delinquenti veniam dare, quamvìs delicto Lege certa pœna ſit præfixa.*

XXX. *Etiam in homicidio.*

XXXI. *Ut autem pœna ex toto remittatur juſta requiritur cauſa.*

XXXII. *Si ad totalem remiſſionem ſufficiens non ſit, ſufficere tamen poterit, ut ſaltem ex parte remittatur.*

XXXIII. *Affinis pœnæ eſt vindicta.*

XXXIV. *Deſcribitur vindicta.*

XXXV. *Vindictam ille demùm ſumere poteſt, qui nullius Imperio ſubjectus eſt.*

XXXVI. *Ut vindicta juſta ſit, requiritur, ut is, qui jus vindicandi habet, juſtum ordinem ſervet, & modum non excedat.*

XXXVII. *Deinde ut præceſſerit injuria formalis.*

I.

SEcundum, & juri ferendarum Legum connexum eſt jus puniendi transgreſſores legum, ut, quos virtutis amor à vitiis non retrahit, hos diſciplinæ rigor coerceat; at, quàm pauci ſunt, qui oderunt peccare virtutis amore? certè *Vulgus*, ut inquit Ariſtotel. *Lib. 10. Ethic. Cap. ult. non ita natum eſt, ut pudori obſequatur, ſed ut metui, nec ut abſtineat à pravis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia*, quæ niſi timenda forent, inefficax eſſet poteſtas legislatoria. Eſt ergo poteſtas puniendi ſontes ad conſervationem civilis ſocietatis non minùs, quàm poteſtas legislatoria neceſſaria.

II.

Poteſt autem pœna in ordine ad propoſitum definiri, quòd ſit malum authoritate illius, qui ſummam in ſocietate civili poteſtatem habet, ſubdito ſceleris ab eo commiſſi directè & immediatè coercendi gratiâ illatum. Placet ſingula definitionis verba exponere.

Dixi itaque primò *malum*, intellige phyſicum, ſeu tale, quod dolorem infert, in quo pœna convenit cum aliis malis phyſicis, veluti

veluti morbo, grandine, incendio ex fulmine orto &c. quæ rationem pœnæ ſaltem humanæ non habent, licèt rationem pœnæ divinæ habere poſſint, & ſæpè habeant.

Dixi ſecundò, *authoritate illius, qui ſummam in ſocietate civili poteſtatem habet*, ut excludantur caſtigationes, quas vel natura, vel Lex civilis quibusdam privatis, velut parentibus, dominis &c. permittit, quæ hujus loci non ſunt, cùm delicta liberorum, & ſervorum non tanquam miniſtri publici ſummi Imperantis, ſed ex authoritate duntaxat privatâ coerceant. Deinde excluduntur etiam pœnæ, quas Deus tanquam ſupremus judex vivorum, & mortuorum ſceleratis infligit, quæ pariter noſtræ diſpectionis haud ſunt, nam per ſummam poteſtatem non intelligimus ſupremum Jus Dei, ſed ſolam poteſtatem politicam in cœtum hominum perfectum, civilis ſocietatis vinculo conſociatum.

Dixi tertiò, *ſubdito*; qui enim nullo modo alteri ſubjectus eſt, is ab eo puniri haud poteſt, cùm punitio neceſſariò ex parte punientis jus ſuperius, ex parte autem puniti ſubjectionem ſupponat. Unde inter viventes in ſtatu naturali pœna locum non habet, ſed tantùm vindicta, quæ, ut in progreſſu videbimus, multùm differt à pœnâ. Utrùm autem aliquis ſubditus ſit perpetuus, vel temporarius, nihil in propoſito intereſt.

Dixi quartò, *ſceleris ab eo commiſſi*, nemo enim propter delictum ab altero commiſſum puniri poteſt; obligatio enim ad pœnam ex delicto venit, delictum autem eſt perſonale, quia ortum habet ex voluntate, qua nihil eſt magìs proprium, & minùs communicabile. Aliam rationem aſſignat JCtus *in Lib. 20. ff. de Pœn.* ſcilicet, quòd pœna ſtatuatur in emendationem hominum, qui finis non videatur obtineri per punitionem innocentis. At hæc ratio vera non eſt; vel enim JCtus intelligit emendationem aliorum hominum, vel ipſius delinquentis. Si aliorum hominum, videtur exemplum etiam ſtatui poſſe extra perſonam delinquentis in tali perſona, quæ delinquentem tangit, jam enim per hoc alii abſterrerentur ab ejusmodi delicto committendo. Si ipſius delinquentis, ut JCtum ſenſiſſe putant Ziegler. Hennig. & Puffendorf; non video, cur non etiam hoc caſu emendatio obtineri poſſit per puni-

tionem innocentis, ſi ille ſciat propter ſuum delictum alium ſibi charum puniendum eſſe. Grot. *Lib. 2. Cap. 21.* §. *12.*

Dixi denique *ultimò*, *ſceleris commiſſi directè*, *& immediatè coercendi gratiâ*, ut excludatur tortura, quæ non habet rationem pœnæ, quia directè, & immediatè non adhibetur ad puniendum delictum, de quo nondum conſtat, utrùm ab eo, qui torquetur, commiſſum ſit, vel non; ſed ad extorquendam confeſſionem, ut eâ habitâ demum promerita pœna dictari, & irrogari poſſit.

III.

Aliter pœnam definit Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 20.* §. *1. num. 1.* ſcilicet quòd ſit, *malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis*, quam definitionem videtur ſumpſiſſe ex Iſidor. *Orig. 5.* ubi *dupliciter*, inquit, *malum appellatur*; *unum quod homo facit*; *alterum quod patitur. Quod facit, peccatum eſt, quod patitur, pœna.* Ad malum paſſionis refert is etiam operas, quæ damnatis ad triremes, vel in opus publicum injunguntur, eò quòd ejusmodi operæ ſpectentur quatenus agenti ſunt moleſtæ. Per malum autem actionis intelligit non tantùm delictum commiſſionis, ſed & omiſſionis, ut adeò ſenſus definitionis ſit hic: *pœna eſt dolor illatus propter delictum.* Verùm hæc definitio nimis generalis, & ideo à propoſito aliena eſt; complectitur enim non tantùm pœnam etiam divinam, ſed & vindictam, quam par de pari ſumit: nos autem agimus de pœna, quæ vi ſummæ poteſtatis politicæ ſubdito infertur.

IV.

Dividitur primò in pœnam ordinariam & extraordinariam. Ordinaria dicitur, quæ ab ipſâ Lege determinata, ac definita eſt. Extraordinaria verò, cujus determinatio pro circumſtantiarum diverſitate judicis arbitrio relicta eſt, unde & arbitraria vocatur.

V.

Dividitur ſecundò in capitalem, & non capitalem. Capitalis eſt, quâ vita adimitur, quò pertinet decollatio, ſuſpendium, ſupplicium rotæ, pœna ignis &c. Non capitalis verò, quæ ſalvâ vitâ,

vel

vel corpus affligit, vel famam, aut bona aufert, quò pertinet abſciſſio membri, condemnatio ad triremes, fuſtigatio, pœna infamiæ, confiſcatio bonorum.

VI.

Cauſa efficiens pœnæ duplex eſt, remota, & proxima. Remota eſt Jus naturæ, quod non tantùm dictat, licitum eſſe, punire ſontes, ut putat Grot. *cit.* §. *1. num. 2.* ſed etiam præcipit, non quidem abſolutè, ſed ſub conditione, niſi adſit juſta pœnam remittendi cauſa, aliàs ſanè non poſſet civilis ſocietas ſubſiſtere, ſi, qui Rempublicam regunt, non tenerentur nocentes punire; nemo enim ampliùs ſecurus foret, committerentur paſſim furta, rapinæ, cædes, &, ut paucis abſolvam, quaſi diluvium malorum ſequeretur. Dispar eſt ratio vindictæ, quæ jure naturæ in ſtatu naturali viventibus quidem permittitur, non verò præcipitur, cùm quivis injuriam ſibi illatam, ſi velit, remittere poſſit.

VII.

Cauſa proxima eſt is, qui punit. Poteſt autem ille demum punire, qui in delinquentem publicum habet Imperium, facultas enim pœnæ infligendæ ſupponit jus in perſonam delinquentis, ut, ſi nolit ſententiæ vindici ſponte obſequi, ad fatalem obedientiam vi Imperii compelli poſſit. Deinde facultas puniendi per ſe ordinatur ad utilitatem publicam: Ergo fundari debet in poteſtate publicâ; talis enim eſt poteſtas, qualis eſt finis, quia poteſtas fini proportionata eſſe debet: Ergo cùm finis ſit publicus, etiam poteſtas publica eſſe debet. Et ſanè non expediebat jus pœnæ infligendæ privatis competere, propter graviſſima mala, & incommoda, quæ ſequerentur in Republicâ. Neceſſe igitur eſt, ut, qui punire vult, poteſtate publicâ ſit munitus. Unde fallitur Grot. qui *cit. Cap. 20.* §. *3. num. 1.* ſcribit, *dictare quidem rationem, maleficium poſſe puniri, non autem quis punire debeat, niſi quòd ſatis indicet natura, convenientiſſimum eſſe, ut id fiat ab eo, qui ſuperior eſt, non tamen ut omnino hoc demonſtret eſſe neceſſarium, niſi vox ſuperioris eo ſumatur ſenſu, ut is, qui malè egit, eo ipſo ſe quovis alio inferiorem feciſſe; & quaſi ex*

 homi-

hominum cenſu in cenſum beſtiarum, quæ homini ſubjacent, detruſiſſe cenſeatur.

VIII.

Subjectum pœnæ ſunt ſoli delinquentes, qui non deliquit puniri haud poteſt, nam pœna eſt coercitio delicti, delictum autem perſonam delinquentis non egreditur: Ergo nec pœna ejus perſonam egredi poteſt. Unde nec liberi propter peccata parentum, nec parentes propter peccata liberorum puniri queunt, ac per conſequens nullâ ratione excuſari poteſt, quod *in L. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt.* dicitur, *debuiſſe paterno perire ſupplicio, in quibus paterni criminis metuuntur exempla*; cùm enim Legislator humanus non ſit dominus vitæ ſuorum ſubditorum, non poteſt talis metus incertus ſufficere ad mortem inferendam innocentibus. Non ignoro quidem, quòd Deus in Lege Hebræis data paternam impietatem in poſteros ſe vindicaturum minatus ſit. At alia eſt ratio Dei, alia hominum; Deus enim in vitam noſtram pleniſſimum dominium habet, quam tanquam munus ſuum, etiam nullo antecedente peccato, quovis tempore cuivis pro ſuo beneplacito auferre poteſt. Homo autem in vitam alterius hominis dominium non habet, & ideò non aliter eandem auferre poteſt, quàm, ſi gravis culpa, & quidem, quæ perſonæ ſit propria, præceſſerit, velut eâdem Lege divinâ cautum eſt, ſic enim *Deuter. 24. verſ. 16.* dicitur: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unusquisque pro peccato ſuo morietur.*

IX.

Quamvìs autem propter delictum alienum nemo puniri poſſit, effectus tamen pœnæ quandoque in conſequentiam etiam ad aliôs innocentes pertingit. Sic ſi bona parentum propter crimen perduellionis confiſcentur, in conſequentiam etiam liberi ſentiunt damnum, ſed id propriè pœna non eſt, quia bona illa tunc demum liberorum futura fuiſſent, ſi à parentibus usque ad mortem fuiſſent conſervata. Sic etiam ſi univerſitati propter delictum auferantur privilegia, & alia jura, ac commoda, quæ habuit, damnum ſinguli, etiam innocentes ſentiunt ſed in tali re, quæ ad ipſos

ſos non pertinebat, niſi per univerſitatem. Grot. *Cit. Lib.* 2. *Cap.* 21. §. 10.

X.

Interdum etiam occaſione delicti ab altero commiſſi alius damnum ſentire poteſt, veluti ſi is, qui pro delinquente fidejuſſit, ſolvere cogatur. At tale damnum non habet rationem pœnæ, quia cauſa illius proxima, & per ſe, non eſt delictum, ſed fidejuſſio; ſicut enim qui pro emptore fidejuſſit, non tenetur ex empto, ita etiam, qui pro delinquente fidejuſſit, non tenetur ex delicto, ſed ex fidejuſſione, & ideo malum, quod ſufferre debet, non ex delicto alterius menſuram accipit, ſed ex poteſtate, quam ipſe in promittendo habet: Unde cum nemo Dominus ſit vitæ, & membrorum ſuorum, ſed tantùm cuſtos, & quaſi uſuarius, nemo pro altero ad pœnam mortis, vel mutilationis fidejubendo ſe obligare poteſt. Grot. *cit. Cap.* 21. §. 11.

XI.

Planè qui particeps eſt delicti alieni, is haud dubiè puniri poteſt, nōn propter delictum alienum, ſed proprium; ſic qui crimen jubent, qui conſenſum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præſtant, alióve modo in ipſo crimine participant, qui conſilium dant, laudant, aſſentantur, qui vi officii tenentur vetare, & non vetant, injuriam, patienti opem ferre, & non ferunt, delictum manifeſtare, & non manifeſtant, hi omnes puniri poſſunt, ſi in ipſis talis ſit malitia, quæ ad pœnæ meritum ſufficiat. Grot. *cit. Cap.* §. 1.

XII.

Si igitur univerſitas delictum admiſerit, in corpore, & bonis propriis non niſi illi puniri poſſunt, qui in crimen conſenſerunt, vel impium decretum ſunt executi, qui autem extra omnem ſunt culpam, etiam ſunt extra pœnam, licèt & ipſi in conſequentiam damnum ſentiant, ſi ea, quæ non niſi per univerſitatem habent, eidem propter admiſſum delictum auferantur. Cœterùm non aliter

ter ipſa univerſitas dicitur delinquere, quàm ſi illi, qui jus ſuffragii habent, in Senatu, aut concilio generali fuerint congregati, & major eorum pars ſcelus decernat, ſecùs tantùm delinquunt, & puniuntur ſinguli de univerſitate, non ipſa univerſitas, ut corpus, niſi ipſa non prohibendo, cùm prohibere potuiſſet, in partem delicti venerit, qui enim ſcit, ſubditos ſuos delinquere, & prohibere poteſt, non tamen prohibet, is ipſe delinquit. Grot. *dict. Cap. 21. §. 2. & 7.* add. Loſæ. *de Jur. Univerſit. Part. 4. Cap. 1. num. 14.*

XIII.

Quæſitum eſt, utrùm pœna ob delictum univerſitatis ſemper exigi poſſit, etiamſi illi, qui peccàrunt, jam extincti ſint? Dixeris fortè, univerſitatem ſemper puniri poſſe, tametſi nullus eorum, qui in ſcelus conſenſère, ampliùs ſuperſit, eò quòd idem corpus ſemper maneat, quamdiu durat univerſitas, tametſi in locum eorum, qui deceſſerunt, alii ſucceſſerint. At contrarium omnino tenendum eſt, nam quædam dicuntur de univerſitate primò, & per ſe, ut habere ærarium, Leges, jura, privilegia &c. quæ immediatè toti, quà tali competunt, quædam verò derivatione à ſingulis, ut cùm univerſitatem doctam, fortem, benè, vel malè moratam dicimus, quæ plurimos habet tales. Ex hoc genere etiam eſt delictum, primò enim, & per ſe convenit ſingulis, ut animum habentibus, quem univerſitas per ſe non habet. Extinctis ergo illis, per quos delictum in univerſitatem derivabatur, ipſum quoque delictum extinguitur, ac proinde & pœnæ debitum, quod ſine delicto non poteſt conſiſtere. Alia eſt ratio honorum, & præmiorum, quæ etiam propter merita majorum alicui decerni poſſunt, beneficii enim talis eſt natura, ut ſine injuria in quemvis conferri queat, at pœna, ut juſta ſit, peccantem egredi non debet. Equidem Deus quandoque peccata parentum in nepotibus & pronepotibus punit. Sed Deus tanquam ſupremus Dominus vitæ, & necis, homini vitam eripere poteſt, quando ipſi placet, homo autem mihi vitam citra meum delictum auferre nequit. Deinde Deus quandoque poſteris vitam eripit non tam propter peccata parentum, quàm propria, ita ut peccata parentum tantùm ſint cauſa impulſiva, *ſæpè*

enim,

enim, inquit S. Auguſtin. *latet culpa*, ubi non latet pœna. Confer. Grot. *ſuprà cit. Cap. 21.* §. *8*.

XIV.

Planè quamvìs univerſitas non poſſit ampliùs puniri, ſi omnes illi ſint extincti, qui in delictum conſenſère, obligatio tamen reparandi damnum injuſtè illatum perdurat, quia non tantùm perſonas delinquentes, & illis mediantibus univerſitatem, ſed & bona univerſitatis afficit, quo onere affecta manent, tametſi delictum morte delinquentium ſit extinctum, ut autem pœna inferri poſſit, neceſſe eſt, ut non tantùm delinquens, ſed & ipſum delictum etiamnum exiſtat, cum pœna ſit coercitio delicti, quod autem non ampliùs eſt, coerceri nequit, ac per conſequens, ſi delictum univerſitatis morte delinquentium ſit extinctum, illa quidem ampliùs puniri haud poteſt, manet tamen obligata ad damnum injuſtè illatum reparandum.

XV.

Objectum pœnæ ſunt delicta, quæ ab hominibus puniri poſſunt, & ſolent. Non poſſunt autem, vel ſaltem non ſolent ab hominibus omnia peccata puniri. Sic primò puniri non poſſunt actus peccaminoſi interni, *cogitationis pœnam*, inquit JCtus *in L. 18. ff. de Pœn. nemo patitur.* Planè ſi voluntas peccandi ad actus externos proceſſerit, dubium non eſt, quin pœnæ locus ſit. Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 20.* §. *18*.

XVI.

Deinde pœnæ humanæ non ſubjacent leviores lapſus; ea enim eſt naturæ humanæ fragilitas, ut ab ejusmodi minimis vix quisquam immunis ſit, cùm ſepties in die etiam juſtus cadat, ex quo tamen Grot. *cit. Cap.* §. *19.* malè, & contra veritatem Catholicam infert, dubitari poſſe, utrùm hæc rectè, & propriè peccata dicantur, cùm libertatem, quam in ſpecie habere videntur, in ſua generalitate conſiderata non habeant: falſum etiam eſt, quod mox ſubjicit, eſſe

quædam, quæ ſaltem certis perſonis ob temperamentum ſuum, quod etiam in animum tranſit, ſint inevitabilia; major quidem unius hominis præ altero proclivitas in hoc, aut illud vitium ex temperamento provenire poteſt, at non propterea excuſatur, ſi peccet, imploretur gratia divina, quæ nemini deerit.

XVII.

Porro puniri non ſolent illi actus, qui oppoſiti ſunt illis virtutibus, quorum natura omnem coactionem repudiat, ut ſunt miſericordia, liberalitas, gratiæ relatio. Ita Seneca *Lib. 7. de benefic. Cap. 7.* ingrati vitium impunitum eſſe debere ait, additâ hac ratione: *cùm res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinet, honeſta eſſe, ſi neceſſaria eſt.* Ubi tamen per ingratum illum tantùm intelligit, qui pro beneficio non rependit beneficium, non autem illum, qui pro beneficio etiam injuriam infert. Grot. *ubi ſuprà* §. *20.*

XVIII.

Forma pœnæ conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ diſtinguitur à vindicta, quæ potiſſimùm in eo ſita eſt, quòd in ſtatu naturali quivis injuriam ſibi illatam vindicare queat, pœna autem non ab alio infligi poteſt, quàm ab eo, qui publicam habet poteſtatem, & Imperium in perſonam delinquentis.

XIX.

Finis pœnæ duplex eſt, intrinſecus, & extrinſecus. Intrinſecus conſiſtit in eo, ut rectus ordo in ſocietate civili conſervetur, & quod extra ordinem prolapſum eſt, ad ordinem revocetur. Extrinſecus verò triplex vulgò aſſignari ſolet. Primus ſtat in utilitate ipſius delinquentis: alter in utilitate læſi, tertius denique in utilitate omnium. Utilitatem ipſius delinquentis reſpicit pœna, quæ eò tendit, ut ipſum meliorem reddat medendi modo, qui eſt per contraria; cùm enim omnis actio, præſertim verò deliberata, & frequens quandam gignat ſui proclivitatem, quæ adulta habitus dicitur,

citur, ideo vitiis, quamprimùm fieri poteſt, adimenda eſt illecebra, quod fieri rectiùs nequit, quàm ſi dolore quodam ſubſequente ſaporem amittant dulcedinis. Utilitatem læſi reſpicit pœna, quæ eò tendit, ut ne is poſthac tale quid patiatur, ſive ab eodem, ſive ab aliis. Ne ab eodem malum patiatur, tribus modis curari poteſt. Primò ſi is tollatur è medio: deinde ſi vires nocendi ei adimantur: poſtremò ſi malo ſuo dedoceatur delinquere, quod cum emendatione conjunctum eſt. Ne verò ab aliis lædatur, obtinetur punitione apertâ, & conſpicuâ, quæ ad exemplum pertinet. Utilitatem denique omnium reſpicit pœna, quæ eò tendit, ut ne is, qui unum læſit, alios quoque lædat, neque alii impunitate illecti aliis quibusvis noceant. Illud rurſus fit vel tollendo reum è medio, vel debilitando, aut conſtringendo, ne nocere queat, vel emendando. Hoc autem iterum obtinetur ex ſuppliciis conſpicuis. Confer Grot. *ſæpè cit. Cap. 20. §. 6. & ſeqq.* & Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 3. §. 9. & ſeqq.*

XX.

Qui igitur punit, honeſtum finem intendere debet, non in ſolo ejus, quem punit, malo acquieſcere, ùt Vitell. apud Tacit. *Lib. 3. Hiſtor. Cap. 39.* fecit, qui ſe *paviſſe oculos ſpectatâ inimici morte* jactabat; qui enim ita punit, ut nil niſi malum alterius intendat, contra charitatem proximi agit, & actum odii, non juſtitiæ vindicativæ exercet, licèt pœna in ſe ſpectata juſta foret, nemo enim virtutem exercet, niſi qui etiam ex motivo virtutis agit.

XXI.

Effectus pœnæ alius eſt ex parte puniti, alius ex parte punientis. Ex parte puniti hunc operatur effectum, quòd delictum ſit extinctum, adeò ut, licèt fortè ſententiâ judicis mitior eidem pœna fuerit illata, quàm delicto ſuo ſit promeritus, repeti tamen non poſſit, cùm publica utilitas haud patiatur, ut authoritas rei judicatæ evertatur. Ex parte punientis verò refert, utrùm is pœnam condignam intulerit, vel non. Illo caſu ſatisfecit obligationi,

quâ Reipublicæ tenetur. Hoc autem caſu porro intereſt, utrùm irrogaverit pœnam mitiorem, quàm reus ſit promeritus, vel graviorem. Si mitiorem, ſuo officio rectè functus haud eſt, niſi penes eum ſtet jus remittendi pœnam, & ſimul juſta ſubfuerit cauſa. Si graviorem, læſit is jus rigoroſum, quod delinquens habet, ne ultra modum admiſſi puniatur.

XXII.

Ultra meritum igitur nemo eſt puniendus; ſunt autem in merito tria examinanda. Primò cauſa, quæ impulit ad peccandum: Secundò cauſa, quæ retrahere debuit: Tertiò denique idoneitas perſonæ ad conſiderandas cauſas impellentes, & retrahentes. Cauſa, quæ impellit ad peccandum, plerumque non eſt ipſa malitia peccati, nam vix quisquam gratis malus eſſe ſolet, aut ſi quem ipſa malitia propter ſe ipſam delectat, talis ultra modum humanum proceſſit. Pars igitur maxima ad peccandum impellitur vel ab impetu declinandi malum, vel ab appetitu alicujus boni. Delicta, quæ ex metu alicujus mali, puta mortis, carceris, doloris, aut ſummæ egeſtatis vitandæ cauſâ committuntur, minorem habent malitiam, quàm quæ ex incontinentia voluptatis ergo committuntur, quia illa minùs ex voluntario trahunt, quàm hæc. Appetitus alicujus boni vel eſt veri boni, vel tantùm imaginarii: vera bona extra virtutes, & earum actiones, quæ ad peccatum non ducunt, vel ſunt delectantia, ùt voluptas, honor, vel delectantium cauſâ, quæ vocantur utilia, ùt poſſeſſionum abundantia. Imaginaria tantùm, non vera bona ſunt tum excellentia ſupra alios, quatenus à virtute, & utilitate ſejungitur, tum vindicta, quæ eò fœdiora ſunt, quò magìs à naturâ abeunt. Hos tres appetitus S. Joann. *Epiſt. 1. Cap. 2. verſ. 16.* ita expreſſit: *Omne, quod in mundo eſt, vel concupiſcentia carnis eſt, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ.* Concupiſcentia carnis complectitur voluptatum deſideria, concupiſcentia oculorum habendi cupiditatem, & ſuperbia vitæ vanæ gloriæ conſectationem, & iracundiam.

XXIII.

Cauſa, quæ in genere à peccando retrahere debet, eſt malitia peccati, ſive adverſùs Deum, ſive adverſùs ſe ipſum, ſive adverſùs alios homines, quæ ultima eò major eſt, quò majus alteri infertur damnum: unde primum locum obtinent delicta conſummata, alterum inchoata, in quibus tanto quidque eſt gravius, quò ulterius proceſſit. In utroque genere ea eminet injuſtitia, quæ communem ordinem perturbat, ut eſt crimen læſæ Majeſtatis. Sequitur ea, quæ ſingulos tangit, ubi maxima eſt, quæ vitam ſpectat; proxima, quæ familiam, cujus fundamentum eſt matrimonium: poſtrema, quæ reſpicit res ſingulas expetibiles, ſive directè eas ſubtrahendo, ſive dolo malo cauſam damni dando. Inter cauſas autem abſtrahentes non tantùm poni debet qualitas ejus, quod directè fit, ſed & ejus, quod ſecuturum probabile eſt, ùt in incendio, & aggere perfoſſo multorum etiam ſummæ calamitates, & mortes ſpectandæ ſunt. Interdum ad injuſtitiam aliud inſuper accedit vitium, puta impietas in parentes, ut in parricidio, inhumanitas in liberos, ùt in infanticidio &c. Major quoque pravitas apparet, ſi quis ſæpiùs deliquerit.

XXIV.

Idoneitas perſonæ ad ponderandas cauſas avertentes; & reprimendos affectus impellentes deſumi ſolet ex ætate, ſexu, educatione, ſtupiditate, vel perſpicaciâ ingenii, & circumſtantiis actûs. Ita Grot. *ſæpè cit. Cap. 20. §. 29. 30. & 31.*

XXV.

Aliter & clariùs JCtus *in L. 16. §. 3. & ſeqq. ff. de Pœn.* ubi ait, *primò* conſiderandam eſſe cauſam, ut in verberibus, quæ impunita ſunt, ſi à Magiſtro, vel parente moderatè ſint illata, quia emendationis, non injuriæ gratiâ videntur adhiberi, puniuntur autem, cùm quis per iram ab extraneo pulſatus eſt. *Secundò* perſonam tum ejus, qui fecit, tum ejus, qui paſſus eſt; aliter enim punitur, qui in dominum, parentémve quid auſus eſt, quàm qui in extra-

neum, aliter qui in Magiſtratum, quàm qui in privatum; in cujus rei conſideratione ætatis, quoque ratio habetur. *Tertiò* locum, graviùs enim ſupplicium meretur, qui in Eccleſia, vel palatio Principis delictum admiſit, quàm qui in privato. *Quartò* tempus, ſic jus Romanum graviùs punit effractores nocturnos, quàm diurnos *L. 2. ff. de Effractor.* *Quintò* qualitatem, ſic graviorem meretur pœnam homicidium doloſum, quàm culpâ latâ commiſſum. *Sextò* quantitatem, ſic furtum reiteratum, & magnum graviùs punitur, quàm primum, & parvum. *Septimò* denique eventum, graviore enim ſupplicio coercentur delicta conſummata, quàm inchoata.

XXVI.

Quantum igitur eſt delictum, tanta debet eſſe pœna, non debet eſſe major, quàm exigat menſura delicti, nec minor, quàm poſtulet ratio diſciplinæ publicæ, nec tamen propterea, ubi paria ſunt delicta, ſemper etiam pœna par eſſe debet, cùm pœna non præciſè in ſe, ſed cum reſpectu ad patientem ſit conſideranda, ac proinde licèt nobilis, vel perſona illuſtris ob idem delictum in ſpeciem videatur mitiùs puniri, quàm vilis, & ignobilis, ſi tamen utriusque pœna conſideretur cum reſpectu ad patientem, non unus graviorem, alter mitiorem, ſed uterque æqualem pœnam cenſetur ſuſtinere, aliàs ſanè ſi eadem pœna utrique inferretur, unus ob idem delictum graviùs puniretur, quàm alter. Sic vili ignominia tantum malum non erit, quantum eſt honorato, & mulcta, quæ pauperem onerabit, eadem non onerabit divitem. Ex quo tamen perperam nonnulli inferunt, quòd in irrogatione pœnarum obſervetur proportio Geometrica, non Arithmetica; uti enim in emptione, & venditione pretium debet eſſe æquale merci, licet merx, & nummus alibi plus, alibi minus valeant, ita pœna debet eſſe æqualis delicto, licèt, quæ reſpectu unius eſt æqualis, reſpectu alterius non ſit æqualis. Grot. *ubi ſuprà* §. *33.*

XXVII.

Quod ſi pœna arbitrio Judicis relicta ſit, humanitas exigit, ut is mitiorem eligat, niſi cauſa extrinſeca accedat, quæ interdum eſt

ingens

ingens periculum ab eo, qui deliquit, plerumque autem neceſſitas exempli. Naſci ea ſolet ex generalibus invitamentis ad delinquendum, quæ reprimi nequeunt, niſi acribus remediis, inter quæ invitamenta præcipua ſunt, facilitas, & conſuetudo. Ob facilitatem committendi delicti Lex Hebræis data graviùs puniebat furtum de paſcuo, quàm de domo, quia illud difficilius præcaveri poteſt, quàm hoc. *Exod. 22. verſ. 1. & 9.* Conſuetudo facti, ubi ſcilicet aliquod vitium quaſi in publicos mores tranſiit, detrahit quidem aliquid de culpâ, & ideo in judiciis minore pœnâ plecti ſolet, quia culpa in ſingulis minor eſt, ubi quis velut torrente ſimilia peccantium fuit abreptus, ſi autem Lex ſit ferenda, invaleſcens conſuetudo facit, ut eidem reprimendæ pœna ſit intendenda, niſi circumſtantia temporis utrobique aliud requirat. Confer. Grot. *ſæpè cit. Cap. 20. §. 34. & 35.*

XXVIII.

Contraria ſunt modi, quibus pœna tollitur. Tollitur autem vel ex toto, vel ex parte. Ex toto tollitur *primò*, ſi reus criminis ante inflictam pœnam naturæ debitum perſolverit, nam morte delinquentis extinguitur delictum: Ergo etiam extinguitur pœna, quæ eſt coërcitio delicti. Aliquando tamen ob nimiam criminis atrocitatem, veluti perduellionis, latrocinii, veneficii &c. adhuc in cadaver animadverti ſolet. *Secundò* tollitur remiſſione factâ ab eo, qui jus remittendi habet. Poteſt autem ex natura rei is demum pœnam remittere, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, qui autem ab eo, penes quem reſidet ſummum Imperium, conſtituti ſunt judices, jus remittendi, ſeu ut vulgò vocant, aggratiandi non habent; poſſunt quidem illi, & etiam tenentur perpendere circumſtantias delicti intrinſecas, ne quid durius, aut remiſſius conſtituant, quàm cauſa depoſcat, at ob cauſas merè extrinſecas, quæ non minuunt malitiam peccati, veniam delinquentibus dare haud poſſunt.

XXIX.

Poteſt autem is, qui ſummam in civitate poteſtatem habet, delinquenti veniam dare, tametſi delicto ab eo commiſſo Lege certa

pœna

pœna ſit præfixa; poteſt enim Legis Auctor, ſi velit, totam Legem tollere, cùm Legis humanæ ea ſit natura, ut non tantùm in origine, ſed & in duratione à voluntate humanâ pendeat: Ergo multò magis relaxare poteſt vinculum Legis circa perſonam, aut factum ſingulare, manente de cœtero Lege; Grot. *ubi ſuprà* §. 24.

XXX.

Sunt, qui exiſtimant, ſummum Imperantem in illis ſaltem delictis veniam dare non poſſe, quibus in Lege divinâ veteris teſtamenti pœna capitalis præfixa eſt, veluti eſt homicidium, quod *Levit. 24. verſ. 17. Exod. 21. verſ. 12.* morte puniri jubetur, eò quòd inferior Legem ſuperioris abolere non poſſit. At contraria ſententia verior eſt; nam pœnæ criminales à Deo in Lege veteri conſtitutæ non pertinebant ad Leges morales, ſeu naturales; tametſi enim jus naturæ jubeat, ut ſontes puniantur, attamen genus, quantitatem, & qualitatem pœnæ non determinat: Ergò pertinebant ad Leges poſitivas, & judiciales pro commodo, & ſtatu Reipublicæ judaicæ ſancitas, quâ proinde ſine ſpe reſtitutionis ſublatâ ultrò exspirârunt. Quare Princeps, qui pœnam mortis homicidæ condonat, nihil agit adverſùs Legem divinam, ſed tantùm in Lege humana diſpenſat. Quod autem *Geneſ. 9. verſ. 6.* dicitur: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, non hunc ſenſum habet, quòd poteſtas politica pœnam mortis ſemper, & in omni homicidio teneatur exigere, ſed tantùm, quòd poſſit homicidium pœnâ mortis plectere, vel ſi imponit obligationem, illa non diutiùs duravit, quàm ad tempus Legis gratiæ. Confer. Dn. P. Schmier *in J. P. U. Lib. 3. Cap. 2. Sect. 3.* §. *3. à num. 135.* & Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 3.* §. *26.*

XXXI.

Ut autem is, qui ſummam poteſtatem habet, pœnam ex toto remittere poſſit, juſta exigitur cauſa, aliàs peccat, non enim fruſtrà portat gladium, ſed ut tanquam miniſter Dei vindex ſit in iram ei, qui malè egit. *ad Roman. 13. verſ. 4.* Talis juſta cauſa eſſe poteſt, ſi

per

per punitionem tumultus excitaretur in plebe, vel aliud grave malum immineret Reipublicæ, ad cujus utilitatem omnis animadverſio referri debet, ut rectè ait Cicer. *de Offic. Lib. 2. Cap. 25.* Talis cauſa quandoque etiam eſſe poſſunt merita, aut parentum, aut ipſius delinquentis propria digna repenſari. Sic M. Antonius liberavit M. Aquilium criminis repetundarum reum, dum cauſâ propè peroratâ eundem in conſpectu omnium conſtituit, tunicámque ejus à pectore abſcidit, ut populus Romanus, judicésque cicatrices adverſo corpore exceptas aſpicerent, velut ex Ciceron. in Verr. refert Puffendorf. *cit. Cap. 3. §. 17.*

XXXII.

Quòdſi cauſa ſufficiens non ſit, ut pœna ex toto remitti poſſit, ſufficere tamen poterit, ut ſaltem ex parte remittatur; *pœnam*, inquit Seneca *de Clement. Lib. 1. Cap. 20. ſi tutò poterit, donet; ſin minùs, temperet.*

XXXIII.

Affinis pœnæ eſt vindicta, ſeu ultio injuriæ, vindicare enim in propoſito idem ſignificat, ac ulciſci. Unde Ovid.

Quique necem Craſſi vindicet, ultor erit.

Latiùs quidem vindictam accepit S. Auguſtinus *Lib. 83. Quæſt. 31.* ita, ut ſub hoc vocabulo etiam defenſionem adverſùs injuſtum aggreſſorem intellexerit: at tam lata acceptio ab hoc loco aliena eſt.

XXXIV.

Deſcribi poteſt vindicta, quòd ſit malum phyſicum animo illatam injuriam ulciſcendi ei, qui ſubditus non eſt, vel ſaltem non ut ſubditus ſpectatur, inflictum; licèt enim vindicta etiam in ſubditum exerceri poſſit, non tamen hoc caſu ſpectatur ut ſubditus, quia ſuperior non infligit ei malum ut ſuperior, ſeu vi poteſtatis publicæ, quam habet, ſed ut privatus, vel ſi malum inferat vi po-

teſtatis publicæ, non exercet vindictam, ſed infligit pœnam, utut fortè injuſtam.

XXXV.

Poteſt autem vindictam ille demùm ſumere, qui nullius Imperio ſubjectus eſt, utì ſunt ſummi Imperantes, patresfamilias extra omnem Rempublicam viventes, & ſinguli, qui nec Imperio civili, nec familiari ſunt ſubjecti; & quidem ſummi Imperantes ac patresfamilias, qui ſegreges habent familias, non tantùm proprias, ſed & ſubditorum ſuorum injurias bello ulciſci poſſunt, ut David contumeliam legatis ſuis ab Anone illatam vindicavit, aliorum autem injurias ulciſci haud poſſunt; maxima enim naſceretur confuſio, ſi cuilibet aliorum injurias vindicare permiſſum eſſet: poteſt quidem unusquisque alterum ab injuria defendere; at alia ratio eſt defenſionis, alia ultionis, ad defendendum innocentem invitat charitas proximi, non autem ad ulciſcendam injuriam ipſi illatam, quam remittendi liberum habet arbitrium: Ergo voluntate ejus, qui jus vindicandi habet, non exploratâ, eandem alii ulciſci haud poſſunt.

XXXVI.

Cœterùm ut vindicta juſta ſit, non ſufficit, eum, qui vindictam ſumit, jus vindicandi habere, ſed inſuper requiritur, ut juſtum etiam ordinem ſervet, & modum non excedat. Ordo ſtat in eo, ut, ſi is, qui injuriam intulit, Imperio civili, vel familiari ſubjectus ſit, querela primùm deferatur ad eum, cui ſubjectus eſt, & ſi hic jus non reddendo ſe alieni delicti participem fecerit, tunc demum ad bellum vindicativum decurratur. Modus ulciſcendi exigit, ut vindicta non ſit major, quàm malitia peccati, crudeles enim ſunt, qui ulciſcendi cauſam habent, modum non habent. Senec. *Lib. 2. de Clement. Cap. 4.*

XXXVII.

Denique neceſſe eſt, ut præceſſerit injuria formalis, ob injuriam duntaxat materialem ut alibi dicemus, vindicta locum non habet,

bet, & quidem de injuria formali certò conſtare debet, nec ſufficit probabilitas, multò minus ſuſpicio, qui enim injuriam feciſſe dicitur, eſt in poſſeſſione. Dn. P. Seybold *Dicæomach. Part. 3. Sect. 4. §. 8. num. 10.*

§. III.

De Jure conſtituendi Magiſtratus.

SUMMARIA.

I. *Poſtquam civitates adeò creverunt, Magiſtratus ſunt neceſſarii.*

II. *Sumitur hoc vocabulum in propoſito in ſenſu latiſſimo.*

III. *Officiales omnes, ſive majores, ſive minores ſint, ſolus ſummus Imperans, vel immediatè, vel ſaltem mediatè conſtituit.*

IV. *Tenetur tum ſummus Imperans, tum alii, qui ab eo poteſtatem acceperunt, officia publica conferendi, non niſi dignos, & idoneos iisdem præficere.*

V. *Et quidem inter plures dignos tenentur digniorem minùs digno præferre.*

VI. *Venditio officiorum ſæcularium jure naturæ prohibita non eſt, ſi neceſſitate, vel publicâ utilitate exigente, pretio moderato, quantùm fieri poteſt, vendantur digniori.*

VII. *Objectum Magiſtratuum ſunt negotia, quæ ſinguli vi officii ſui curare tenentur.*

VIII. *Adducitur forma Magiſtratuum.*

IX. *Item finis proximus, & remotus.*

X. *Effectus Magiſtratuum ex parte ipſorum ſtat tum in poteſtate, tum in obligatione eorum.*

XI. *Ex parte ſubditorum conſiſtit in obligatione Magiſtratibus debitum exhibendi honorem, reverentiam, & obedientiam.*

XII. *Magiſtratus ſummum Imperantem obligant in iis, quæ probabiliter ipſorum officio continentur.*

XIII. *Recenſentur modi, quibus officium Magiſtratûs rurſus finitur.*

I.

INter jura ſummi Imperii tertium locum obtinet jus conſtituendi Magiſtratus; poſtquam enim civitates adeò creverunt, ut Imperium non unius tantùm urbis finibus terminetur, ſed ampliſſimas ditiones, ac provincias complectatur, neceſſe eſt, ut is, qui ſummam in civitate poteſtatem habet, alios in partem curæ, & adminiſtrationis publicæ recipiat, qui prudentiâ, conſilio, miniſterio eidem aſſiſtant, eundem adjuvent, vices ejus obeant, defectum ſuppleant, *ut, dum ubique adeſſe non poteſt, nec videre omnia, nec audire, videat tamen, & audiat, & agat omnia per adminiſtros quadam velut Dei imitatione, qui, licet omnia poſſit, non tamen omnia per ſe agit, ſed naturâ tanquam miniſtrâ, & cauſis ſecundis, tanquam inſtrumentis decretorum ſuorum utitur ad conſervationem, ordinem, & ornatum Univerſi*, ut loquitur Dn. Braun. *de Magiſtrat. Cap. 4. §. 1. num. 1.*

II.

Sumitur autem vocabulum Magiſtratûs hoc loco in ſenſu latiſſimo, ut complectatur omnes, quibus officia publica ab eo, qui ſummam in civitate poteſtatem habet, ſunt commiſſa, ac proinde hoc nomine etiam illi veniunt, qui jus imperandi non habent, ut ſunt meri conſiliarii, præfecti, curatores, miniſtri, quos Ariſtotel. *Lib. 4. Polit. Cap. 15.* à Magiſtratibus diſtinxit. Vid. Bœcler. *Inſt. Polit. Lib. 2. Cap. 6.* & ad Grot. *Lib. 1. Cap. 3. §. 6. pag. mihi 218.*

III.

Cauſa efficiens Magiſtratuum eſt ſumma poteſtas, quæ ſola officiales omnes, ſive majores, ſive minores ſint, conſtituit; licèt enim quandoque Magiſtratus majores poteſtatem habeant inferiores officiales conſtituendi, aut certus ordo ſuos ſuperiores, & rectores ipſe

valeat

valeat eligere, hanc tamen poteſtatem non habent ex ſe, ſed ab eo, cui ſummum in civitatem competit Imperium, ac proinde tametſi Is tali caſu non ſit cauſa conſtitutiva Magiſtratûs immediata, tamen eſt mediata.

IV.

Tenetur autem tum ſummus Imperans, tum alii, qui ab eo poteſtatem acceperunt, officia publica conferendi, non niſi dignos, & idoneos iisdem præficere, qui enim indigno officium Magiſtratûs confert, non tantùm contra fidelitatem, & juſtitiam tum legalem, tum diſtributivam, ſed & commutativam peccat, quia vi officii, & pacti cujusdam impliciti tenetur Reipublicæ providere de miniſtris idoneis ad rectam gubernationem, ac proinde ſi Respublica ex indigni electione damnum ſit paſſa, tenetur ille hoc damnum reſarcire. Leſs. *de J. & J. Lib. 2. Cap. 32. Dubit. 3. num. 13.* Grot. *Lib. 2. Cap. 17.* §. *3.* Dn. Braun. *de Magiſtrat. Cap. 5.* §. *1. num. 5.*

V.

Tenetur porrò, qui jus conferendi habet, inter plures dignos ſemper digniorem minùs digno præferre, præſertim ſi officium conjunctam habeat jurisdictionem, vel aliàs magni ſit momenti: Exigit hoc primò juſtitia diſtributiva, quæ vult, ut prœmia, honores, officia, aliáque bona communia inter membra communitatis ſine acceptione perſonarum, ſolo ad merita habito reſpectu, conferantur. Secundò hoc exigit juſtitia legalis, vi cujus omnia membra, ex quibus conſurgit corpus politicum Reipublicæ, omnes actiones ſuas tenentur ordinare ad bonum communitatis, etiam ſecluſo, ac per intellectum abſtracto bono proprio. Exigit denique hoc fidelitas, quam is, cui Respublica diſtributionem officiorum commiſit, eidem debet, ſicut enim œconomus, ſi fideliter præſtare velit ſuum officium, maximè idoneos operarios, & miniſtros, quantùm fieri poteſt, ſuo domino conducere tenetur, ita ille, qui jus habet conferendi officia publica, ſi fideliter fungi velit ſuo officio, maximè idoneos, quantùm fieri poteſt, in Magiſtra-

tus & officiales aſſumere tenetur. Leſs. *cit. Dubit. 3. num. 15. & ſeqq.*

VI.

Ut autem collatio officiorum publicorum ſemper ſit gratuita, neceſſe non eſt, qui enim ſummum habet Imperium, ea ſpectato jure naturæ, etiam vendere poteſt, modò primò neceſſitas, vel publica utilitas hoc exigat. Secundò pretium, quo vendit, ſit moderatum, aliàs enim emptoribus daretur occaſio exceſſum pretii per iniquas extorſiones ab innocentibus recuperandi. Tertiò denique, quantùm fieri poteſt, vendat digniori, quæ conditiones ſi adſint, venditio officiorum ſæcularium jure naturæ prohibita non eſt; nam ex unâ parte ejusmodi officia ſunt pretio æſtimabilia, ex alterâ verò liberæ ſummæ poteſtatis diſpoſitioni, quantùm ſcilicet exigit neceſſitas, vel utilitas Reipublicæ, ſubjecta: Ergo ſi exigente neceſſitate, vel publicâ utilitate ab eo, qui ſummum habet Imperium, quantùm fieri poteſt, digniori pretio moderato vendantur, talis venditio intrinſecam pravitatem haud continet: interim tamen plerique fatentur, rariùs accidere, quod relatæ conditiones exactè ſerventur, plerumque enim plus licitanti vendi ſolent officia, nullo ad merita emptorum habito reſpectu. Confer Leſs. *cit. Cap. 32. Dubit. 4.* Dn. P. Seybold. *de Republ. Chriſtian. Part. 12. Sect. 2. §. 7. num. 11.*

VII.

Objectum Magiſtratuum ſunt negotia, quæ ſinguli vi officii ſui curare tenentur, ſuntque vel per ſe, & ſuâpte naturâ publica, vel ſaltem ad publicum ordinantur; nec enim ea, quæ cuivis ratione officii incumbunt, unius, & ejusdem ſunt generis, quidam ſummo Imperanti à conſiliis ſunt, alii reditus curant, & ærario præſunt, alii nomine ſummi Imperantis Legiones, & exercitum regunt ad tuendam ab externâ vi Rempublicam, alii controverſiis privatorum decidendis ſunt præpoſiti, quas publicâ auctoritate dirimi publicæ quietis intereſt.

VIII.

VIII.

Forma duplex eſt, generalis, & ſpecialis. Generalis conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, qua Magiſtratus differunt ab adminiſtratoribus, & curatoribus rerum privatorum, quæ per ſe apparet. Specifica verò ſtat in differentia, qua Magiſtratus ipſi inter ſe differunt, quæ ex diverſitate objecti, & poteſtatis deſumi debet.

IX.

Finis itidem duplex eſt, proximus, & remotus. Proximus eſt recta, & fidelis adminiſtratio officii cuivis commiſſi. Remotus verò eſt ſalus, & bonum publicum.

X.

Effectus ad tria genera reduci poſſunt, vel enim ſe tenent ex parte ipſorum Magiſtratuum, vel ex parte ſubditorum, vel denique ex parte ſummi Imperantis, qui eòs conſtituit. Ex parte Magiſtratuum duplex occurrit effectus. Primus ſtat in eorum poteſtate, quæ menſuram ſuam accipit tum ex natura officii, tum ex voluntate conſtituentis expreſſâ: tametſi autem cuidam ampla admodùm poteſtas ſit conceſſa, illa tamen ſemper ſummo Imperanti ſubordinata, & ſubjecta manet, ita ut eidem liberum ſit, negotium, quod officio Magiſtratûs continetur, vel per ſe expedire, vel extra ordinem alteri expediendum committere, aut etiam collegam vel cum, vel ſine ſpe ſuccedendi eidem adjungere &c. Confer Böhmer. *J. P. U. Lib. 2. Cap. 6.* §. *13. 14. & 22.* Alter effectus conſiſtit in obligatione Magiſtratuum, vi cujus tenentur I. eſſe fideles. II. Debitam diligentiam, & ſollicitudinem in adminiſtratione officii adhibere. III. Rationes ſuæ adminiſtrationis reddere. IV. Damna dolo, vel culpâ ſuâ illata reſarcire.

XI.

Effectus ex parte ſubditorum ſtat tum in obligatione Magiſtratibus debitum exhibendi honorem, & reverentiam, tum eorum manda-

mandatis obtemperandi, cùm ſummi Imperantis, qui eos conſtituit, referant perſonam: Unde qui Magiſtratus non reveretur, ipſum Imperantem ſpernit, & qui mandatis eorum, ſi intra limites officii conſiſtant, non paret, ipſi ſummo Imperanti inobediens exiſtit.

XII.

Effectus denique ex parte ſummi Imperantis eſt, quòd, ſi Magiſtratus ab eo conſtituti quid fecerint, quod probabiliter ipſorum officio continetur, Is perinde obligetur, ac ſi ipſe feciſſet. Grot. *Lib. 3. Cap. 22. §. 2.*

XIII.

Contraria ſunt modi, quibus officium Magiſtratûs rurſus finitur. Finitur autem I. morte, ita ut ſummus Imperans illud alteri, cui vult, conferre poſſit, nec enim hæres defuncto in officio ſuccedit, niſi & hæredibus id diſertè ſit conceſſum, cùm in collatione officiorum ſpectetur, & eligatur induſtria perſonæ, in quam hæres haud ſuccedit. Finitur II. lapſu temporis, ad quod Magiſtratus eſt conſtitutus, nec enim ſemper in perpetuum, ſed quandoque ad certum duntaxat tempus conſtitui ſolent, imò Politici diſputant, utrùm magis expediat Reipublicæ habere Magiſtratus perpetuos, vel temporales. Certè Mamercus Dictator apud Liv. *Lib. 4. Cap. 4.* cenſuit, *maximam cuſtodiam libertatis eſſe, ſi magna Imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non poſſet.* Quod in civitatibus ſaltem polyarchicis omnino verum eſſe videtur. Finitur III. abdicatione, modò Imperans eandem acceptet, nemo enim pro lubitu ſpartham ſibi commiſſam derelinquere poteſt, ſed priùs dimiſſionem petere, & impetrare oportet, quæ ſi denegetur, in officio ſubſiſtendum erit, uti enim ab initio etiam invitus per ſe loquendo cogi poteſt ad ſuſcipiendum officium, ita & invitus cogi poteſt, ut, quod ſemel ſuſcepit, officium retineat, non nobis ſolis, ſed aliis quoque nati ſumus, partem ortûs noſtri, & quidem præcipuam patria ſibi vindicat, partem parentes, partem amici; interim plures ſunt, qui offi-

cia,

cia, & quidem haud rarò etiam nondum vacantia prenſant, quàm qui abdicant. Finitur IV. privatione, quin enim ſummus Imperans officium alicui collatum ex juſtâ cauſâ eidem rurſus auferre poſſit, planè dubium non eſt, & quidem auferri poſſunt non tantùm officia perſonalia, ſed etiam, ſi juſta ſubſit cauſa, quæ alicui, & ejus hæredibus ſunt conceſſa: multò faciliùs revocari poteſt exſpectativa, ſeu ſpes, quæ alicui data eſt ad officium, nam officia non niſi ex gratia conferri ſolent: Ergo licet ſummus Imperans alteri promittat, quòd hoc, vel illud officium ſuo tempore eidem conferre velit, nullum tamen per hoc alteri adverſùs ſe jus tribuere velle cenſetur, ſed ut nihilominus totum ſuæ liberalitati, & gratiæ adſcribatur, cujusmodi promiſſiones Grot. *Lib. 2. Cap. 11. §. 3.* pollicitationes appellat, ex quibus naſcitur quidem debitum conſtantiæ, ſeu fidelitatis, non autem juſtitiæ, ac proinde ſi ſummus Imperans exſpectativam, quam dedit, ſine cauſa revocet, Is notam quidem levitatis, & inconſtantiæ incurrit, alteri autem injuriam non infert. Vid. Böhmer. *cit. Cap. 6. §. 19.*

§. IV.

De Poteſtate Jus dicendi.

SUMMARIA.

I. *In ſtatu civili, niſi ceſſent judicia, nemo propriâ authoritate ſibi jus dicere poteſt.*

II. *Quot modis ceſſent judicia?*

III. *Quid ſi judicium quidem non ceſſet, probatio autem deficiat?*

IV. *Probabile eſt, Reges ab initio omnes ſubditorum cauſas per ſe cognoviſſe, & decidiſſe.*

V. *Non intelliguntur ſummi Imperantes hac ſuâ poteſtate ſe abdicare, ſi ſubditis munus judicandi deferant.*

VI. *Non poſſunt ſubditi citra privilegium, prætermiſſo judice inferiore, ſtatim ſummum Imperantem adire.*

VII. *Utrùm judex inferior vices ſuas alteri delegare poſſit?*

VIII. *Objectum primarium jus dicentium ſunt cauſæ eorum jurisdictioni ſubjectæ.*

IX. *Etiam jure naturæ actor ſequitur forum rei.*

X. *Summus Imperans etiam in cauſa propria ſibi jus dicere poteſt.*

XI. *Non autem judices inferiores, adeò ut probabiliùs nequidem conſuetudine hoc induci poſſit.*

XII. *Nemo extra ſuum territorium jus dicere poteſt, niſi præter voluntatem partium ad valorem actûs nil, niſi authoritas Magiſtratûs exigatur.*

XIII. *Quomodo poteſtas jus dicendi ſubalterna differat à poteſtate arbitrorum compromiſſariorum?*

XIV. *Obligantur jus dicentes primò, ut juſto ſervato ordine procedant, qui duplex eſt naturalis, & civilis.*

XV. *Secundò, ut juſtam, ſeu actis judicialibus, & legibus conformem ferant ſententiam.*

XVI. *Quid dicendum, ſi judex privatâ notitiâ ſciat reum eſſe innocentem?*

XVII. *Si ſententia non eſſet conformis juri, eſſet autem conformis actis judicialibus, tenetur judex ab actis recedere.*

XVIII. *Tenetur ſequi ſententiam, quæ ipſi videtur probabilior, neglectâ alterâ, quæ ipſi videtur minùs probabilis.*

XIX. *Quòd ſi neutra pars judici videatur probabilior, is pro neutrâ parte ſententiam ferre poteſt, ſi hæreat in dubio juris.*

XX. *Quid dicendum ſit, ſi hæreat in dubio facti?*

XXI. *Tenetur juſtam ſententiam ferre gratìs.*

XXII. *Subditi tenentur ſententiæ parere, poſtquàm illa transivit in rem judicatam.*

I. Inter

I.

INter Jura ſummi Imperii non poſtremum locum obtinet poteſtas jus dicendi, ſine qua pax, & tranquillitas interna Reipublicæ conſervari haud poteſt, quanta enim oriretur confuſio, ſi perinde, ut in ſtatu naturali quisque, quod ſuum eſſe, aut ſibi deberi putat, propriâ authoritate, etiam vi adhibitâ perſequi poſſet? poſtquam igitur civitates ſunt exortæ, nemo, qui in ſtatu civili vivit, ſibi ampliùs jus dicere poteſt, ſed controverſiæ omnes, quæ inter eos naſcuntur, publicâ authoritate ſunt dirimendæ, niſi fortè judicia ceſſent, ubi plerumque idem permiſſum eſt, quod in ſtatu naturali licet.

II.

Ceſſat autem judicium I. ſi judex ſine certo periculo, aut damno non poſſit exſpectari, velut accidit, ſi injuſtus aggreſſor mihi vitam, aut res meas velit eripere, adverſùs quem etiam, ſi neceſſe ſit, cum ejusdem interfectione me, & mea defendere poſſum, aliàs irreparabile damnum mihi inferretur. Ceſſat II. in locis non occupatis, ut ſi quidam naufragio ejecti ſint in inſulam vacuam ſub nullius Imperio exiſtentem. Ceſſat III. ſi civitas propter rebellionem ſubditorum, diſſidium inteſtinum &c. quaſi in Anarchiam ſit prolapſa. Ceſſat IV. ſi judex apertè cognitionem rejecerit, quo tamen caſu nemo privatâ authoritate ſibi jus dicere poteſt; vel enim judex ille Superiorem habet, vel eſt ipſe ſummus Imperans. Illo caſu res ex capite denegatæ juſtitiæ ad ſuperiorem deferenda eſt. Hoc autem caſu vel is, cui juſtitia denegatur, eſt ſubditus, vel non eſt ſubditus. Subdito id æquo animo ferendum potiùs eſt, quàm ut quidquam vi tentetur, & vinculum ordinatæ civitatis disrumpatur. Non ſubditus autem hoc ſummo Imperanti, cui ſubjectus eſt, referre, eúmque rogare debet, ut, ſi juſtitia non poſſit obtineri, eidem per repreſſalias tandem proſpicere velit. Henigeſ. ad Grot. *Lib. 1. Cap. 3.* §. *2.*

III.

Quòdſi judicium quidem non ceſſet, probatio autem deficiat, etiam hoc caſu, modò debitum ſit certum, quemque ſibi privatâ authoritate jus dicere poſſe, arbitratur Grot. *Lib. 2. Cap. 7.* §. *2. num. 2. in fin.* quam opinionem paſſim Interpretes improbant, & rectè, ſi is ſenſiſſet, etiam vi adhibitâ quemvis hoc caſu ſibi jus dicere poſſe, aliàs enim periculum eſſet, ne ſub hoc prætextu ſæpè alter alteri vim inferret, quo facto non poſſet non turbari pax, & tranquillitas Reipublicæ. Deinde ejusmodi vis non habebit effectum, quem inferens intendit, ſi enim is, qui vim paſſus eſt, judicem adeat, alter non tantùm ad reſtituendam rem ablatam condemnabitur, ſed & punietur. Denique ipſe Grot. eodem *Lib. Cap. 23.* §. *11.* docet, ab eo, qui juſtam cauſam habere ſe ſcit, documenta autem ſufficientia non habet, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis convincat, bellum ſumi haud poſſe, cùm non habeat jus cogendi alterum, ut de poſſeſſione decedat. Si ergo tali caſu bellum publicum ſumi non poteſt, nec ſumi poterit bellum privatum. Unde apparet Grot. *ſuprà cit.* §. *2.* non niſi de occultâ compenſatione locutum eſſe, quam licere conſtat, modò debitæ obſerventur conditiones, de quibus legi poteſt P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. Tract. 2. Cap. 3. Contr. 3. per tot.*

IV.

Poteſtas igitur jus dicendi ei competit, qui ſummum habet Imperium, & quidem cùm initio parvæ fuerint civitates, dubium mihi non eſt, quin ſummi Imperantes tunc temporis omnes ſubditorum controverſias ipſi per ſe cognoverint, & deciderint juxta illud Heſiodi: *Hoc uno Reges olim ſunt ſine creati, dicere jus populis, injuſtáque tollere facta.* Poſtquam autem in tantum creverunt, ut hoc impoſſibile ſit, neceſſitate exigente ex ſubditis ſunt conſtituti, qui nomine, & vice ſummorum Imperantium litigantibus jus dicant, & juſtitiam adminiſtrent, quem in finem etiam ab eis jam antiquitus juramentum exigi ſolebat.

V. Non

V.

Non tamen propterea Illi poteſtate ſuâ ſe abdicâſſe intelliguntur, ſed plenam, & integram retinent facultatem cauſas ſubditorum, ſi velint, per ſe cognoſcendi, & decidendi, cùm judices ſubalterni non niſi in ſubſidium à ſummis Imperantibus ſint aſſumpti, unde etiam cauſas coram inferioribus jam cœptas avocare, & ad ſe transferre, ac ſuâ deciſione finire queunt, licèt hac in parte non nimis faciles eſſe, ſed tunc demum eò decurrere debeant, ſi gravis ſubſit avocandi cauſa, veluti ſi in mora periculum, aut judex inferior ſuſpectus ſit, ſi poteſtate ſuâ abutatur, aut aliàs officio ſuo malè fungatur; faciliùs proceſſum coram inferiore cœptum aliquamdiu ſiſtere poſſunt, donec de eo, quod actum eſt, fuerint informati. Ex eo porro etiam profluit, quòd ad ſummum Imperantem ſemper provocari poſſit, adeò, ut, licèt judex inferior præſcriptione, vel privilegio acquiſierit, ut ab eo non poſſit appellári, ſemper tamen aliqua ab eo ſit provocatio, puta, per ſupplicationem, vel ex capite nullitatis, aut denegatæ, vel malitioſè protractæ juſtitiæ, nam ut ab aliquo nullâ ratione provocari poſſit, perſonæ ſubditi repugnat, ut rectè Grot. ſcripſit *Lib. 2. Cap. 4. §. 13.*

VI.

Subditis autem è converſo integrum haud eſt, prætermiſſo judice inferiore ſummum ſtatim Imperantem adire, niſi hoc privilegium certis perſonis in ſpecie ſit indultum, velut jus Romanum pupillis, viduis, & perſonis miſerabilibus indulſit. *Tot. Tit. Cod. Quand. Imperat. inter pupill. vid. &c.* Ideo enim judex inferior fuit conſtitutus, ut ipſe nomine ſummi Imperantis jus dicat, ac proinde primo loco adeatur, quamvis non præciſè eundem litis decidendæ cauſâ adire ſubditi teneantur, ſed, ſi malint, in arbitros compromittere, & controverſiam eorum deciſioni ſubmittere, aut etiam transactione, vel amicabili compoſitione terminare queant.

VII.

Quæri poteſt, utrùm non judex inferior vices ſuas alteri delegare poſſit? Negativa mihi verior videtur, niſi vel Lege communi, vel à ſummo Imperante hoc in ſpecie fuerit conceſſum. Ratio eſt, quia judex inferior munus judicandi non habet jure proprio, ſed beneficio ſummi Imperantis, qui induſtriam, & ſingularem idoneitatem perſonæ elegit: Ergo noluit, ut ille vices ſuas alteri delegare poſſit. Aliud fortè dicendum, ſi alicui, & ejus hæredibus jurisdictio fuerit conceſſa, quoniam hoc caſu peculiaris perſonæ induſtria non fuit ſpectata. Böhmer. *J. P. U. Lib. 2. Cap 7. §. 23.*

VIII.

Objectum jus dicentium duplex eſt, primarium, & ſecundarium. Primarium ſunt cauſæ eorum jurisdictioni ſubjectæ. Unde ſi vivente Rege ſuper ſucceſſione Regni hæreditarii, vel linealis inter duos pluresve controverſia ſit orta, Is per modum jurisdictionis, ſeu pro Imperio, ut alibi diximus, eandem decidere haud poteſt, tametſi fortè perſonæ, inter quas lis ſuper futurâ ſucceſſione exorta eſt, Imperio regnantis ſint ſubjectæ, quia cauſa ſucceſſionis non continetur ſub jure Imperii. Eodem modo judex ſæcularis in cauſa ſpirituali jus dicere haud poteſt. Quòdſi quis in cauſâ ſuæ jurisdictioni non ſubjectâ jus dixerit, ſententia propter defectum poteſtatis ipſo jure naturæ nulla eſt.

IX.

Non ſufficit autem cauſam ita comparatam eſſe, ut ſi præciſè ſecundùm ſe, & in abſtracto conſideretur, illa jurisdictioni jus dicentis ſubjecta ſit, ſed neceſſe eſt, ut & reſpectu ad perſonas habito ſit ſubjecta, quod fit, ſi litigantes, vel ſaltem reus jurisdictioni jus dicentis ſit ſubjectus, nam & jure naturæ actor ſequitur forum rei, vult enim, ut reus ad præſtandum id, quod petit, cogatur: Ergo debet adire eum, qui reum cogere poteſt, habet autem jus cogendi ſolus ille, qui in reum jurisdictionem habet.

X. Præ-

X.

Præterea neceſſe eſt, ut cauſa ſit aliena. Ubi tamen ſummus Imperans ſecerni debet ab inferioribus. Ille etiam in cauſâ propriâ ſibi Jus dicere poteſt, tum quia cogi nequit, ut ſe alterius vel æqualis, vel inferioris arbitrio ſubjiciat, tum quia periculum iniquæ ferendæ ſententiæ ceſſat, cùm à ſummo Imperante tanquam communi fonte Legum, ac juſtitiæ nil, niſi juſtum erga ſubditos promanare poſſe cenſeatur, interim tamen æquanimiores ad amoliendam omnem ſiniſtræ ſuſpicionis anſam plerumque deciſione ſuæ litis abſtinere, eámque aliis decidendam committere ſolent. Dn. Braun *de Magiſtrat. Cap. 6. num. 9. & 10.*

XI.

Inferiores autem judices in cauſâ propriâ ſibi jus dicere haud poſſunt propter periculum, ne iniquam ferant ſententiam. Certè amor, quo quisque ſe ipſum proſequitur, vix ſincerum patitur eſſe judicium, *quis enim eſt*, inquit Cicer. pro Deiotaro, *qui ſui periculi judex non ſibi ſe æquiorem, quàm reo præbeat?* Unde non immeritò Imperatores *in L. un. Cod. Ne quis in ſuâ cauſ. jud.* dixerunt, *iniquum admodùm eſſe, in re propriâ alicui licentiam tribuere ſententiæ.* Quam ob rem probabilius mihi eſſe videtur, nequidem conſuetudine induci poſſe, ut inferiores judices in cauſâ propriâ ſibi jus dicere queant; quamvis enim hoc intrinſecam, & eſſentialem pravitatem non contineat, occaſionem tamen valdè propinquam præbet delinquendi, ſeu iniquam ferendi ſententiam, cùm ea ſit humanæ naturæ conditio, ut quivis ſuæ potiùs ſtudeat utilitati, quàm alienæ, ac proinde talis conſuetudo tanquam irrationabilis, & bono publico adverſa meritò rejicitur, & improbatur. Dn. Braun. *cit. Cap. 6. num. 7. & 8.*

XII.

Objectum ſecundarium eſt locus, ſeu territorium, in quo jus dicitur, nemo autem extra ſuum territorium jus dicere poteſt, adeò

ut

ut ſi dicat, ei impunè non pareatur. *L. ult. ff. de juriſdict.* Planè ſi præter voluntatem partium ad valorem actûs nil, niſi authoritas Magiſtratûs exigeretur, poſſet is etiam extra territorium eandem ſuis ſubditis impertiri, licèt enim in territorio alieno exiſtat, Magiſtratus tamen eſſe non deſinit, utut in foro contentioſo juriſdictionem ibi exercere nequeat.

XIII.

Forma poteſtatis ſubalternæ jus dicendi conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, qua diſtinguitur tum à poteſtate aliorum Magiſtratuum, & curatorum, quæ ex diverſitate finis, propter quem alii conſtituti ſunt, deſumi debet, tum à poteſtate arbitrorum compromiſſariorum, quæ ſita eſt in hoc, quod poteſtas judiciaria ſit publica, arbitrorum autem tantùm ſit privata, cùm in ſolo compromittentium conſenſu fundetur, qui juriſdictionem, & Imperium tribuere nequit, ac proinde ſi unus compromittentium ſententiæ arbitri ſtare nolit, is ab arbitro ad hoc cogi haud poteſt.

XIV.

Effectus alius eſt ex parte judicum, alius ex parte ſubditorum. Effectus ex parte judicum conſiſtit in obligatione, quam unà cum poteſtate jus dicendi in ſe recipiunt, quæ obligatio duo potiſſimùm complectitur. Primum eſt, ut juſto ſervato ordine procedant. Eſt autem ordo procedendi duplex, naturalis, & civilis. Naturalis ſtat in citatione, petitione actoris, reſponſione rei, diſceptatione, & cognitione cauſæ, ſententiæ pronunciatione, & rei judicatæ executione, qui ordo utpote ab ipſâ naturâ præſcriptus ſine diſcrimine in omni judicio obſervari debet, aliàs enim cauſa controverſa rectè, & ritè diſcuti, ac decidi haud poſſet. Ordo procedendi civilis eſt, quem ſumma poteſtas in judiciis ſuæ Reipublicæ obſervandum præſcripſit, qui ab omnibus judicibus eidem ſubjectis exactè obſervari debet, quamquam ipſe ſummus Imperans ad eundem adſtrictus haud ſit, ſed cauſam vel per ſe, ſolâ veritate facti inſpectâ, de

de plano dirimere, vel aliis, ut citra ſtrepitum, & figuram ſolennis judicii cognoſcant, delegare poſſit.

XV.

Alterum eſt, ut juſtam ſeu actis judicialibus, & legibus conformem ferant ſententiam, ac proinde licèt judex aliquem privatâ notitiâ nocentem, vel debitorem eſſe ſciat, ſi tamen in judicio delictum, vel debitum non potuerit probari, eundem abſolvere debet, cùm ipſo jure naturæ ad hoc, ut reus condemnari poſſit, requiratur, ut is vel legitimè convictus, vel confeſſus ſit. Quòd ſi reum condemnaret, ſententia certè actis judicialibus conformis haud eſſet.

XVI.

Aliud dicendum videtur, ſi reum privatâ notitiâ ſciat eſſe innocentem, tametſi enim probatum fuerit, eſſe nocentem, judex tamen eundem condemnare haud poteſt, quod in cauſis criminalibus, ubi agitur ad pœnam mortis, ſatis expeditum eſſe arbitror, quia Lex naturæ, quæ directam prohibet occiſionem innocentis, reſpicit materiam independentem à poteſtate humana; Reſpublica enim tam parùm habet dominium in vitam ſuorum ſubditorum, quàm parùm quivis habet in membra ſua: Ergò ab hominibus nullo modo mutari poteſt. Majus dubium eſt in cauſis, in quibus vertitur damnum tantùm pecuniarium. Probabilius mihi videtur, quòd judex ne hoc quidem caſu condemnare poſſit, quem privatâ notitiâ ſcit, nihil debere, nam etiam in cauſis civilibus judex non aliter reum condemnare poteſt, quàm ſi eidem plena fides ſit facta: Si autem is privatâ notitiâ ſciat reum nihil debere, tantum abeſt, ut eidem plena fides ſit facta, ut potiùs ei nulla fides ſit facta: Ergo &c. Tametſi igitur probatio, ſi in ſe, abſolutè, & in abſtracto conſideretur, talis ſit, ut plenam fidem faciat, reſpectu tamen judicis, qui privatâ notitiâ ſcit, reum nihil debere, illa nullam prorſus facit fidem. Debet autem judici, qui jus ferendæ ſententiæ habet, non aliis probatum eſſe, ut is reum condemnare queat. Dn. P. Franciſc. Schmier. *Tract. de Jud. Cap. 2. num. 30. & ſeqq.*

ſeqq. Clariſs. Dn. Herz *de Magiſtrat. Roman. German. Lib. 2. Cap. 1. Tit. 2. num. 28. & ſeqq.*

XVII.

Deinde judex ferre debet ſententiam non tantùm actis publicis, ſed & juri conformem, adeò, ut ſi ſententia juri conformis non eſſet, ſi eſſet conformis actis publicis, non tantùm poſſit, ſed etiam teneatur ab actis publicis recedere, ne aliàs iniquam ferat ſententiam, ut paulò antè fuit oſtenſum.

XVIII.

Tenetur autem Judex in judicando ſemper ſequi ſententiam, quæ ipſi videtur eſſe probabilior, neglectâ alterâ, quæ ipſi videtur minùs probabilis, quia tenetur ex contractu, quem habet cum Republica, juſtitiam omni meliori modo adminiſtrare, alioquin anſam præberet querelis, & diſcordiis, neque ſatisfaceret intentioni Reipublicæ, quæ munus judicandi eâ Lege cenſetur detuliſſe, ut eodem quàm optimè fungeretur. At

XIX.

Quæres, quid dicendum ſit, ſi judici perpenſis omnibus neutra pars videatur eſſe probabilior? Poteſt autem Judex hærere vel in dubio juris, vel facti. Si hæreat in dubio juris, ita, ut in ipſius intellectu nec uni, nec alteri parti firmiora jura patrocinentur, pro neutra parte is ſententiam ferre poteſt, quia à judice abeſſe debet affectus omnis, qui procedit ex motivo non fundato in meritis cauſæ. At ſi in dubio juris ferret ſententiam pro alterutro, neceſſariò ferret ex affectu extraneo, cùm à cauſæ meritis non magìs inclinetur in unam, quàm in alteram partem. Deinde quando Jus pro neutra parte pronunciat, neque judex pronunciare poteſt, cùm is miniſter tantùm, & executor juris ſit. At quando in intellectu judicis fundamenta utriusque partis ſunt æqualia, jus pro neutrâ parte pronunciat: Ergo neque pronunciare poteſt Judex. Et ſanè quomodo is declarare poterit, pro qua parte ſtet Jus probabilius,

us, ſi neutra pars ipſi videatur eſſe probabilior? Debet igitur alia media litigantibus ſuggerere, monendo, ut vel tranſigant, vel rem controverſam dividant, vel ſorti committant, vel denique arbitros aſſumant.

XX.

Quòdſi Judex hæreat in dubio facti, veluti an teſtator tempore conditæ ultimæ voluntatis fuerit ſanæ mentis, vel non? &c. P. Haunold *de J. & J. Tom. 5. Tract. 2. Cap. 1. Contr. 3. num. 6.* exiſtimat ad generalia juris principia confugiendum eſſe, cujusmodi ſunt: *Actus præſumitur geſtus à capace, ſi non probetur contrarium, actus præſumitur validus, ſi de nullitate ejus non conſtet, in dubio favendum eſt reo, actore non probante reus eſt abſolvendus, proniora ſunt jura ad abſolvendum, quàm ad condemnandum, &c.* At primò ſæpè non facilè dixeris, ſitne dubium juris, vel facti. Deinde dubium facti plerumque poſt ſe trahit dubium juris. Sic licèt ſit dubium facti, quisnam ex gemellis priore, quisnam poſteriore loco ſit natus, ſi tamen omnes hac in parte deficiant probationes, quæritur, quid in tali rerum ſtatu ſit juris? Denique non ſemper in dubio facti applicari poſſunt principia generalia. Unde ſi poſt exactam diſquiſitionem judici nihilominus omnia in æquilibrio pendere videantur, eadem, quæ paulò ante allata ſunt, media ei ſuggerit Clariſs. Dn. Herz. *cit. Tit. 2. num. 27.*

XXI.

Denique Judex juſtam ſententiam gratìs ferre tenetur, nec aliquid eo nomine accipere poteſt, aliàs Jure naturæ eſt obligatus ad id, quod accepit, reſtituendum, niſi ille, qui dedit, habuerit animum donandi, nam Judex ex juſtitia juſtam tenetur ferre ſententiam, actio autem ex juſtitiá debita non eſt res vendibilis, quia debetur absque ullâ bonorum jacturâ, ac proinde ſi aliquid pro eâ detur, non ſervatur æqualitas, & is qui dedit, rationabiliter eſt invitus. Unde rectiſſimè Cicero 1. de Legib. *injuſtiſſimum eſt*, inquit, *juſtitiæ mercedem quærere.* Ex adverſo ſi Judex aliquid acceperit,

ut injuſtam ferat ſententiam, is poſt latam injuſtam ſententiam, ad reſtituendum id, quod accepit, Jure naturæ obligatus haud eſt; tametſi enim præcedens pactum ratione objecti ſit illicitum, & nullam inducat obligationem præſtandi promiſſum, cùm nemo poſſit obligari ad illicitum, ipſa tamen ſententia iniqua eſt actio ſecundùm ſe pretio æſtimabilis, ac proinde tale pactum obligat alterum ſub conditione, ſi actio fuerit exhibita, ut ſolvat pretium. Interim tam ille, qui corrupit judicem, quàm ipſe Judex damnum per injuſtam ſententiam alteri illatum reſarcire tenentur. Ita cum S. Thoma communis Theologorum ſententia tenet. Vid. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. Tract. 2. Cap. 3. Contr. 5.*

XXII.

Effectus poteſtatis judiciariæ ex parte ſubditorum ſtat in obligatione parendi ſententiæ, poſtquam illa tranſivit in rem judicatam, nam teſte Cicer. pro Sylla, *ſtatus Reipublicæ maximè rebus judicatis continetur.* Ex quonam autem tempore ſententia auctoritatem rei judicatæ accipere debeat, ex determinatione ſummi Imperantis dependet. Extra territorium autem ſummi Imperantis res judicata ſtricto jure non niſi ex beneplacito illius ſummi Imperantis vim habet, ac proinde executio ex jure perfecto peti haud poteſt, ſed precibus tantùm eſt imploranda.

CAP.

CAPUT II.

De Juribus Poteſtatis civilis, quæ immediatè res privatorum reſpiciunt.

§. I.

De Jure imponendi tributa.

SUMMARIA.

I. *Tributa ſunt ad obtinendum civitatis finem omnino neceſſaria.*

II. *Unde eorum origo antiquiſſima, & ab ipſis propemodùm ſocietatum civilium incunabulis arceſſenda eſt.*

III. *In latâ acceptione vox tributi etiam vectigalia complectitur, in ſtrictâ autem vectigalibus opponitur.*

IV. *Dividitur primò in reale, perſonale, & mixtum.*

V. *Secundò in ordinarium, & extraordinarium.*

VI. *Ex naturâ rei ille demum tributa imponere poteſt, qui ſummam in Republica obtinet poteſtatem.*

VII. *Utrùm jus imponendi tributa ab inferioribus viâ præſcriptionis acquiri poſſit?*

VIII. *Quibus tributa imponi poſſint?*

IX. *Ad legitimam impoſitionem tributorum requiritur inprimis juſta cauſa.*

X. *Talis eſt condigna ſummi Imperantis, & ejus Miniſtrorum ſuſtentatio.*

XI. *Item ſi Princeps publicæ ſecuritatis, utilitatis, vel neceſſitatis gratiâ cogatur ſumptus quosdam extraordinarios facere.*

XII. *Tertia cauſa eſt juſtum bellum, ſive defenſivum, ſive offenſivum.*

XIII. *Quarta, ſi ſubditi adverſùs Principem crimen ſeditionis, & rebellionis commiſerint.*

XIV. *Deinde ad legitimam tributorum impoſitionem requiritur, ut modus cauſæ non excedatur.*

XV. *Tertiò denique, ut inter perſonas ad tributum ſolvendum obſtrictas ſervetur proportio.*

XVI. *Ad ſolvendum tributum omnes non exempti in conſcientia ſunt obligati, niſi ejus injuſtitia eſſet manifeſta.*

XVII. *Refutantur illi, qui putant ſubditos in dubio non eſſe in conſcientia ad ſolvendum tributum obligatos.*

XVIII. *Tributa, quæ ad communes Reipublicæ neceſſitates impoſita, & ſoluta ſunt, non poſſunt ſummi Imperantes in alios uſus expendere.*

XIX. *Niſi neceſſitas, vel major Reipublicæ utilitas hoc exigeret.*

XX. *Ea verò, quæ ad ſuſtentationem Principis ſoluta ſunt, ſive benè, ſive malè expendat, nihil intereſt, modò ſuo muneri non deſit.*

XXI. *Quibus modis obligatio ſolvendi tributum ceſſet ex parte?*

XXII. *In totum ceſſat, ſi cauſa, propter quam indictum eſt, ceſſaverit, niſi fortè cauſa nova ſupervenerit.*

I.

JUribus ſummi Imperii non immeritò accenſetur etiam Jus imponendi tributa; nam *in tributis* teſte Ulpiano *in L. 1. §. 20. ff. de Quæſtion. Reipublicæ nervos eſſe, nemini dubium eſt*, ſine quibus corpus hoc morale, & politicum conſervari haud poteſt. Verè Tacitus *Lib. 4. Hiſtor. Cap. 74. num. 2. neque quies Gentium*, inquit, *ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Sunt igitur tributa ad obtinendum civitatis finem omninò neceſſaria, ac proinde is, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, ea jure ſuo imperare poteſt. Unde

II. Origo

II.

Origo tributorum antiquiſſima eſt, & ab ipſis propemodum ſocietatum civilium incunabulis arceſſenda. Sic cùm *1. Reg. Cap. 8.* Samuel populo Iſraëlitico Regem petenti Jus Regis prædixiſſet, inter alia ait: *Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit.* Et paulò poſt: *greges quoque veſtros addecimabit.* Salomon ſuper tributa conſtituit Adoniram filium Abda. *3. Reg. Cap. 4. verſ. 6.* Manahen ſuper Iſraël cunctis potentibus, & divitibus argentum indixit, ut daret Regi Aſſyriorum. *4. Reg. Cap. 15. verſ. 19.* Sed & apud alios populos, veluti Perſas, Græcos, Romanos, tributa in uſu fuiſſe paſſim profanæ teſtantur hiſtoriæ.

III.

Eſt autem tributum, ſi Ulpian. *in L. 27. in fin. ff. de V. S.* credimus, à verbo tribuo derivatum, ac latè ſumptum quamcunque denotat penſionem, quæ Reipublicæ ad communia onera ſuſtinenda perſolvitur, quo ſenſu etiam vectigalia complectitur. Strictiùs verò acceptum vectigalibus opponitur, quæ à tributis in ſpecie ſumptis hoc ſolo ferè differunt, quod tributa nonniſi ſubditis, aut bona ſaltem immobilia in territorio poſſidentibus imponi poſſint, vectigalia verò non à ſubditis modò, ſed & à peregrinis, tametſi nulla bona immobilia ibidem ſita habeant, exigantur. Et in hac acceptione

IV.

Dividitur tributum I. in reale, perſonale, & mixtum. Reale eſt, quod immediatè rei imponitur propter rem, nullo poſſeſſoris habito reſpectu. Perſonale, quod perſonæ imponitur citra reſpectum ad bona, at *in L. ult. §. 7. ff. de Cenſib. L. 8. Cod. de Ss. Eccleſ. L. un. Cod. de Capitat.* tributum capitis, ſeu capitatio vocatur. Mixtum denique, quod perſonæ imponitur cum reſpectu ad bona.

V.

Dividitur II. in ordinarium, & extraordinarium. Ordinarium dicitur, quod ob cauſam ordinariam, & ſucceſſivam Lege publicâ impoſi-

impoſitum eſt. Extraordinarium verò, quod non Lege publicâ, ſed ex improviſo in repentinos caſus eſt indictum, veluti ad bellum illatum propulſandum &c.

VI.

Cauſa efficiens tributorum eſt imponens. Poteſt autem ex natura rei ille demum imponere, qui ſummam in Republica obtinet poteſtatem. Ratio eſt, quia tributa indicuntur propter commune bonum Reipublicæ, ac proinde non ab alio imponi poſſunt, quàm ab eo, cui cura incumbit totius Reipublicæ, cùm poteſtas agentis proportionata eſſe debeat fini: Ergo etiam ab eo ſolo imponi poſſunt tributa. P. Suarez *de Legib. Lib. 5. Cap. 14. num. 2.*

VII.

Inferiores igitur poteſtates tributa indicere neutiquam poſſunt, niſi fortè ab eo, qui ſummum in Republica Imperium habet, hæc facultas ipſis expreſsè fuerit conceſſa, vel viâ præſcriptionis acquiſita; Quamvìs enim Jus imponendi tributa ex numero ſit jurium Majeſtatis, non tamen eſt Jus Majeſtatis intrinſecum, ſed tantùm extrinſecum, quod ſalvâ Majeſtatis ſubſtantiâ ab eâ ſeparari, & aliis communicari poteſt. Ubi ergo inferioribus poteſtatibus etiam communicari ſolet, ibi viâ quoque præſcriptionis legibus populi cujusque civilibus receptæ acquiri poterit: ubi verò communicari non ſolet, ibi nequidem viâ præſcriptionis acquiri poſſe arbitror, cùm enim præſcriptio mera ſit juris civilis creatura, non alia eidem ſubjecta eſſe poſſunt, quàm quæ legislator ſubjecta eſſe voluit. At qui hoc Jus tanti æſtimat, ut illud non ſoleat aliis communicare, non cenſetur id præſcriptioni ſubjicere voluiſſe: Ergo nec ſubjacebit. Et de hoc tantùm caſu P. Suarez. *ſuprà cit. Cap. 14. num. 10.* ſenſiſſe videtur, ubi Jus imponendi tributa per præſcriptionem etiam immemorialem, utpote meram Juris civilis creaturam, ab inferiori acquiri poſſe negat; Si enim ſummus Imperans hoc Jus etiam inferioribus per privilegium communicare ſoleat, ipſius voluntas neutiquam creditur refragari, quò minùs id etiam viâ præſcriptionis, ſaltem immemorialis obtineri poſſit.

VIII.

Subjectum tributorum ſunt illi, quibus ea imponuntur. Ubi tributa perſonalia, & mixta ſeparanda ſunt à realibus. Illa non niſi ſubditis, vel quaſi ſubditis imponi poſſunt, ac proinde exteri tranſeuntes tributum capitis, tanquam, meriſſimè perſonale ſolvere haud tenentur. Grot. *Lib. 2. Cap. 2. §. 14. num. 1. in fin.* Hæc verò cùm immediatè ipſi rei imponantur, nullo poſſeſſorum habito reſpectu, etiam exteri, qui bona immobilia in territorio imponentis ſita habent, agnoſcere coguntur.

IX.

Forma tributorum conſiſtit in legitimâ eorum impoſitione. Ut autem talis ſit, requiritur primò juſta cauſa, quâ deficiente tributa neutiquam imponi poſſunt; nec enim audiendi ſunt illi, qui turpi aſſentandi ſtudio Regibus, quidquid libet, facere, permiſſum eſſe aſſerunt, ſed potiùs auſcultandi ſunt Viri non minùs virtute, quàm doctrinâ celebratiſſimi, qui omnes uno ore contendunt, tributa non pro mero ſummorum Imperantium arbitrio, ſed ita demum indici poſſe, ſi juſta adſit indicendi cauſa, quorum auctoritas utique multùm præponderat adulatorum aulicorum levitati, qui perverſis ſuis dogmatibus ex impia Machiavelli ſcholâ depromptis non tantùm ſibi, ſed & Regibus juſtam divini Numinis vindictam attrahunt. Juſtæ autem cauſæ, ex quibus tributa imponi poſſunt, ſunt plures, quarum

X.

Prima eſt condigna ſummi Imperantis, & Miniſtrorum, quorum operâ in gubernandâ Republicâ utitur, ſuſtentatio, modò bona propria hunc in finem deputata deficiant, aut quæ olim aſſignata fuêre, non ſufficiant; cùm enim Princeps pro Republicâ laboret, eam regendo, in pace conſervando, & defendendo, juſtitia poſtulat, ut viciſſim Reſpublica eundem pro dignitate ſuſtentet, dignus enim eſt operarius mercede ſuâ. Et hæc tributa exigendi cauſa perdurat, etiamſi Princeps ſuâ culpâ, veluti luxu, profuſis

largitionibus, injuſtis bellis, reditus ad ſuam ſuſtentationem ordinatos diſſipâſſet, quamdiu enim fungitur ſuo officio, & curam, ac ſollicitudinem ſuſtinet pro conſervandâ pace, ac tranquillitate Reipublicæ, tamdiu eidem condignum debetur ſtipendium, ita tamen, ut hoc caſu mediocribus contentus ſit ſumptibus, & ſi progreſſu temporis ad pinguiorem devenerit fortunam, illum contributionum exceſſum, quem ob ipſius culpam ſubditi conferre tenebantur, illis reſarciat, & compenſet, ut rectè tradit. Molin. *de J. & J. Tract. 2. Diſp. 667. num. 4. & 5.* P. Leſs. *de J. & J. Lib. 2. Cap. 33. Dubit. 6. num. 48.* Clariſs. Dn. P. Söll. *de tribut. Part. 2. Cap. 2. Quæſt. 4. num. 86. & ſeqq.*

XI.

Secunda cauſa eſt, ſi princeps publicæ ſecuritatis, utilitatis, vel neceſſitatis gratiâ ſumptus quosdam extraordinarios facere cogatur, v. g. Regnum, aut provinciam à latronibus, mare à pyratis purgando, patriam à contagione, aut ſimilibus malis defendendo. Si tamen hoc non in bonum commune totius Reipublicæ, ſed partis tantùm immediatè vergeret, ratio æquitatis dictat, ut illi, qui præ cœteris exinde beneficium recipiunt, etiam plus oneris ferant, ut rectè poſt Molin. advertit. Dn. P. Söll. *cit. Part. 2. Cap. 3. Quæſt. 1. num. 140.*

XII.

Tertia cauſa eſt juſtum bellum ſive defenſivum, ſive offenſivum, quippe, quod non niſi immenſis ſumptibus geri poteſt. Unde S. Auguſtin. *in Can. 4. Cauſ. 23. Quæſt. 1. Chriſtus*, inquit, *tributa Cæſari monet reddi, quia propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbetur.* Dixi, *juſtum bellum*, nam bellum injuſtum non poteſt juſta eſſe tributi indicendi cauſa, quin potiùs Rex, qui bellum injuſtum gerit, ſubditis omnia damna, quæ propterea perpeſſi ſunt, jure naturæ reſarcire tenetur, tantum abeſt, ut eo nomine tributum indicere poſſit.

XIII.

Quarta cauſa eſt, ſi ſubditi adverſùs Principem crimen ſeditionis, & rebellionis commiſerint, quibus partim in juſtam pœnam, partim

tim in compenſationem ſumptuum, quos Princeps ob hanc cauſam facere neceſſe habuit, proportionatum tributum jure imponi poteſt, ut acciſis viribus poſthac modeſtiores ſint, nec tam facilè ampliùs talia audere poſſint. Leſs. *cit. Dubit. 6. num. 49.* Dn. P. Söll. *dict. Quæſt. 5. num. 89.*

XIV.

Secundò ad legitimam tributorum impoſitionem requiritur, ut modus cauſæ non excedatur, ſeu, ut tributum non ſit majus, quàm cauſa poſtulat, quâ parte enim excedit, iniquum eſt, cùm eatenus imponatur ſine cauſâ. Sicut ergo juſta cauſa neceſſaria eſt ad juſtitiam tributi, ita & proportio ad cauſam neceſſaria eſt ad juſtitiam tributi, ac per conſequens quantitas tributi non poteſt excedere conditionem, ſeu indigentiam cauſæ, vel ſi excedat, tributum quoad exceſſum injuſtum eſt. P. Suarez. *de Legib. cit. Lib. 5. Cap. 15. num. 4.* P. Leſs. *dict. Dubit. 6. num. 42. verſ. ſecundâ.*

XV.

Tertiò denique requiritur, ut etiam inter perſonas ad tributum ſolvendum obſtrictas ſervetur proportio; nec enim juſtum eſt, ut omnes æqualem ſolvant portionem, ſed tanta ſingulis eſt imponenda, quanta facultatibus, & viribus cujusvis patrimonii reſpondet. P. Suarez. *cit. Lib. 5. Cap. 16. num. 5.* Quod & in tributo perſonali, ſeu capitatione ſuo modo obſervandum erit, ſecùs ab injuſtitia defendi haud poterit. Modeſtin. Piſtor. *Conſil. 4. num. 10.* Klok. *de Contrib. Cap. 17. num. 79. & 166.*

XVI.

Effectus tributorum alius eſt, ſi tantùm ſint indicta, nondum verò ſoluta, alius, ſi jam ſint ſoluta. Si indicta tantùm ſint, omnes non exempti ad ea ſolvenda in conſcientia ſunt obligati, niſi injuſtitia tributi eſſet manifeſta, vel ſummus Imperans indicendo tributum uſus fuiſſet verbis merè pœnalibus, aut disjunctivè mixtis;

licèt enim Is ſubditos ad ſolvendum tributum in conſcientia obligare poſſit, non ſufficienter tamen hoc caſu declarat, quod ita obligare velit, ac proinde obligare velle non cenſetur, tum quia in dubio pars mitior, & benignior præferenda, tum quia contra eum, qui Legem dicere potuit, apertiùs facienda eſt interpretatio. At

XVII.

Quid dicendum, ſi injuſtitia tributi manifeſta non ſit, ſed tantùm dubia? Sunt, qui exiſtimant, ſubditos hoc caſu non eſſe in conſcientia obligatos ad ſolvendum tributum, eò quòd in dubio ſit melior conditio poſſidentis. At contrarium nobis longè probabilius eſſe videtur, diſſolveretur enim ordo imperandi, & parendi, niſi ſubditi in dubio præcepto ſui ſuperioris obedire tenerentur. Certè ſi ſubditi in dubio non eſſent in conſcientia obligati ad indictum tributum ſolvendum, non poſſet non ſumma oriri confuſio, & turbatio Reipublicæ, ut cuivis conſideranti per ſe patet. Deinde ſæpè non expedit, ut cauſa, propter quam tributum indicitur, ſtatim propaletur, aut licèt exprimatur, multi tamen haud raró erunt, quibus expreſſæ cauſæ juſtitiam nullâ ratione poteris perſuadere, quamvìs à parte rei illa juſtiſſima ſit. Unde ſtante contrariâ ſententiâ non poſſet Reſpublica convenienter gubernari, & conſervari. Adhæc ſummus Imperans exiſtit in poſſeſſione juris imperandi, & indicendi tributum: Ergo melior erit ipſius conditio, præſertim cùm in dubio ſemper pro legitimo imperante ſit præſumendum. Confer. Dn. P. Söll. *cit. Tract. Part. 3. Cap. un. Quæſt. 3. & 4.*

XVIII.

Quòd ſi tributa jam ſoluta ſint, tunc intereſt, utrùm impoſita fuerint ad communes Reipublicæ neceſſitates, puta ad ſolvendum militibus ſtipendium, ad muniendas urbes &c. vel ad ſuſtentationem Principis. Si ad communes Reipublicæ neceſſitates, obligatio incumbit ſummo Imperanti, ut illa expendat in eos uſus, propter quos fuêre impoſita, quia talium tributorum Dominus non ſit,

ſed ſolùm diſpenſator eſt: Ergo tenetur in eum finem expendere, propter quem impoſita ſunt, ſecùs ex juſtitia obligatus erit, ut damna ſubditis, quæ propterea perpeſſi ſunt, reſtituat, vel ſaltem propriis ſumptibus tenebitur illud conficere, propter quod pecunia à ſubditis collecta fuit.

XIX.

Planè ſi neceſſitas, vel major Reipublicæ utilitas exigeret, ut tributum in alium uſum, quàm in quem ſolutum eſt, expendatur, Princeps contra officium, & obligationem ſuam non aget, ſi illud in cauſam aliam magis neceſſariam, aut Reipublicæ ſaltem magis proficuam impendat, quippe cui hac ratione magìs conſulitur, quàm ſi in uſum ab initio deſtinatum inſumeretur.

XX.

Si verò tributum impoſitum, & ſolutum ſit ad ſuſtentationem Principis, nullius injuſtitiæ Is argui poteſt, ſive benè, ſive malè expendat, cùm enim ejusmodi redituum dominus ſit, citra injuſtitiam liberè de illis diſponere poteſt, modò ſuo muneri non deſit in gubernandâ, vel defendendâ Republicâ, ſecùs enim tributum, quod propter officium, & tanquam ſtipendium laboris ſolvitur, injuſtè acciperet, & retineret. P. Suarez. *de Legib. ſæpè cit. Lib. 5. Cap. 15. num. 5.* & Dn. P. Söll. *dict. Tract. Part. 2. Cap. 2. Quæſt. 2.*

XXI.

Contraria tributorum ſunt cauſæ, ex quibus obligatio illa ſolvendi ceſſat. Ceſſat autem vel ex parte, vel in totum. Ex parte ceſſat, *primò*, ſi certo generi perſonarum immunitas ſpeciali Lege publicâ ſit conceſſa. *Secundò*, ſi quibusdam privilegium exemptionis fuerit indultum, quin enim Princeps unum, vel alterum ex juſtâ & legitimâ cauſâ ab obligatione ſolvendi tributum eximere poſſit, non videtur eſſe dubium, nec tenetur partem ex cauſâ boni publici remiſſam in ſolutum imputare, ſed illa cœteris accreſcit.

Dn. P. Söll. *ſæpè cit. Tract. Part. 3. Cap. un. Quæſt. 14. num. 323.* Ceſſat *tertiò*, ſi aliquis immunitatem à ſolvendis tributis præſcripſerit, cùm enim immunitas hæc privilegio acquiri poſſit, etiam præſcriptione, ubi ea legibus civilibus introducta eſt, acquiri poterit, niſi ſermo ſit de illis tributis, quæ in ſignum, & recognitionem ſupremæ poteſtatis exiguntur, & perſolvuntur, ab hiſce enim ſolvendis ſubditi vi præſcriptionis ſe neutiquam poſſunt eximere.

XXII.

In totum ceſſat obligatio ſolvendi tributum, ſi cauſa, propter quam indictum eſt, ceſſaverit, niſi fortè cauſa nova ſupervenerit, ob quam de novo imponi poſſet, tunc enim obligatio ſolvendi tributum non exſpirat, quia hoc ipſo, quòd in locum prioris cauſæ alia æquè juſta ſucceſſerit, prior cauſa moraliter cenſetur perdurare. Leſs. *cit. Cap. 33. Dubit. 6. num. 43.* ubi ſimul ex Alphonſ. Caſtro advertit, quòd ſi cauſa immediata tributi non ſit negotium aliquod tranſitorium, ſed obligatio quædam permanens, v. g. ad vindicandum perpetuò mare à pyratis, vel itinera à latronibus, tributum non ſtatim ceſſet, ſi aliquo anno pyratæ, vel latrones non graſſentur, cùm tali caſu pro ipſâ obligatione exigatur, quæ continua eſt, & ſemper manet, quoniam Princeps ſemper tenetur eſſe paratus, & habere naves, ac milites expeditos.

§. II.

De Jure imponendi vectigalia.

SUMMARIA.

I. *Vox vectigalium in propoſito ſumitur pro reditu, qui propter rerum importationem, aut exportationem, vel etiam propter nudum tranſitum ſolvitur.*

II. *Dividitur vectigal in terreſtre, & navale: terreſtre porro in pedagium, & vectorium: Navale autem in Marinum, fluviatile, & ripaticum.*

III. *Vecti-*

III. *Vectigalia ille demum imponere poteſt, qui ſummam in Republica obtinet poteſtatem.*

IV. *Vectigalia ſolvere tenentur omnes non exempti, ſive ſubditi ſint, ſive exteri.*

V. *Poſſunt autem quidam eximi pacto inter diverſos populos inito, quidam legibus civilibus cujusvis Reipublicæ propriis, aut ſpeciali privilegio.*

VI. *Legati jure gentium non ſunt immunes ab obligatione ſolvendi vectigalia.*

VII. *Vectigal quandoque etiam pro nudo tranſitu ſolvendum eſt.*

VIII. *Ex juſtâ cauſâ vectigalia etiam pro rebus uſualibus imponi poſſunt.*

IX. *Ad legitimam vectigalium impoſitionem requiritur primò juſta cauſa, cujusmodi plures recenſentur.*

X. *Secundò, ut æquus modus ſervetur.*

XI. *Utrùm vectigalium nomine ex ipſis mercibus partem aliquam detrahere permiſſum ſit?*

XII. *Quâ pœnâ afficiantur illi, qui legitima defraudant vectigalia?*

XIII. *Damnum, quod viatores, & vectores ob culpam ejus, qui vectigalia percepit, ſunt paſſi, ipſis ab eo reſarciri debet.*

I.

AFFinia tributorum, quatenus hanc vocem in propoſito nos accepimus, ſunt vectigalia; licèt enim nomen vectigalium latè ſumptum quamcunque denotet penſionem, quæ fiſco, vel Reipublicæ Imperii titulo præſtatur, quo ſignificatu etiam tributum complectitur, in ſenſu tamen adeò lato hanc vocem nos hoc loco non accipimus, ſed ſtrictiore, pro reditu, qui propter rerum importationem, aut exportationem, vel etiam propter nudum tranſitum ſolvitur. Et in hâc acceptione

II. Dividi-

II.

Dividitur vectigal in terreſtre, & navale. Terreſtre porro in pedagium, & vectorium. Pedagium ſolvunt pedites, & equites: Vectorium verò, qui curru, aut rhedâ utuntur, & vel in ſpecie tale eſt, quod ſolvitur pro rebus, quæ ſolo vehuntur, & dicitur ein Land-Zoll, vel pontivegium, quod ab iis exigitur, qui pontes permeant, & vocatur ein Brücken-Zoll. Vectigal navale diſpeſcitur in marinum, fluviatile, & ripaticum. Marinum ob trajectum maris penditur in portu: Fluviatile præſtatur ab iis, qui navigant per flumina: Ripaticum denique ſolvitur pro trajectu fluminum de ripa ad ripam. Schweder. *in Jus Publ. Part. Special. Sect. 1. Cap. 20. num. 1.*

III.

Cauſa efficiens vectigalium eſt imponens. Poteſt autem ille demum vectigalia imponere, qui ſummam in Republica obtinet poteſtatem, ſub cujus Imperio, & dominio exiſtunt viæ, & flumina publica, quibus ut res, & perſonæ tranſeuntes commodè, & ſecurè uti poſſint, non modicos quandoque ſumptus facere cogitur. Inferiores igitur poteſtates jus imponendi vectigalia ſibi neutiquam poſſunt arrogare, niſi hoc ab eo, qui ſummum habet Imperium, ipſis fuerit conceſſum, quod tamen haud factum eſſe cenſetur, ſi alicui tantùm jus exigendi certum vectigal fuerit indultum; diverſa enim ſunt, imponere novum vectigal, & vetus jam impoſitum exigere, cùm facultas nova imponendi vectigalia longè amplior ſit, quàm vetera authoritate ſummi Imperantis jam impoſita duntaxat exigendi. Sic licèt S. R. I. Electores vi A. B. Cap. 9. telonia in præterito ſtatuta, & indicta percipere valeant, nova tamen vectigalia exigere, & vetera augere ipſis neutiquam permiſſum eſt. *R. J. de Anno 1576.* §. Weiters ſeynd wür ꝛc. *116. & ſeqq.* Inſt. Pac. Oſnabrug. *Art. 9.* Capit. Carol. *Art. 8.*

IV.

Subjectum vectigalium ſunt illi, qui ea ſolvere tenentur. Tenentur autem vectigalia ſolvere omnes non exempti, ſive ſubditi ſint, ſive exteri, in quo vectigalia potiſſimùm differunt à tributis, quæ non niſi ſubditis, vel ſi realia ſint, bonorum ſaltem immobilium poſſeſſoribus ſolvenda incumbunt.

V.

Poſſunt autem *primò* quidam eximi pacto inter diverſos populos, aut populorum Rectores inito, velut olim inter Romanos, & Carthaginenſes conventum fuerat, ne ab utriusque gentis ſubditis, excepto eo, quod ſcribæ, & præconi dandum erat, ullum ſolvatur vectigal, ut ex Polyb. refert. Grot. *Lib. 2. Cap. 15.* §. *6. num. 2. Secundò* quidam eximi poſſunt legibus civilibus cujusvis Reipublicæ propriis, aut ſpeciali privilegio. Sic Jure Romano præter alios exempti etiam erant Legati exterarum Gentium non hoſtilium, exceptis illis ſpeciebus, quas ex loco, unde venerant, non ſui uſûs gratiâ importabant in Solum Romanum. *L. 8. Cod. de Vectigal. & commiſſ.*

VI.

Hanc autem exemptionem ſoli Romanorum civilitati debebant Legati, nam Jure Gentium non videntur illi eſſe immunes ab obligatione ſolvendi vectigalia, *les Ambaſſadeurs*, inquit Wicquefort, *Lib. 1. Sect. 28. pag. mihi. 425. joüiſſent en Hollande de l' exemtion de tous les droits, qui s'y levent ſur les denrées, qui ſe conſument*; *mais ils ſont obligés de payer ceux d' entrée, & de ſortie, dont on n' exempte perſonne. En France*, pergit illa, *ou le Roy même eſt obligé de diminuer ſur la bail du fermier de la traite foraine les droits, que doit tout ce, qu' il fait venir pour ſon propre uſage, l' Ambaſſadeur ne peut pretendre autre choſe, ſi non que le Roy lui faſſe la grace de contenter le fermier pour lui.* Et paulò poſt: *en l' an 1561. la Reine Eliſabeth envoya en Eſpagne Thomas Chaloner ſon Ambaſſadeur, qui ne pouvant ſouffrir, que les commis de la Doüane euſſent ouvert ſes chaiſes, & ſes*

coffres pour les viſiter, en fit des plaintes à la Reine ſa Maitreſſe &c. Mais la Reine lui écrivit, que l' Ambaſſadeur étoit obligé de diſſimuler tout ce, qui n' offenſoit pas directement la dignité de ſon ſouverain. Denique ſubjungit: *c' eſt pourquoy il ne ſe pouvoit plaindre, ſi non d' une incivilité, dont la Reine pouvoit ſe reſſentir, ſi elle trouvoit à propos.* Ita Wicquefort. qui ipſe erat Legatus, cui proinde Jus Gentium hac in parte incognitum eſſe non poterat.

VII.

Solvendum autem eſt vectigal non tantùm pro rebus, quæ importantur, aut exportantur, ſed quandoque etiam pro nudo tranſitu: Licèt enim innoxius tranſitus jure humanæ ſocietatis cuivis patere debeat, ac per conſequens nihil eo nomine exigi poſſe videatur, ubi tamen viarum publicarum refectio admodùm ſumptuoſa eſt, iniquum non erit propter nudum etiam tranſitum proportionatum exigere vectigal, cùm multitudine tranſeuntium viæ citiùs corrumpantur, ac proinde ſumptus ad reparationem neceſſarii cumulentur. Stryk. *ad tit. ff. de Publican. & vectigal.* §. *6.* Pfeffing. *ad Vitriar. Lib. 3. tit. 18.* §. *22. Lit. B.*

VIII.

Objectum vectigalium ſunt res iisdem obnoxiæ. Quænam autem res vectigalibus obnoxiæ ſint, ex uſu cujusvis Reipublicæ dependet. Jure Romano non niſi rerum promercalium nomine, ſeu quæ negotiationis, & commercii cauſâ importantur, vel exportantur, vectigal ſolvendum eſt, res autem uſuales, ſeu ad victum, & amictum paratæ ab hoc onere immunes ſunt. *L. 5. Cod. de Vectigal. & commiſſ.* Si tamen publica neceſſitas urgeat, vel pro ſecuritate, & commoditate viarum ſumptus faciendi ſint, injuſtum non erit, etiam rebus uſualibus vectigal imponere, modò ejusmodi res non nimium onerentur. P. Leſs. *ſuprà cit. Cap. 33. Dubit. 7. per tot.*

IX.

Forma vectigalium conſiſtit in legitimâ eorum impoſitione. Ut autem legitima ſit, requiritur primò juſta cauſa, veluti reſpectu

vectiga-

vectigalium terreſtrium eſt compenſatio ſumptuum, quos pro munitione, reparatione, commoditate, & ſecuritate viarum faciunt ſummi Imperantes, qui modicam ſaltem recognitionem ab exteris peregrinis merces per ditionem ſibi ſubditam transvehentibus etiam hoc nomine non injuſtè exigere poſſe videntur, quòd liberum iis tranſitum ad alium populum concedant, quem aliàs erectâ ſtapulâ impedire potuiſſent, unde lucrum non ad illos exteros mercatores, ſed ad cives ſuæ Reipublicæ perveniſſet. Vectigalia verò fluviatilia exigendi cauſa eſſe poteſt, quòd flumina non raro arroſionibus, & inundationibus vicinos agros ſubruant, eámque ob cauſam aggeribus coërcenda ſint, curandúmque, ne deterior reddatur ſtatio, & navigatio, & ideo iniquum non eſt, ut, qui citra ullum detrimentum lucrum ex flumine capiunt, modicum quid perſolvant. Vectigalia denique maritima exigi poſſunt, ſi ſigna ſint conſtituenda notardis brevibus, aut ſcopulis, ſi dirigendo nocturno navium curſui ignes alendi, ſi mare à pyratis purgandum, ſi portus exſtruendi, reparandi, conſervandi, ne arenis ab æſtu maris injectis expleantur. Confer Puffendorf. *Lib. 3. Cap. 3.* §. 7. Imò poſtquam diverſi ſummi Imperantes in certas maris portiones non tantùm Imperium, ſed & dominium ſibi aſſeruerunt, etiam in ſignum, ac recognitionem Imperii, & dominii maritimi à navigantibus aliquid exigi poſſe putat Ziegler. *de Jurib. Majeſt. Lib. 2. Cap. 7.* §. 13. Interim cùm vectigal maritimum longè odioſius ſit, quàm terreſtre, id moderatè, & citra avaritiam tractandam eſſe monet. Puffendorf. *cit. loc.*

X.

Secundò ad juſtitiam vectigalium requiritur, ut modus cauſæ non excedatur, ſed ut æquus modus ſervetur, in quo haud rarò peccari ſolet: Unde quantitas vectigalis ſolvendi inter diverſas gentes pacto publico quandoque definitur.

XI.

Effectus legitimorum vectigalium ſtat in obligatione illa ſolvendi. Solvuntur autem ex conſuetudine ubique fermè locorum re-

ceptâ non ex ipſis rebus, ſeu mercibus, ſed in pecuniâ, licèt abſolutè loquendo juri naturæ non adverſetur, vectigalium nomine partem aliquam ex ipſis mercibus detrahere, modò non ſint ejus indolis, ut hoc facto reddi poſſint deteriores, aut minùs vendibiles, ſecùs enim exactionem portionis ex ipſis rebus, ſeu ſpeciebus iniquam eſſe exiſtimamus. Sic utique vini, cereviſiæ &c. pars absque periculo corruptionis præſtari vix poteſt. Econtra nullum corruptionis periculum eſt, tametſi ex ferro, plumbo, lignis &c. pars quædam vectigalium nomine detrahatur, veluti Stryk. apud Mollenbec. *ad tit. ff. de Publican. & Vectigal. num. 15.* in vicinia receptum eſſe teſtatur, ut in transportatione lignorum, **in Herab⸗flöſſung des Bau⸗Holtzes,** trigeſimus truncus præſtari debeat.

XII.

Cœterùm quâ pœnâ afficiendi ſint illi, qui legitima defraudant vectigalia, hoc ex Imperantis dependet determinatione, vulgò tamen pœnam commiſſi in uſu eſſe conſtat, in quam haud incidit, qui tempeſtate, aut aliâ vi majore impeditus non ſolvit cùm vis major liberet à pœnâ, quippe quæ locum habere non poteſt, ubi nullum eſt delictum.

XIII.

Ex adverſò ſi viatores, & vectores ob culpam ejus, qui vectigalia percepit, damnum ſint paſſi, veluti ſi vectigal ſolutum ſit propter reparationem, vel ſecuritatem viarum, & is vias non reparaverit, aut tutas, & ſecuras non præſtiterit, quamvìs præſtare potuiſſet, is omne damnum, quod propterea perpeſſi ſunt, ipſis jure naturæ reſarcire tenetur. Ziegler. *cit. Lib. 2. Cap. 13. §. 3.*

§. III.

§. III.

De alto, & eminenti dominio.

SUMMARIA.

I. *Summi Imperantes habent altum, & eminens dominium in omnia bona, & jura ſubditorum.*

II. *Definitur altum, & eminens dominium, & explicatur Definitio.*

III. *Competit ſolis ſummis Imperantibus.*

IV. *Dominio alto ſubjectæ ſunt etiam res exterorum, ſi exiſtant in territorio ejus, qui ſummum eo loco habet Imperium.*

V. *Differt à dominio, quod civitas habet in partes ſui territorii privatis non aſſignatas.*

VI. *Adducitur ejus effectus.*

VII. *Utrùm ex communi compenſatio facienda ſit illis, qui vi eminentis dominii ſuum amiſêre.*

VIII. *Affertur ex Hiſtoria Romana inſigne temperamentum æquitatis.*

IX. *Qui periculum damni in ſe recepiſſe intelligitur, nullam compenſationem petere poteſt.*

I.

AD Jura ſummi Imperii rectè etiam refertur altum, & eminens dominium in bona, & jura ſubditorum; Si enim perſonæ ſummæ poteſtati ſunt ſubjectæ, non poſſunt non earum quoque jura, ac bona eidem eſſe ſubjecta, ita, ut exigente neceſſitate, vel publicâ utilitate ad bonum commune de iis non minùs diſponere valeat, quàm quivis ad bonum privatum de iis diſponere poteſt, aliàs ſanè finis, propter quem plures in ſocietatem civilem coaluerunt, obtineri haud poſſet, cùm ſalus publica ſæpè poſtulet, ut, qui ſummum in civitate Imperium habet, de juribus, & bonis ſubditorum diſponat.

II.

Deſcribi poteſt, quòd ſit legitima de juribus & bonis ſubditorum neceſſitate, vel publicâ exigente utilitate nomine proprio diſponendi facultas.

Dixi I. *neceſſitate, vel publicâ exigente utilitate*; nam extra caſum neceſſitatis, vel publicæ utilitatis ſummi Imperantes dominio alto, & eminenti uti haud poſſunt. Unde Rex Achab non poterat vi alti, & eminentis dominii petere, ut Naboth vineam ſuam ei venderet, vel titulo permutationis ei cederet, cùm nec neceſſitas, nec publica ſubfuerit utilitas, ſed voluptas tantùm, & commoditas Regis privata. *3. Reg. Cap. 21.* Non tamen requiritur, ut neceſſitas ſit extrema, in tali enim neceſſitate etiam privati jus habent in aliena, cùm quoad jus utendi primæva reviviſcat rerum communio. Utilitatis quoque publicæ nomine non intelligimus quamcunque demum utilitatem, ſed talem, quæ propè ad limites neceſſitatis accedit; aliàs magna eſſet injuriis faciendis licentia, ſi qualiscunque publica ſufficeret utilitas ad exercendum altum, & eminens dominium.

Dixi II. *nomine proprio*, ut excludantur tutores, & curatores Regum, quamvìs enim exigente neceſſitate, vel publicâ utilitate de bonis, & juribus ſubditorum diſponendi habeant facultatem, quia tamen non jure proprio, ſed nomine Regum diſponunt, quos ob eorum infantiam, vel furorem, aut eminentiam in ſuâ tutelâ, vel curatela habent, ideo dominium altum, & eminens non habent, non magìs, quàm cœtera ſummi Imperii jura, quæ nomine Regum exercent, habere dici poſſunt, nec enim Majeſtas communicatur tutoribus, & curatoribus, ſed integra, & illæſa penes Reges permanet, tametſi ad Regnum adminiſtrandum ſint inhabiles.

III.

Subjectum dominii alti, & eminentis ſunt ſummi Imperantes, quibus ſolis tanquam pars Majeſtatis poteſtativa, ex naturâ rei compe-

competit; licèt enim minores etiam poteſtates quandoque actus exerceant eminenti dominio proprios, eos tamen non niſi ex conſenſu ſummi Imperantis exercent ſaltem tacito, vel qui in præſenti rerum ſtatu jure merito præſumi poteſt, ſecùs inferiores poteſtates ad jura ſummi Imperii manus extendere neutiquam poſſunt, niſi ſeveræ redditioni rationum ſe velint ſubjicere.

IV.

Objectum dominii alti, & eminentis ſunt bona, & jura ſubditorum non tantùm ſingulorum, ſed & collegiorum, ac aliorum corporum, quæ civitatis partem faciunt, quippe quæ hoc in paſſu ſingulorum jure cenſentur. Excluduntur ergo res exterorum, niſi fortè exiſtant in territorio ejus; qui ſummum eo loco habet Imperium quo caſu alto, & eminenti dominio non minùs ſubjacent, quàm res illorum, qui eidem ex cauſâ permanente ſunt ſubjecti, uti enim perſonæ, quamdiu in territorio commorantur, ſummo ejus loci Imperio ſubjectæ ſunt, ita & res. Atque cum hac limitatione Grot. *Lib. 2. Cap. 14.* §. *8.* intelligendum eſſe arbitror. Hoc fundamento niti videntur Principes, qui bona exterorum in portubus ſuis deprehenſa neceſſitatibus ſuæ Reipublicæ ſub obligatione reſtituendi accommodare ſolent. Sic cùm ſæculi XVI. Anno 68. magna vis pecuniæ mercatorum Genuenſium, & aliorum Italorum ex Hiſpania in portus Anglicos, delata eſſet, eámque Albanus tanquam Hiſpanicam falſò vindicaret, Regina Eliſabetha, ut Cambden. *Part. 1.* ſub fin. dict. ann. refert, eam ſtatuit, fiduciariâ cautione interpoſitâ à mercatoribus mutuò ſumere. Non diſſimile eſt, quod idem *Part. 3.* ad annum 82. ejusdem ſæculi memorat de penſitatione Oreſuntica, vulgò **Laſt-Geldt**, quo nomine triceſima pars omnium, mercium, titulo mutui, ardente inter ſuecum & Danum bello, exacta fuit, cum promiſſo, eam finito bello refundendi. Sic etiam ſæpè exteri naves ſuas in portubus deprehenſas ad uſus Reipublicæ pro certâ mercede locare coguntur. Quæ omnia vi alti, & eminentis dominii fieri poſſunt, ſi publica hæc exigat neceſſitas, vel talis utilitas, quæ proximè ad limites neceſſi-

tatis

tatis accedit. At neſcio, utrùm non, quæ ad excuſanda ejusmodi facta ab Imperantibus quandoque allegatur neceſſitas, vel tanta Reipublicæ utilitas, ſæpè non niſi meri ſint prætextus, vel ex alio capite talia injuſta ſint. Vid. Bœcler. ad Grot. *Lib. 1. Cap. 1. de Domin. eminent. pag. mihi. 118. & ſeqq.*

V.

Forma Dominii alti & eminentis conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ diſtinguitur à dominio, quod civitas habet in partes ſui territorii privatis non aſſignatas, puta flumina, montes aſperos &c. quæ ex ſuprà tradita definitione per ſe colligitur.

VI.

Effectus ſtat in actibus, quibus ſummi Imperantes ex cauſâ neceſſitatis, vel publicæ utilitatis de juribus, & rebus ſubditorum ad bonum commune diſponunt, veluti jus quæſitum auferendo, rebus eorum utendo, eas alienando, vaſtando, corrumpendo. Sic e. g. ſi urbs munienda ſit, horti, agri, prætoria privatorum, foſſis & aggeribus occupantur, in obſidionibus ædes, & arbores privatorum dejiciuntur, & exſcinduntur, ne hoſtibus proſint, obſeſſis noceant, materia quoque, quæ ſuis uſibus privati diſpoſuerant, muniendo oppido adhibetur, imminente neceſſitate depoſita publicè pecunia, aut privatorum gazæ invaduntur, ſi, quod civilius eſt, à volentibus ſubditis iſtas pecunias velut mutuò accipere non licet, ſi alia ratio non ſit hoſtem repellendi, propria vaſtatur regio, & quidquid uſui eſſe poteſt, quod avehi nequit, corrumpitur. Confer. Bœcler *ubi ſuprà pag. 113. & ſeqq.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 5.* §. *7.* Grot. *Lib. 2. Cap. 14.* §. *7. & 13. item Lib. 3. Cap. 20.* §. *7. num. 1.* ubi tamen

VII.

Quæri vulgò ſolet, utrùm non ex communi compenſatio facienda ſit ei, qui vi eminentis dominii ſuum amiſit? Placet intereſſe,

eſſe, utrum, quod vi eminentis dominii factum eſt, immediatè, ac directè reſpiciat utilitatem communem, velut in exemplis antè allatis, vel tantùm mediatè, ut accidit in præſcriptione, & re judicatâ, ubi virtute alti, & eminentis dominii priſtino domino ſuum dominium aufertur, & in alterum transfertur. Hoc caſu nulla eſt facienda compenſatio: illo autem caſu, ſi poſſit, omnino fieri debet, uti enim æquitas exigit, ut damnum, quod quis jactu rerum ſuarum ad levandam imminente naufragio navim perpeſſus eſt, ab omnibus, quorum res propterea ſervatæ ſunt, reſarciatur, ita etiam poſtulat, ut, ſi quis onus, quod omnibus incumbit, ſolus ſuſtinuerit, ei vel ex communi ærario, vel à reliquis reſarcitio fiat, ita tamen, ut ſi contributione omnium damnum ſit reſarciendum, etiam ipſe contribuere teneatur, ac proinde partem, quæ ipſum contingit, pro acceptâ habere debet. Et quamvìs fortè talis ſit rerum ſtatus, ut defacto nec uno nec altero modo compenſatio fieri poſſit, non tamen propterea extincta eſt obligatio reſarciendi, ſed interim, donec copia ſuppetat, tantùm ſopita. Grot. *cit. Cap. 20. §. 7. num. 2.* Bœcler. *ubi ſuprà pag. 120.*

VIII.

Inſigne hac in re temperamentum æquitatis olim elegit Senatus Romanus, quod non poſſum ſilentio præterire. Narrat Liv. *Lib. 31. Cap. 13.* veniſſe tempus, quo privatis Reſpublica penſionem tertiam pecuniarum, quas mutuas in bellum Punicum ſecundum dederant, ſolvere debebat. At cùm ad novum bellum, quod magnâ claſſe, magnìſque exercitibus adverſùs Macedones gerendum eſſet, vix ſufficeret ærarium, negârunt Conſules, eſſe, unde iis in præſentia ſolveretur. Ideo apud Senatum queſti ſunt privati, ac dicebant, ſi in punicum bellum pecuniâ datâ in Macedonicum quoque bellum Reſpublica uti vellet; aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud, quàm publicam pro beneficio tanquam ob noxam ſuam pecuniam fore? Igitur cùm privati æqüum poſtularent, nec tamen ſolvendo æri alieno Reſpublica eſſet, quod medium inter æquum, & utile erat, decrevit Senatus, ut, quoniam magna pars eorum agros vulgò venales eſſe diceret, & ſibimet emptis opus eſſe,

agri publici, qui intra quinquageſimum lapidem eſſet, copia iis fieret, Conſules agrum æſtimaturos, & in jugera aſſes vectigales, teſtandi cauſâ publicum agrum eſſe, impoſituros, ut, ſi quis, cùm ſolvere poſſet populus, pecuniam habere, quàm agrum mallet, reſtitueret agrum populo. Memorabile ſanè temperamentum æquitatis, quo & publicæ utilitati conſultum, & privatis, qui læti eam conditionem acceperant, ſimul ſatisfactum eſt.

IX.

Planè licèt aliquis ex cauſâ neceſſitatis, vel publicæ utilitatis propter commune bonum damnum eſſet paſſus, ſi tamen is periculum hujus damni in ſe recepiſſe intelligeretur, nullam hoc caſu compenſationem petere poſſet, veluti ſunt, qui propè locum munitum ædificant, facilè enim prævidere poſſunt, tempore imminentis obſidionis talia ædificia, ne obſeſſis noceant, & hoſti proſint, deſtruenda eſſe, unde ſuo periculo ædificare cenſentur. Puffendorf. *ſuprà cit.* §. 7.

CAPUT III.

De Juribus ſummæ Poteſtatis civilis in ipſum territorium.

§. Unicus.

SUMMARIA.

I. *Referuntur varia jura in territorium.*

II. *Utrùm ſummi Imperantes etiam incrementa fluvialia ſibi vindicare queant?*

III. *Utrùm*

III. *Utrùm, ſi flumen, quod inter duos populos interfluit, curſum ſuum mutet, ſimul Imperii quoque terminus mutetur?*

I.

JUra, quæ ſummi Imperantes in ipſum habent territorium, plura ſunt, veluti exſtruendi civitates, easque muniendi, fortalitia in finibus territorii erigendi, vias publicas conſtituendi, jus inſtituendi curſus publicos, ſeu poſtas, jus ſibi vindicandi lapidicinas, & metalli fodinas in montibus, qui privatorum non ſunt, loca inculta à nemine occupata ſuo adſcribendo fiſco, exteros ab acceſſu, ſeu tranſitu excludendi, modò juſta ſubſit cauſa, tranſitus enim innoxius Jure humanæ ſocietatis patere debet, Jus in flumina publica, ea aliò derivandi, cataractas ædificandi, emolumenta fluminum ſibi vindicandi &c. Ubi

II.

Quæri poteſt, utrùm ſummi Imperantes, etiam incrementa fluvialia, puta alluviones, inſulas, & partes alvei, quas flumen ſiccas reliquit, ſibi vindicare queant? ℞. Intereſſe, utrùm flumina ſint publica, vel privata. Si publica, ſummi Imperantes jure naturæ talia incrementa ſibi vindicare poſſunt; ſi enim flumen ſit publicum, etiam ripæ, & alveus, tanquam partes fluminis ſunt publicæ, & quidem non tantùm quoad uſum, ſed etiam quoad proprietatem, quam populus vi occupationis ſibi quæſitam retinet, hoc ipſo, quòd eandem privatis non aſſignaverit: Ergo etiam illud, quod ripis adjicitur, vel in flumine naſcitur, aut ſuum relinquitur, publicum eſt, ac proinde ab Imperante vice populi jure vindicari poteſt. Si autem flumen ſit privatum, talia incrementa pertinent ad privatos, quorum eſt flumen. Interim plerumque alluviones proxima prædia poſſidentibus concedi ſolent, & conceſſæ eſſe intelliguntur, ſi agri privatis aſſignati non alium finem ex eâ parte, quàm naturalem, ſeu flumen ipſum habeant. Confer Grot. *Lib. 2. Cap. 8. §. 9. & ſeqq.* & Puffendorf. *Lib. 4. Cap. 7. §. 12.*

III.

Quæri etiam poteſt, utrùm, ſi flumen, quod inter duos populos interfluit, curſum ſuum mutet, ſimul Imperii quoque terminus mutetur? ℞. Intereſſe, utrùm per alluvionem ſenſim uni parti aliquid detrahatur, & alteri adjiciatur, an verò flumen priorem alveum penitus dereliquerit. Illo caſu flumen mutato paulatim curſu & terminum Imperii mutat, ita, ut quidquid flumen parti alteri adjecit, ſub ejus Imperio ſit, cui adjectum eſt, cùm eo animo uterque populus primitus Imperium occupâſſe credatur, ut flumen ſui medietate eos dirimeret, tanquam terminus naturalis. Hoc autem caſu terminus Imperii non mutatur, ſed medietas alvei derelicti terminus manet, quia cenſentur populi flumen conſtituiſſe pro termino, quatenus idem flumen manet, ſi autem in totum mutetur alveus, definit vetus flumen eſſe, perinde ac ſi foſſâ manu factâ aliò fuiſſet averſum, vel flumen omnino exaruiſſet. Ex adverſo alluvio non mutat ſpeciem fluminis, ſed in æſtimatione morali idem flumen manet, ſicut navis, quæ per partes reparatur, eadem manet navis. *L. 10. ff. Quib. mod. uſusfruct. amitt.* Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 3.* §. *16. & 17.* Vid. infra *Tract. 2. Lib. 2. Cap. 3.* §. *7.*

PARS

PARS QUARTA.
DE JURIBUS LIBERTATIS MAJESTATI CONNEXIS.

DIſcuſſimus ſuperiore Parte præcipua jura ſummæ Poteſtatis civilis, progredimur jam ad illa jura, quæ directè ex libertate naturali promanant, quò pertinent jura Belli, Pacis, Fœderum, & Legatorum; Tametſi enim hæc jura non minùs, quàm jura Majeſtatis ad bonum publicum ſint exercenda, ex Majeſtate tamen, ſeu ſummâ in civitatem poteſtate non profluunt, ſed ex libertate naturali, quæ Majeſtati tanquam individua Comes cohæret, licèt vulgò, ſed malè, ad jura Majeſtatis referri ſoleant. Sit igitur

CAPUT I.
De Jure Belli.

§. I.
De Etymologia, Definitione, ac Diviſione Belli.

SUMMARIA.

I. *Unde vox bellum originem trahat?*
II. *Definitur, & explicatur definitio belli.*
III. *Dividitur primò in internum, & externum.*
IV. *Secundò in Defenſivum, & offenſivum.*
V. *Tertiò in reparatorium, vindicativum, & mixtum.*
VI. *Quartò in publicum, privatum, & mixtum.*

VII. *Quintò in ſolenne, & non ſolenne.*

VIII. *Denuntiatio Belli alia eſt pura, alia conditionata.*

IX. *Quamvìs in bello defenſivò nulla jure naturæ requiratur denuntiatio, requiritur tamen in bello offenſivo.*

X. *Quid obtineat hac in parte de Jure Gentium?*

XI. *Quis ſit finis denuntiationis ſaltem conditionatæ?*

XII. *Bellum Imperanti indictum ſimul etiam ejus ſubditis, & ſociis indictum eſſe cenſetur.*

XIII. *Indictio hodie plerumque per libellos publicos, quos Manifeſta vocant, fieri ſolet.*

XIV. *Utrùm bellum ſtatim, atque indictum eſt, inferri poſſit?*

XV. *Dividitur Bellum ſextò in juſtum, & injuſtum.*

I.

VOx *Bellum* à voce duellum originem trahit; Veteres enim dicebant duellum, ùt patet ex illo, quod eſt apud Liv. *Lib. 1. Cap. 36 quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec ſolverunt, puro, pióque duello quærendas cenſeo.* Poſterior autem ætas ex τὸ duellum fecit bellum, perinde ùt ex duonus, quod fuerat, factum eſt bonus, & ex duis bis. Duellum autem à duobus dictum eſt ſimili ſenſu, quo pacem unitatem dicimus. Grot. *de J. B. & P. Lib. 1. Cap. 1. §. 2. num. 2.*

II.

Deſcribi poteſt, quòd ſit ſtatus animo hoſtili per vim certantium, quà tales ſunt. Dixi primò, *ſtatus*; uſus enim jam obtinuit, ut vocabulo belli nòn actus, ſed ſtatus intelligatur. Hinc bellum eſt, etiamſi ſeſe non exſerat v. g. tempore induciarum, ac proinde prælium differt à bello, ùt pars à toto, quia prælium eſt pars belli. Unde Tacit. *Annal. Lib. 2. Cap. ult. Arminium præliis ambiguum, bello non victum* dixit, & Hannibal *non prælio modò ſe, ſed bello victum eſſe, faſſus eſt.* Liv. *Lib. 30. Cap. 35.* Dixi ſecundò, *per vim certantium*; *duo enim*, inquit Cicero *1. de Offic. Cap. 11. ſunt genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim, cúmque illud ſit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet priore.* Bellum igitur non eſt, ſi verbis tantùm inter aliquos diſceptetur, & ideo admonuerunt Athenienſes Ætolos apud

Liv. *Lib. 35. Cap. 32.* propè fin. *dum integra omnia eſſent, verbis potiùs de iis, quæ ambigerentur, diſceptarent, quàm Aſiam, Europamq́ ad funeſtum armarent bellum.* Dixi tertiò, *animo hoſtili*, ut excludantur tum certamina brutorum, quæ ratione deſtituta impetu tantùm adverſùs ſe invicem feruntur, tum pugnæ inter homines exercitii, vel quæſtûs cauſâ inſtitutæ. Dixi quartò, *quà tales ſunt*, ſeu quatenus certant, non quatenus eo tempore, quo bellum inter ſe gerunt, aliquid agunt reſpectu aliorum, cum quibus bellum non eſt.

III.

Dividitur bellum I. in Internum, & Externum. Illud, quia inter cives, ſeu ejusdem Reipublicæ membra geritur, etiam civile: hoc autem, quia contra exteros geritur, hoſtile appellatur. Sic *bellum Sertorianum*, inquit Flor. *Lib. 3. Cap. 22. in pr. hoſtile potiùs, an civile dixerim, neſcio*; Vocabulum enim *hoſtis* Teſte Cicerone *cit. Lib. 1. Cap. 12.* veteri latio nil, niſi peregrinum, ſeu externum ſignificabat.

IV.

Dividitur II. in defenſivum, & offenſivum. Defenſivum eſt, quo aggreſſorem repellimus: offenſivum verò, quo alterum aggredimur. Sic latro adverſùs viatorem gerit bellum offenſivum, viator autem defenſivum.

V.

Dividitur III. in Reparatorium, Vindicativum, & Mixtum, perinde ùt actiones dividi ſolent in rei perſecutorias, pœnales, & mixtas. Reparatorium eſt, quod eo fine geritur, ut jus, quod ab altero læſum eſſe dicitur, reparetur. Vindicativum, quod tendit ad ulciſcendam injuriam, quam nobis illatam eſſe dicimus. Mixtum denique, quod partim juris prætenſi obtinendi, partim injuriæ vindicandæ cauſâ geritur. Qui autem ex ſola dominandi libidine bella gerunt, non tam bella gerunt, quàm deteſtanda potiùs exercent latrocinia, non hoſtes, ſed latrones nominandi, ùt Scythæ apud Curt. *Lib. 7. Cap. 8.* Alexandro Magno objecerunt: *Tu, qui te gloriaris ad latrones perſequendos veniſſe, omnium gentium, quas adiîſti, latro es.* Conſentit S. Auguſtin. *Lib. 4. de Civit. Dei Cap. 6.* ubi ait: *inferre bella*

bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſolâ Regni cupiditate conterere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum eſt?

VI.

Dividitur IV. in Publicum, Privatum, & Mixtum. Bellum publicum eſt, quod geritur Auctore utrinque eo, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, ùt David bellum geſſit, & quidem vindicativum in Regem Ammonitarum propter Legatos malè habitos. *2. Reg. 10.* Privatum, quod geritur Auctore utrinque eo, quorum neuter habet Majeſtatem, ùt ſi viator in latronem, aut duo Patresfamilias extra Rempublicam viventes inter ſe bellum gerant. Mixtum denique, quod geritur inter eos, quorum unus Majeſtate fulget, alter eâ non fulget, quò referenda ſunt bella pyratica, quæ Romani olim tempore Mithridatis geſſerunt in pyratas, & ſervilia, quæ geſſerunt in tumultuantes ſervos. Flor. *Lib. 3. Cap. 6. 19. & 20.* Nobis in hoc opere de bello duntaxat publico ſermo erit.

VII.

Dividitur V. in ſolenne, & non ſolenne. Solenne dicitur, quod non tantùm utrinque publicum, ſed & publicè decretum, ac indictum eſt. Non ſolenne verò, quod vel utrinque publicum non eſt, vel ſaltem indictum non eſt. Unde duo requiruntur, ut bellum ſolenne ſit: Primum eſt, ut geratur Auctore utrinque eo, qui ſummum habet Imperium. Hinc bellum, quod Rex vel in rebelles ſubditos, vel adverſùs pyratas, & latrones gerit, ſolenne non eſt, niſi fortè, qui prædones tantùm fuerant, aliud vitæ genus amplexi civitas facti ſint; nam *malum hoc*, inquit S. Auguſtin. *cit. Lib. 4. Cap. 4. ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget, Regni nomen aſſumit.* Alterum eſt, ut bellum publicè ſit decretum, & ab unâ ſaltem parte alteri denuntiatum, & indictum; licèt enim ſæpè utrinque indictum fuiſſe legamus, ùt fieri ſolet, ſi uterque ſe læſum eſſe putat, id tamen neceſſarium non eſt. Grot. *Lib. 3. Cap. 3. §. 7. num. 3.*

VIII. Eſt

VIII.

Eſt autem denuntiatio alia pura, alia conditionata. Pura eſt, quâ ſimpliciter alterius amicitiæ, & ſocietati renuntiamus, eúmque hoſtem noſtrum declaramus. Hæc per excellentiam indictio vocari ſolet, & plerumque fit, ubi bellum jam alter intulit. Conditionata verò, quæ cum rerum repetitione conjungitur, ſeu, ut clariùs dicam, quæ tum demum bellum minatur, ſi alter petitis non ſatisfecerit, quamquam ſæpè etiam abſque comminatione belli res repeti ſoleant. Talis conditionata denuntiatio eſt illa Samnitium apud Liv. *lib. 8. cap. 23. eam ſe contumeliam, injuriámque, nî ſibi ab iis, qui fecerint, dematur, ipſos omni vi depulſuros eſſe.* Interdum conditionatam pura ſubſequitur, ſed id neceſſe non eſt; ſi enim petitis non ſatisfiat, illa in puram reſolvitur. Huc pertinet, quod Feciales in cauſa Antiochi conſulti apud Liv. *lib. 36. cap. 3.* reſponderunt, *amicitiam renuntiatam videri, cùm legatis toties repetentibus res nec reddi, nec ſatisfieri æquum cenſuiſſent.* Grot. *ſuprà cit. §. 7. num. 1. & 2.*

IX.

Quanquam autem in bello, quod ſui, aut rerum ſuarum tuendarum cauſâ ſuſcipitur, nulla ex neceſſitate juris naturæ requiratur denuntiatio, cum alter bellum nobis inferendo id ipſum ſibi ſatis denuntiet, quia facilè augurari poteſt, quod naturale contra vim illatam defenſionis remedium non ſimus omiſſuri, in bello tamen offenſivo conditionatâ omninò opus eſt denuntiatione; ſæva enim res eſt bellum, & innumera ferè mala poſt ſe trahit, quibus non tantùm Reipublicæ hoſtilis, ſed & bellum inferentis ſubditi, & quidem Innocentes potiſſimùm involvuntur, ac proinde ſummi Imperantes ex lege charitatis omnia priùs tentare tenentur, quàm ad bellum decurrant, & innocentes tot malis ipſámque Rempublicam periculoſo exponant bello. Rectè Cajus Pontius apud Liv. *lib. 9. cap. 1. juſtum bellum* dixit, *quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla, niſi in armis, relinquitur ſpes. Omne quidem bellum*, ut Metellus apud ſaluſt. *cap. 82. de bello Jugurth.* ait, *facilè ſumitur, cæterùm ægerrimè deſinit: nec in ejusdem eſt poteſtate initium ejus, & finis; ſiquidem*

quidem incipere cuivis, & ignavo licet, deponi, cùm victores velint. Unde neutiquam aſſentiri poſſum Grotio, qui *alleg. cap. 3. §. 6. num. 1.* nullam jure naturæ denuntiationem neceſſariam eſſe arbitratur, ſi quis rei ſuæ ab altero detentæ manum injicere, aut de illo ipſo, qui deliquit, ultionem ſumere velit. Planè licèt in bello defenſivo nulla ex neceſſitate juris naturæ requiratur denuntiatio, nihilominùs tamen, ubi abſque indictione vis armata nobis infertur, honeſtè, & laudabiliter interponitur interpellatio, ut ab offendendo abſtineatur, & damnum illatum reparetur, ſecùs eundem nos pro hoſte habituros eſſe.

X.

Jure Gentium autem non tantùm in bello offenſivo, ſed & in defenſivo denuntiationem, non quidem ſimpliciter, ſed ut effectus peculiares, puta impunitatis, & publicæ judiciorum tutelæ, conſequantur, neceſſariam eſſe putat Grot. *dict. cap. 3. §. 12.* At effectus iſti non ex indictione, ſed ex eo, quòd bellum publicum ſit, profluere videntur. Certè exempla omnium ſæculorum docent, in bellis publicis etiam non indictis eandem impunitatem, & judiciorum tutelam obtinuiſſe, uti rectè Thomas. ad Huber. *de Jur. Civitat. lib. 3. ſect. 4. cap. 4. num. 27.* advertit. Adde Ziegler. *ad §. 11.*

XI.

Finis igitur denuntiationis ſaltem conditionatæ non in eo conſiſtit, ut certò conſtet, non privato auſu, ſed voluntate utriusque populi, aut populi capitum geri bellum, prout Grot. *cit. §. 11.* exiſtimat; quid ſi enim is ipſe, qui ſummum Imperium habet, præſens vim armatam inferat? utique hoc caſu certò conſtat, non privato auſu, ſed voluntate ſummi Imperantis geri bellum, & tamen non jure Gentium duntaxat, ſed ipſo etiam naturæ jure ùt paulò antè oſtendimus, antequam vis bellica ab eo inferatur, conditionata requiritur denuntiatio. Dicendum igitur potiùs videtur, ideo bello offenſivo præmittendam eſſe denuntiationem conditionatam, ut tentetur, utrùm fortè non citra bellum obtineri poſſit debita ſatisfactio, & ſi non poſſit obtineri, ut omnibus conſtet, inevitabili neceſſitate ad arma inferenda nos fuiſſe compulſos; id

enim

enim ſemper egerunt tum Romani, tum Gentes aliæ moratiores, ut bellandi cauſas habere ſe juſtiſſimas non modò crederent ipſi, ſed exteris quoque omnibus, & ipſis etiam, ſi fieri poſſet, hoſtibus perſuaderent. Ziegler *ad cit.* §. *11.*

XII.

Quamvis autem bellum quandoque non Imperantibus ſolùm, ſed nominatim etiam ſubditis ejus indici ſoleat, ùt patet ex formula indictionis apud Liv. *lib. 1. cap. 32. ob eam rem ego, populúsque Romanus populo priſcorum Latinorum hominibúsque priſcis Latinis bellum indico, facióque*; neceſſe tamen non eſt, ut ſubditorum expreſſa fiat mentio, quia Imperanti indictum ſimul omnibus etiam ejus ſubditis, imò & illis, qui eidem ſe ſocios adjuncturi ſunt, tanquam acceſſioni ipſius indictum cenſetur. Sic cùm Romani Regi Antiocho bellum indicere vellent, Feciales conſulti, utrùm Ætolis quoque ſeparatim indici juberent bellum, reſponderunt, *Ætolos ultrò ſibi bellum indixiſſe, cùm Regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxiſſent.* Liv. *lib. 36. cap. 3.* ſi tamen bello abſoluto Regem, aut populum alterum, qui alteri ſe ſocium adjunxit, ob ſuppeditata auxilia bello impetere velis, novâ omnino indictione opus erit, quia novum eſt bellum, nec ampliùs, ùt antea, tanquam acceſſio alieni belli ſpectatur, ſed ùt principalis. Grot. *ubi ſuprà* §. *9. & 10.* Vitriar. & Willenberg *Quæſt. 10.*

XIII.

Cæterùm modus indicendi belli apud diverſos populos olim diverſus erat, de quo videri poteſt Grot. §. *8.* Briſſon. *de Formul. lib. 4.* Hodie plerumque per libellos publicos, quos manifeſta vocant, indictio fieri ſolet. Quandoque tamen etiam per Feciales, ſeu Heroldos bellum indicitur. Beſold. Theſaur. pract. *voc.* Herold. Solent præterea, qui bellum moliuntur, etiam legationibus, ac litteris ad vicinos Principes armorum ſuorum neceſſitatem ob oculos ponere, hoſtilium verò injuſtitiam accuſare. Kulpis Colleg. Grot. *Exercit. 11. Theſ. 2. in fin.*

XIV.

Quamvìs autem jure Gentium bellum ſtatim, atque indictum eſt, inferri poſſe exiſtimet Grot. *ſæpiùs cit. cap. 3.* §. *13.* eò quòd indictio nullum poſt ſe tempus requirat, quod bello vacuum eſſe oporteat, prout bellum Punicum tertium ſimul indictum, ſimul illatum eſt, mihi tamen hoc non aliter admittendum eſſe videtur, quàm ſi poſt denuntiationem conditionatam, aut interpellationem abſque comminatione belli factam ſatis appareat, alterum ſatisfacere nolle, ac propterea pura ſubſequatur indictio. Si autem denuntiatio belli cum rerum repetitione conjungatur, & reſtitutio, vel ſatisfactio negata non ſit, non tantùm jure naturæ, ſed & Gentium per tantum temporis ſpatium exſpectandum erit, quantum ſufficit ad deliberandum, & reſpondendum. Ziegler. *ad cit.* §. *13.* Vitriar. *Quæſt. 9.* Willenb. *Quæſt. 11.*

XV.

Dividitur bellum denique VI. in Juſtum, & in injuſtum. Juſtum dicitur bellum tribus modis. I. Quatenus juſtum idem denotat, ac ſolenne. II. Ex rerum geſtarum magnitudine. III. Ex cauſâ, unde oritur. Et in hac poſtrema acceptione juſtum bellum eſt, quod ex juſtâ geritur cauſâ: injuſtum verò, quod juſtâ cauſâ ſubnixum non eſt. Tametſi autem bellum utrinque injuſtum eſſe poſſit, veluti ſi duo, quorum neuter ad regnum jus habet, de eo inter ſe bello decertent, aut rem communem uterque in ſolidum ſibi vendicet, non tamen ex adverſo dari poteſt bellum reipſa utrinque juſtum; ſi enim juſta eſt aggreſſio, defenſio neceſſariò eſt injuſta, & vice verſâ, quia implicat, ut facultas moralis detur ad contraria, puta ad agendum ex unâ parte, & ad impediendum ex alterâ. Ut autem neuter bellantium agat injuſtè, fieri utique poteſt; nam ut aliquis injuſtè agat, neceſſe eſt, ut etiam ſciat, id, quòd agit, injuſtum eſſe, multi autem id ignorant; quia multa tum in jure tum in facto fugere ſolent homines. Grot. *lib. 2. cap. 23.* § *13. num. 1. & 2.*

§. II.

§. II.

De cauſis belli juſtis, & injuſtis.

SUMMARIA.

I. *Juſta belli ſuſcipiendi cauſa ſola eſt injuria.*
II. *Unde juſtum eſt bellum defenſivum, & reparatorium.*
III. *Ut bellum vindicativum juſtum ſit, neceſſe eſt, ut injuria ſit formalis, licèt ad bellum reparatorium ſufficiat injuria materialis.*
IV. *Deinde injuria debet eſſe gravis.*
V. *Præterea de injuria legitimè conſtare debet.*
VI. *Injuſta belli cauſa eſt metus ex creſcente vicini potentiâ.*
VII. *Item conſervatio æquilibrii.*
VIII. *Ut & negatum matrimonium, ubi laxa eſt matrimoniorum copia.*
IX. *Injuſta etiam cauſa eſt cupido melioris ſoli.*
X. *Item inventio rerum ab aliis occupatarum.*
XI. *Iniquum eſt, populum aliquem ſibi non moleſtum armis ſubigere velle, quaſi dignum, qui ſerviat.*
XII. *Nullam quoque juſtam bellandi cauſam præbet ſpes concepta ex aliqua divinorum vaticiniorum explicatione.*
XIII. *Bello impeti non poteſt ille, qui non facit, ad quod faciendum ex aliâ virtute, quàm ex juſtitiâ tenetur.*
XIV. *Reges Chriſtiani non poſſunt populis infidelibus ſibi non ſubjectis propter eorum infidelitatem, & idololatriam bellum inferre.*
XV. *Si petenti tranſitum cum exercitu per territorium alienùm tranſitus negetur, utrùm is vî armatâ vindicari poſſit?*
XVI. *Utrùm juſtam adversùs ſe bellandi cauſam præbeat, qui mercibus per ſuum territorium tranſitum denegat?*

I.

DIximus modò, juſtum bellum eſſe, quod ex juſtâ geritur cauſâ: injuſtum verò, quod juſtâ cauſâ ſubnixum non eſt. Juſta autem belli ſuſcipiendi cauſa ſola eſt injuria, quæ ſi abſit, bellum juſtum eſſe haud poteſt; *iniquitas partis adverſæ*, inquit S. Auguſtin. *lib. 4. de Civit. Dei cap. 4. juſta bella ingerit.* ubi *iniquitatem* dixit pro *injuria*; & alibi, ùt refertur in *can. 2. C. 23. Q. 2.* ait: *juſta*

 bella

bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur, hoc eſt, demunt, *injurias:* vox enim *ulciſcendi* ab eo latiùs ſumpta eſt, velut ex ſequentibus verbis: *vel reddere, quod per injurias ablatum eſt*, apparet. Unde Legati Romanorum apud Liv. *lib. 5. cap. 35.* Gallos dehortati ſunt, *ne, à quibus nullam accepiſſent injuriam, ſocios populi Romani, atque amicos oppugnarent.*

II.

Juſtum igitur eſt bellum, quo jure neceſſariæ defenſionis injuſtum repellimus aggreſſorem. Tale bellum poſt ſui electionem geſſit Saul contra Naas Regem Ammonitarum, qui Jabes Galaad obſederat, & quamvis omnes viri Jabes ad Naas dixerint, *habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi*, non aliud tamen à ſuperbo Rege retulerunt reſponſum, quàm *in hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros, ponámque vos opprobrium in univerſo Iſraël. 1. Reg. 11.* Tale item bellum defenſivum geſſit Achab contra Benadab Regem Syriæ *2. Reg. 20.* Deinde juſtum eſt bellum, quod in ſtatu naturali geritur contra illos, qui ea, quæ ex jure perfecto debentur, præſtare, aut res noſtras, quas reddere tenerentur, reſtituere recuſant. Ita populus Iſraëliticus bellum geſſit contra Chananæos, & Amorrhæos; cùm enim Deus terras eorum Filiis Iſraël conceſſiſſet, hi jus habebant, eas gentes bello expellendi, &, quod ex donatione Divinâ ipſorum erat, occupandi. Denique inter viventes in ſtatu naturali etiam juſtum eſt bellum vindicativum, quo illatas ſibi ulciſcuntur injurias; uti enim in hoc ſtatu propter defectum judiciorum unusquisque propriâ authoritate jus ſuum exequi, ita & injuriam ſibi illatam vindicare poteſt. Ita David ultus eſt bello contumeliam Legatis ſuis illatam; cùm enim is ad Regem Ammonitarum Legatos miſiſſet ad eum ſuper morte Patris conſolandum, Rex non tantùm partem dimidiam barbæ eorum raſit, ſed & veſtes Legatorum medias usque ad nates præcidit. *2. Reg. 10.*

III.

Ut autem bellum vindicativum juſtum ſit, neceſſe eſt, ut injuria, quam ulciſci volumus, ſit formalis; ubi enim nullum eſt delictum,

lictum, ultio locum habere non poteſt; nam quod in ſtatu Civitatis eſt pœna, hoc in ſtatu naturali eſt ultio: uti ergo pœna infligi non poteſt, niſi præceſſerit delictum, cùm ſit coërcitio delicti, ita ultio ſumi nequit, niſi ſupponatur commiſſum eſſe delictum. Ex adverſo, ut bellum, quod ad res noſtras repetendas ſuſcipitur, juſtum ſit, ſufficit injuria materialis; uti enim in ſtatu Civitatis jure vindicare poſſumus res noſtras etiam bonâ fide ab altero poſſeſſas, ita in ſtatu naturali easdem bello repetere permiſſum eſſe debet, quia ceſſantibus judiciis ſuccedit bellum. Sic licèt Chananæi, & Amorrhæi ignoraverint, terras ab ipſis poſſeſſas populo Iſraëlitico à Deo donatas fuiſſe, juſtum tamen erat bellum Iſraëlitarum, quo gentes illas expellere, & terras ſibi donatas occupare contendebant.

IV.

Deinde, ut injuria ſit juſta bellandi cauſa, gravem eſſe oportet; nam, ùt ſupra diximus, ſæva res eſt bellum, & innumera ferè mala poſt ſe trahit, quibus ùtplurimùm involvuntur Innocentes: ut ergò periculo tot, ac tantorum malorum exponantur, gravis utique requiritur cauſa. Hinc qui ob leves duntaxat cauſas ad bellum prorumpit, gravi ſe obſtringit ſcelere, & damna, quæ innocentes propterea perpeſſi ſunt, reparare tenetur. Imò nequidem ex gravi etiam, & juſtâ cauſâ continuò ſemper ad bellum decurrere fas eſt; ſæpè enim ſui, & ſuorum cura aliquem à bellando abſtrahere debet, veluti ſi viribus longè ſit impar, ne aliàs ſe, ſuámque Rempublicam manifeſto exponat diſcrimini, quam conſervare, non autem perdere Rectoris convenit officio. Grot. *lib. 2. cap. 24. §. 4.*

V.

Præterea, ut non injuſtè agas, de injuriâ tibi legitimè conſtare debet. Ubi intereſt, utrùm ſuſcipere velis bellum defenſivum, vel offenſivum. Si defenſivum, de injuria adverſæ partis hoc ipſo tibi ſatis conſtat, quòd poſt diligens examen tibi non appareat, te injuſtè poſſidere, modò bonâ fide nactus ſis poſſeſſionem; nam etiam jure naturæ in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Si offenſivum, porrò refert, utrùm movere velis bellum reparatorium, vel

vel vindicativum. Si reparatorium, vel adverſa pars exiſtit in poſſeſſione e. g. Regni, Provinciæ, Urbis, vel non exiſtit in poſſeſſione. Si in poſſeſſione exiſtat, non aliter eidem bellum inferre potes, quàm ſi certus ſis, rem, quam poſſidet, ad te pertinere, cùm in dubio ùt modò dictum eſt, melior ſit conditio poſſidentis, interim tamen rationes tuas eidem exponere potes, quas is etiam audire, & examinare tenetur; licèt enim in dubio nemo obſtrictus ſit, ut re, cujus poſſeſſionem bonâ fide nactus eſt, ſe ipſum ſpoliet quisque tamen in dubio moralem diligentiam adhibere tenetur, ut inquirat in rei veritatem, ne alterum, qui extra poſſeſſionem eſt, gravet, detinendo, quod illius eſt. Si verò pars adverſa non exiſtat in poſſeſſione, vel ſaltem contradicente altero vacuam occupaverit poſſeſſionem, ſufficit, ſi cauſa tua, diſcuſſis, & perpenſis omnibus, videatur tibi probabilior, quàm partis adverſæ; ſi verò cauſam adverſarii probabiliorem eſſe judices, quàm tuam, bellum tibi licitum non erit; cùm enim tanquam ſupremus Princeps ſis Judex in propriâ cauſâ, non potes ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore. Quòdſi uterque ſuam cauſam probabiliorem eſſe arbitretur, neuter injuſtè aget, ſi depoſito dubio ad bellum decurrat; quia uterque tanquam Judex in propriâ cauſâ rem ſibi adjudicare poteſt. Si denique neuter exiſtimet, ſuam cauſam eſſe probabiliorem, ſed uterque judicet, eſſe æquè probabilem, neutri fas eſt, bellum movere, quia neutrius conditio eſt melior, nec Judex vel pro unâ, vel pro alterâ parte pronuntiare poſſet. Solùm ergò ſupereſt, ut vel arbitris, vel ſorti rem committant, aut eandem inter ſe dividant, vel ſi diviſionem commodè non admittat, uni ab altero æquivalens fiat compenſatio. Si verò, omnibus ejusmodi mediis litem dirimendi exploſis, alteruter rem in ſolidum absque diviſione, vel compenſatione tentaret occupare, is haud dubiè injuſtus eſſet invaſor, ac proinde juſtam alteri adverſùs ſe bellandi cauſam præberet. Quòdſi denique ſuſcipere velis bellum vindicativum, itidem neceſſe eſt, ut de injuriâ formali certò conſtet, tum quia is, qui injuriam feciſſe dicitur, in poſſeſſione exiſtit, tum quia in ſtatu civitatis propter injuriam dubiam non poteſt infligi pœna certa: ergo neque in ſtatu naturali ultio ſumi. Confer P. Suarez *de Charit. Diſp. 13. ſect. 6.* D. Molin. *Tract. Diſp. 103.*

Clariſſ.

Clariſſ. Dn. P. Seybold *in Dicæomach, Part. 3. ſect. 4. §. 8.* Dn. P. Franc. Schmier J. P. U. *lib. 4. cap. 1. ſect. 3. §. 3. num 214. & ſeqq.* Hactenus de juſtis belli cauſis; placet jam ſubjungere nonnullas cauſas injuſtas.

VI.

Primò igitur injuſta belli cauſa eſt metus ex creſcente vicini potentiâ, ex qua cauſa Fidenates olim bellum intulerunt Romanis; *nimis enim vicinas*, inquit Liv. *lib. 1. cap. 14. propè ſe convaleſcere opes rati, priusquàm tantum roboris eſſet, quantum futurum apparebat, occupant bellum facere.* Nam ſi ob cauſam metûs ex vicinâ potentiâ bellum alteri inferri poſſet, non ſub alio juris velo, quàm defenſionis inferri poſſet: atqui ſub prætextu defenſionis inferri haud poteſt; ut enim juſta ſit defenſio, oportet ut ſit neceſſaria, qualis non eſt, niſi non tantùm de potentiâ, ſed & animo nocendi morali certitudine conſtet, ac proinde vim ſaltem aliquando pati poſſe neutiquam jus tribuere poteſt ad inferendam vim, cùm vita humana ita conſtituta ſit, ut plenam ſecuritatem nunquam habeamus, & ideo probanda non eſt eorum ſententia, qui juſtam belli cauſam eſſe putant, ſi vicinus nullâ pactione impeditus in ſuo arcem, vel aliam munitionem exſtruat, quæ aliquando alteri damnum dare poſſit; nam adverſùs talem metum contrariæ in ſuo munitiones fieri, vel alia ſimilia remedia, ùt ſunt fœdera, quæri poſſunt, non autem propterea bellum inferendum eſt. Grot. *lib. 2. cap. 1. §. 17.* & *cap. 22. §. 5.* Bœhmer. *J. P. U. Part. ſpecial. lib. 2. cap. 1. §. 9.*

VII.

Ab hac cauſa in effectu differre non videtur conſervatio æquilibrii, ſi ſcilicet inter duos bellantes tertius abſque ullo juſtæ cauſæ reſpectu ſe uni eo ſolùm fine adjungat, ut æquilibrium potentiæ inter eos conſervetur, quia metuit, ne aliàs, ſi alter nimis potens fieret, is aliquando ipſi noceret, cùm tamen, ſi neutrarum partium eſſe nolit, non niſi illi, qui juſtam bellandi cauſam habet, ſe adjungere poſſit. Dn. P. Seybold *cit. ſect. 4. §. 7. num. 1.* Dn. P. Schmier *dict. ſect. 3. §. 2. num. 149. & ſeqq.*

VIII.

Similis cauſa eſt negatum matrimonium, ubi laxa eſt matrimoniorum copia, ex qua cauſa Perſarum Rex Darius Regi Scytharum Lanthino bellum intuliſſe legitur. Juſtin. *lib. 2. cap. 5.* Si tamen repulſæ addita fuiſſet contumelia, ſicut narrante Diodor. ſicul. *lib. 14. cap. 108.* Rhegini Dionyſio virginem nuptum petenti reſponderunt, ſe nullam præter lictoris filiam ipſi conceſſuros eſſe, ea haud dubiè bello vindicari poſſet. Grot. *ſuprà cit. cap. 22.* §. 7. Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 3. cap. 3.* §. *13.*

IX.

Ejusdem farinæ eſt mutandæ ſedis Amor, ut paludibus, & ſolitudinibus relictis Solum fœcundius poſſideatur, quam Germanis ſemper cauſam in Gallias tranſcendendi fuiſſe, ait Petilius Cerialis apud Tacit. *lib. 4. Hiſtor. cap. 73. num. 6.* Grot. *dict. cap. 22.* §. *8.*

X.

Ejusdem etiam ſortis eſt titulus inventionis, ùt ſi quis fortè inſulam aliquam hactenùs incognitam, ſuóque ſubjectam Regulo, propterea ſibi ſubjicere velit, quòd eam detexerit; inventio enim earum duntaxat rerum eſt, quæ nullius ſunt, ac proinde improbum eſt, ſibi hoc prætextu vindicare ea, quæ ab alio poſſidentur.

XI.

Nec minùs iniquum eſt, populum aliquem ſibi non moleſtum armis ſubigere velle, quaſi dignum, qui ſerviat; licèt enim fortè id ei utile foret, non tamen propterea alter jus habet, ut illum invitum imperio ſuo ſubjiciat; nam his, qui rationis uſum habent, libera eſſe debet utilium, & inutilium electio, niſi alteri jus quoddam in eos quæſitum ſit. Grot. *ubi ſuprà* §. *12.* & ibi Vitriar. *Quæſt. 6.*

XII.

Nullam quoque juſtam bellandi cauſam præbet ſpes concepta ex aliqua Divinorum Vaticiniorum explicatione; nam primò oracula, quæ nondum impleta ſunt, ſine prophetico ſpiritu vix certò inter-

interpretari quis poteſt; *ſi enim*, ſunt verba D. Hieronymi in Daniel. *propheta audivit, & non intellexit, quid facient hi, qui ſignatum librum, & uſque ad tempus conſummationis multis obſcuritatibus involutum præſumptione mentis ediſſerunt.* Deinde etiamſi res certa ſit, tamen tempus nos latere poteſt, quo res illa futura ſit. Denique prædictio, niſi expreſſum adſit mandatum, jus nullum dat; cùm Deus illa, quæ prædicit, ſæpè per improbos homines, aut actiones illicitas fieri permittat. Decepti ſanè ſunt plerique, qui oraculi explendi cauſâ injuſſi arma cœperunt. Grot. §. *15. & ibi* Teſmar.

XIII.

Deinde neque bello impeti poteſt is, qui non facit, ad quod faciendum ex aliâ virtute, quàm ex juſtitiâ tenetur, ac proinde ſimplex ingratitudo juſta belli cauſa haud eſt; quamvìs enim is, qui beneficium accepit, gratiam referre teneatur, ille tamen, qui dedit, nullùm ad eam repoſcendam jus habet, alioquin contractus eſſet, non beneficium. Ut autem armis aliquid exigere poſſis, neceſſe eſt, ut jus perfectum habeas ad illud, ſecùs id tam parùm bello peti poterit, quàm parùm in foro exigi poteſt, licèt illud ex morali ratione faciendum ſit. Aliud dicendum, ſi quis non ſolùm gratiam non referat, ſed & pro illâ injurias, & malefacta reponat. Grot. *ſæpè cit. cap. 22.* §. *16.* Puffendorf. *lib. 3. cap. 3.* §. *17.* Hæc ſatis certa ſunt.

XIV.

Dubitatur autem I. Utrùm Reges Chriſtiani populis infidelibus ſibi non ſubjectis propter eorum infidelitatem, Idololatriam, aliáve crimina contra jus naturæ, nulli tamen hominum injurioſa, bellum inferre poſſint? Affirmativam tenet Grot. *lib. 2. cap. 20.* §. 44. Negativam autem tuentur P. Suarez *de Charit. dict. Diſp. 13. ſect. 5. num. 5.* Covaruv. *ad cap. peccatum Part. 2.* §. *10. per totum.* Molina *de J. & J. cit. Tract. 2. Diſp. 106.* Layman *lib. 2. Tract. 1. cap. 17.* Dn. P. Seybold *ſuprà cit. ſect. 4.* §. *5.* Quibus abſque ullâ hæſitatione aſſentior; vel enim ejusmodi infidelibus bellum eo fine inferre vellent, ut Deum adverſùs injurias ei porrò inferendas defendant, vel ut injurias eidem illatas vindicent, vel ut infideli-

bus terras, ſub prætextu, quòd earum domini non ſint, eripiant, vel denique ut Religionem orthodoxam propagent. Non poſſunt autem primò bellum eo fine inferre, ut Deum defendant; quia Deus, cùm ſit omnipotens, non indiget ad ſe defendendum humano auxilio, uti homines ſæpè aliorum auxilio indigent. Nec ſecundò eo fine inferre queunt, ut injurias Deo illatas vindicent; quia hanc poteſtatem nec ex jure naturæ, nec ex jure Divino poſitivo habent: non ex jure Naturæ; quia non expedit generi humano, ut Reges injurias à ſibi non ſubditis Deo illatas vindicare poſſint; maxima enim inde ſequeretur turbatio: non etiam ex jure Divino; ſcriptum enim eſt: mihi vindictam, & ego retribuam. *ad Roman. 12.* Aliàs ſanè ex utroque hoc capite etiam Reges Chriſtiani inter ſe bella movere poſſent, cùm multi ſint Deo injurii. Relinquenda ergò ſunt ejusmodi crimina ultioni Divinæ. Sufficit Deus vindicandis, quæ in ſe committuntur. Sed neque tertiò Reges Chriſtiani infidelibus eo fine bellum inferre queunt, ut terras, quas poſſident, iisdem eripiant, quaſi earum dominium non habeant; falſum enim eſt, quòd infideles non ſint rerum ſuarum Domini; cùm infidelitas non repugnet dominio; hoc enim jure humano introductum eſt, diſtinctio autem fidelium, & infidelium venit ex jure Divino, quod non tollit jus humanum. Poteſt quidem Deus infidelibus ob eorum ſcelera auferre regna, & ea transferre in Chriſtianos, antequam tamen Deus hanc ſuam voluntatem manifeſtet, non poſſunt Chriſtiani infideles dominio rerum ſuarum privare. Denique nec quartò infidelibus bellum inferri poteſt ad propagandam Religionem Chriſtianam; quamvìs enim bello compelli poſſint, ne fidem blaſphemiis, vel malis perſuaſionibus, aut etiam apertis perſecutionibus impediant, non tamen ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam vi, & armis cogi poſſunt; quia credere voluntatis eſt. *can. 3. & 5. Diſt. 45. cap 9. X. de Judæis.* Sola ergò injuria, quæ hominibus infertur, juſtam bello cauſam præbere poteſt.

XV.

Dubitatur II. Si petenti tranſitum cum exercitu per territorium alienum tranſitus negetur, utrùm is vi armatâ vindicari queat? Placet affirmativa, modò duo concurrant. Primum eſt, ut,

ut, qui tranſitum petit, ex juſtâ cauſâ petat: alterum, ut tranſitus ſit innoxius; quæ duo ſi concurrant, tranſitus citra injuriam denegari haud poteſt: ita enim interpretanda eſt diviſio rerum, & introductio dominiorum, ut quàm minimùm ab æquitate naturali recedat. Exigit autem æquitas, ut eos, qui primi dominia ſingularia introduxerunt, talem uſum rei alienæ, qui indigentibus prodeſt, Dominis autem non nocet, excepiſſe dicamus. Debetur ergò tranſitus innoxius, ſi ex cauſâ juſtâ petatur, jure primævæ rerum communionis, quæ eatenus per diviſionem, & introductionem dominiorum haud fuit ſublata. Certè nulla erat ratio, ut eatenus tolleretur. Exemplum nobis præbent ſacræ Litteræ *Num. 21.* ubi Iſraël miſit nuntios ad Seon Regem Amorrhæorum dicens: *obſecro, ut tranſire mihi liceat per terram tuam; non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, viâ regiâ gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos; qui concedere noluit, ut tranſiret Iſraël per fines ſuos, quin potiùs exercitu congregato egreſſus eſt obviam in deſertum, & venit in Jaſa, pugnavitque contra eum, à quo percuſſus eſt in ore gladii.* Juſtum igitur bellum contra Amorrhæos geſſerunt Filii Iſraël; quia innoxius tranſitus denegebatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat, ùt inquit S. Auguſtin. relatus *in can. 3. C. 23. Q. 2.* Aliud exemplum occurrit apud Tacit. *lib. 4. Hiſtor. cap. 20.* ubi Batavi, cùm caſtris Bonnenſibus appropinquarent, præmiſêre, *qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent: nullum ſibi bellum adverſùs Romanos, pro quibus toties bellâſſent. Longâ, atque irritâ militiâ feſſis patriæ, atque otii cupidinem eſſe, ſi nemo obſiſteret, innoxium iter fore, ſin arma occurrant, ferro viam inventuros.* Cúmque cunctantem Legatum milites perpuliſſent, ut fortunam prælii experiretur, vi armatâ tranſitum vindicârunt. Neque eum, à quo tranſitus poſtulatur, audiendum eſſe arbitror, ſi opponat, ſe metuere multitudinem tranſeuntium; quia jus meum metu alterius non tollitur, niſi prudens, & probabilis ſit metus, tranſitum non fore innoxium, tunc enim eum jure denegari poſſe exiſtimo. Interim ſunt quædam cavendi rationes, ùt primò, ſi non uno continenti agmine, ſed diviſis manibus, ac ſucceſſivo tractu tranſmittantur copiæ. Secundò, ſi obſides in ſecuritatem dentur. Tertiò, ſi inermes tranſeant, quod tamen à viris militaribus, *qui*, ùt inquit Liv.

lib. 34. cap. 17. nullam vitam ſine armis eſſe arbitrantur, vix impetraveris. Quartò, ſi impenſâ tranſeuntis is, qui tanſitum concedit, ſibi præſidia idonea conducat. At hæc cautio non tantùm nimis ſumptuoſa eſſe videtur; ſed & multum temporis requirit. Sed nec eum, à quo tranſitus poſtulatur, audiendum eſſe puto, ſi dicat, aliò tranſiri poſſe: nam & cœteri idem dicere poſſent, quò fieret, ut jus tranſitûs planè interimeretur. Sufficit ergò, ſi abſque dolo malo tranſitus poſtuletur, quà proximum, & commodiſſimum eſt, modò ſit innoxius; ſi enim periculum nocumenti ſubſit, tranſitus, ùt jam antea monui, omnino denegari poteſt. Confer Grot. *lib. 2. cap. 2. §. 13. num. 1. & ſeqq.*

XVI.

Dubitatur III. Utrùm juſtam adverſùs ſe bellandi cauſam præbeat, qui mercibus per ſuum territorium tranſitum denegat? Sanè Grot. *cit. §. 13. num. 5.* non minùs mercibus, quàm perſonis tranſitum deberi contendit, cùm ſocietatis humanæ interſit, ut nemini impediendi jus ſit, quò minùs Gens quæque cum quavis Gente ſepoſitâ commercium colat: cui conſequens eſt, ut juſta ſit bellandi cauſa, ſi tranſitus denegetur, atque hâc ratione libertas commerciorum inter Gentes ſepoſitas impediatur. At hoc non aliter mihi admittendum eſſe videtur, quàm ſi Reipublicæ nullum ex tranſitu mercium damnum, aut probabile periculum damni immineat; non minùs enim mercium quàm perſonarum tranſitum oportet eſſe innoxium; ſecùs abſque injuriâ denegari poteſt. Deinde nulla apparet ratio, cur merces alibi vendendæ non poſſint, in noſtro territorio eo fine ſiſti, ut eas noſtri cives emere, & poſtea alibi vendere queant, atque ita ipſi potiùs illud lucrum capiant, quod aliàs peregrini tranſeuntes haberent; cur enim magìs faveamus peregrinis, quàm civibus noſtris? Certè niſi hæc ratio admittatur, non video, quomodo excuſari poſſint ſtapulæ, & alia jura, quibus merces ſiſtuntur, & ad certum forum trahuntur, atque exteris non immediatè inter ſe, ſed interventu civium noſtrorum commercia exercere conceditur, ùt rectè diſcurrit Puffendorf *lib. 3. cap. 3. §. 6.* Ubi tamen fatetur, vix probabilem inveniri poſſe prætextum, ut quis negare velit iter navibus inermibus per apertum mare di-

tioni

tioni noſtræ ſubjectum ad tertium pacatum tendentibus, quorſum etiam ſpectant teſtimonia à Grotio hoc loco adducta.

§. III.
De cauſa efficiente belli.

SUMMARIA.

I. *Bellum non tantùm defenſivum, ſed & offenſivum ſummis Imperantibus jure naturæ licitum eſt, ſi juſta ſubſit bellandi cauſa.*

II. *Quo ſenſu bellum adſcribatur juri Gentium?*

III. *Bellum publicum ille demum gerere poteſt, qui ſummam in Republica poteſtatem habet.*

IV. *Qui ergo in conditione parendi poſiti ſunt, regulariter jus bellandi non habent.*

V. *Quid ſi periculum ita præſens ſit, ut tempus non ferat, eum conſuli, qui ſupremum in civitate jus habet.*

VI. *Poſſunt inferiores poteſtates in Imperio latè patente jus belli etiam offenſivi habere ex conceſſione expreſsâ ſummi Imperantis.*

VII. *Non poſſunt Proreges, & Præſides Provinciarum ex ſolâ conjecturâ voluntatis bellum inferre.*

VIII. *Utrùm ſubditi jus bellandi habeant, ſi ſummus Imperans injurias ipſis illatas perſequi negligat?*

IX. *Quatenus ſummus Imperans pro ſubdito arma ſumere teneatur.*

X. *Si civitas ſubditum innocentem defendere nequeat, poteſt illum deſerere.*

XI. *Ad vitandum civitatis excidium innocens non tantùm poteſt ſe ipſum hoſti tradere;*

XII. *Sed & ſe tradere tenetur.*

XIII. *Quòdſi nolit, ad hoc faciendum cogi, & tandem etiam invitus hoſti extradi poteſt.*

XIV. *Aliud dicendum, ſi Virgo, aut Matrona ad libidinem cum eâ exercendam tradi poſtuletur.*

XV. *Quatenus Fœderatus pro Fœderato arma capere teneatur?*

XVI. *Non tenetur ſocius ſocio auxilium ferre, ſi certum ſit, nullam boni exitûs ſpem eſſe.*

XVII.

XVII. *Poteſt bellum etiam ſuſcipi pro amicis:*

XVIII. *Imò & pro quibusvis hominibus.*

XIX. *Utrùm quis arma capere poſſit pro ſubditis alienis ad arcendas ab ipſis Imperantis injurias?*

XX. *Spectato jure Naturæ omnes ſubditi, qui apti ſunt, bello adhiberi poſſunt.*

XXI. *Utrùm ſubditi juſtitiam belli examinare teneantur, ſi ipſis imperetur, ut militent?*

XXII. *Quid ſi juſtitia belli ipſis admodùm ſuſpecta ſit?*

XXIII. *Quid dicendum de illis, qui poſt cœptum jam bellum nomen militiæ dare volunt?*

XXIV. *Utrùm aliquis bellanti operam ſuam addicere queat, ſi poſt præmiſſam debitam inquiſitionem ſuper juſtitiâ belli dubius maneat?*

I.

CAuſa efficiens belli publici duplex eſt, Remota, & Proxima. Remota eſt jus tum Naturæ, tum Gentium. Ipſo jure Naturæ bellum ſummis Imperantibus licitum eſt, ſi juſta ſubſit bellandi cauſa, & quidem non tantùm bellum defenſivum, ſed & offenſivum, ſive hoc tendat ad reparandam, ſive ad vindicandam injuriam; recta enim ratio, & natura ſocietatis humanæ eam duntaxat vim prohibet, quæ jus alienum tollit, quod non fit, ſi vim injuſtam vî repellas, aut ubi ceſſant judicia, jus tuum manu exequaris; aliàs ſanè miſera eſſet conditio innocentium in ſtatu naturali viventium, ſi omnes improborum violentias, & injurias æquo animo tolerare deberent, nec, quod ſuum, aut ſibi debitum eſt, ubi alter ſuæ obligationi ſatisfacere recuſat, vindicare, aut contumelias ſibi illatas ulciſci poſſent. Sic Abrahamus vir non ſanctiſſimus tantùm, ſed & ſapientiſſimus ſolo jure naturæ fretus bellum geſſit adverſùs quatuor Reges, qui Sodoma diripuerant, cúmque reportâſſet victoriam, Melchiſedech Rex Salem, & Sacerdos Dei altiſſimi revertenti benedixit, atque ita factum ejus probavit. *Geneſ. 14.* Grot. *lib. 1. cap. 2. §. 1. & 2.*

II.

Juri autem Gentium bellum non tam ex eo capite adſcribendum eſſe videtur, quòd jus Naturæ bellum ex juſtâ cauſâ permittens communi omnium Gentium conſenſione ſit receptum, quàm potiùs ideo, quod bellum publicum ſpeciales ſequantur effectus, puta impunitatis, & publicæ judiciorum tutelæ, qui aliàs ſpectato jure naturæ non obtinerent, ſi bellum ex injuſtâ cauſâ ſuſceptum ſit.

III.

Cauſa efficiens proxima belli publici itidem duplex eſt, Principalis, & Inſtrumentalis; Principalis eſt is, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, ac proinde in ſtatu Monarchico Rex, in Ariſtocratico Optimates, in Democratico populus, quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi jus bellum gerendi pars ſit poteſtativa Majeſtatis, cùm non ideò is, qui ſummum obtinet Imperium in Civitate, exteris bellum inferre poſſit, quia ſubditis imperat, ſed quia nemini paret, ac proinde jus bellandi pars eſt libertatis naturalis. Unde jus bellandi habere poſſunt etiam, qui Majeſtatem non habent, veluti ſunt illi, qui extra omnem Rempublicam vivunt, ac vel nullum, vel ſaltem familiare duntaxat Imperium obtinent. Non igitur, qui ſummam in Republica poteſtatem obtinent, bellum gerunt vi Imperii, quod habent in ſubditos, ſed vi libertatis naturalis, quæ ſummam poteſtatem civilem comitatur. Interim tamen, ùt cœtera jura libertatis, ita & jus bellandi ſemper cum reſpectu ad utilitatem Reipublicæ ſibi commiſſæ exercere tenentur. Vid. Bœhmer. *J. P. U. lib. 1. cap. 4. §. 2. & ſeqq.*

IV.

Qui ergo in conditione parendi poſiti ſunt, jus bellandi non habent; quia libertatem naturalem amiſerunt. Poteſt tamen populus in delatione ſummi Imperii vel ſibi, vel Regni Proceribus hanc libertatis partem expreſſè reſervare, quod cùm fit, jam etiam illi, qui in conditione parendi poſiti ſunt, jus bellum gerendi habent. Imò ſi ex more Regni, cui nunquam contradictum eſt,

Proceres belli gerendi habeant facultatem, non opus eſt expreſſâ reſervatione; nam hoc ipſo, quod in delatione Imperii hanc libertatis naturalis partem non expreſſè abdicaverint, ea retenta eſſe cenſetur.

V.

Sed nec dubium eſt, ſi periculum ita præſens ſit, ut tempus non ferat, eum conſuli, qui ſupremum in civitate jus habet; veluti ſi Provincia alicujus cuſtodiæ commiſſa vi armatâ vel actu invadatur, vel certum ſit, eam illico invadendam eſſe, ita ut ſuperior hac ſuper re tam citò conſuli non poſſit, ſed Reipublicæ ſummum ex mora contingat præjudicium, quin in tali rerum ſtatu is, cujus cuſtodiæ urbs, vel Provincia commiſſa eſt, vi mandati generalis in hoc extremæ neceſſitatis caſu vel vim actu jam illatam repellere, vel illam inferendam prævenire poſſit. Sic Lucius Pinarius præſidio urbis Ennenſis in Sicilia Præfectus, cùm certò ſciret, oppidanos ad Carthaginenſes, cum quibus tunc temporis publicum gerebatur bellum, defectionem moliri, eósque ex ſociis Romanorum hoſtes eſſe factos, cæde in eos patratâ oppidum retinuit, nec factum hoc Claudius Marcellus Imperator improbavit; tota rei geſtæ ſeries legi poteſt apud Liv. *lib. 24. cap. 37. 38. & 39.*

VI.

Præterea inferiores poteſtates, veluti ſunt Pro-Reges in Imperio latè patente jus belli etiam offenſivi habere poſſunt ex conceſſione expreſſâ ſummi Imperantis, à quo conſtituti ſunt, quamquam ſi bellum vicinis inferant, illud non tam à Pro-Regibus, quàm potiùs ab eo, qui ſummam poteſtatem civilem habet, illatum eſſe exiſtimetur. Unde & hoc, & priori caſu bellum non mixtum, ſed publicum dicendum erit, modò pars altera ſummo armata ſit Imperio.

VII.

Quòd ſi autem Pro-Reges, & Præſides Provinciarum ejusmodi conceſſione ſint deſtituti, ex ſolâ conjecturâ voluntatis, ſeu, quia credunt, ſuum factum ſummo Imperanti probandum eſſe, bellum

inferre neutiquam poſſunt; aliàs enim ſæpè Imperans bello implicaretur invitus; & licèt fortè in hoc, vel illo caſu particulari id non accidat, periculum tamen univerſale eſt, cui ſummus Imperans ſe exponere velle non creditur; non igitur hoc ſpectari debet, quid in hoc, vel illo caſu particulari ſummo Imperanti placiturum ſit, ſi conſulatur, ſed illud magìs videndum eſt, quid ille, ubi res moram fert, aut dubium deliberationem habet, ſe inconſultô fieri velit, ſi de eâ re in univerſum quid ſtatuendum ſit. Jure igitur à Legatis ſuis accuſatus fuit Cn. Manlius, quòd populi Romani injuſſu bellum Gallo-Græcis intulerit; quamvìs enim in Antiochi exercitu Gallorum legiones fuerant, pace tamen cum Antiocho factâ, an ea injuria in Gallo-Græcos exequenda eſſet, non in Cn. Manlii, ſed in populi Romani arbitrio eſſe debuit. Liv. *lib. 38. cap. 45.* Grot. *lib. 1. cap. 3. §. 5. num. 3. & 4.* Puffendorf *lib. 8. cap. 6. §. 11.*

VIII.

Extra caſus igitur recenſitos, qui in conditione parendi poſiti ſunt, jus belli gerendi non habent, adeò, ut, licèt fortè Rex injurias parti Reipublicæ integranti à vicino populo, aut Rege illatas perſequi negligat, illa tamen vi armatâ eas ulciſci, aut reſarcitionem damnorum extorquere neutiquam queat; nam ex bello tota Reſpublica in periculum venit, in quod ſine conſenſu ſummi Imperantis eandem conjicere haud poteſt, ſed incolumitatem totius corporis ſuæ incolumitati præferre tenetur; nec adverſatur, quòd Rex injurias eidem illatas perſequi negligat; ſæpè enim injuriæ prudenti conſilio in commodum magìs tempus remitti ſolent, & debent. Ita T. Sempronius, ùt refert Liv. *lib. 23. cap. 25.* in ſenatu dicebat, *Gallicum bellum & omitti tutò, & differri poſſe.*

IX.

Poſſunt autem ſummi Imperantes non tantùm pro ſe, ſed & pro aliis bellum ſuſcipere. Inter hos primum locum tenent ſubditi, quos adverſùs injurias, quæ ipſis ab exteris inferuntur, quin ſummus Imperans defendere teneatur, dubium non eſt. Sic populus Hebræus pro Gabaonitis, qui ſe eidem ſubjecerant, Duce Joſue arma ſumpſit. *Joſue 9. & 10.* non tamen ſemper, quamvìs

juſta cauſa ſubditi alicujus, Imperantem ad arma ſumenda obligat, ſed ita demum, ſi id ſine omnium, aut plurium ſubditorum incommodo fieri poſſit; cùm ejus officium magìs circa totum, quàm circa partes verſetur, & quò una pars eſt major, eò propiùs ad naturam totius accedit. Grot. *lib. 2. cap. 25. §. 2.*

X.

Si igitur civis unus, quamvìs innocens ad exitium ab hoſte depoſcatur, civitas autem hoſtium viribus multò ſit impar, ita ut eundem defendere non poſſit, niſi & ipſa perire velit, dubium non eſt, quin eum deſerere poſſit; licèt enim caput, & membra ſe invicem tueri teneantur, obligatio tamen hæc ultra moralem poſſibilitatem non extenditur. Eſt autem hoc caſu Innocentis defenſio moraliter impoſſibilis, utpote conjuncta cum interitu totius civitatis, quâ pereunte & ipſe innocens ſimul peribit. Accedit, quòd civitas non huic tantùm civi, ſed & aliis obligata ſit, quos omnes pro uno certiſſimæ neci exponere, non convenit Rectoris officio, nec ille unus hoc poſtulare poteſt. Sanè, qui patriam pro ſe perire, æquum cenſerent, primi ex Moloſſis quidam inventi ſunt. Liv. *lib. 45. cap. 26.* Quare hoc tantùm relinquitur miſero, ut, quantùm poteſt, ſibi ipſi conſulat fugâ, aut auſu quamvìs periculoſo. Grot. *cit. cap. 25. §. 3. num. 1. & ibi* Hennigeſ. ac Vitriar. *Quæſt. 3.* contra Ziegler.

XI.

Poteſt tamen innocens in tali rerum ſtatu ad vitandum civitatis excidium ſe ipſum hoſti tradere. Ita Valenz. *Tom. 3. Diſp. 5. Quæſt. 8.* Grot. *dict. §. 3. num. 3.* Ratio eſt; quia tradendo ſe in manus hoſtis non eximium tantùm dilectionis, & pietatis in patriam, ſed & juſtitiæ legalis actum exercet: *majorem ſanè hâc*, inquit Divus Joannes *cap. 15. v. 13. dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Neque per hoc, quòd quis ipſe ſe hoſti tradat, is ad necem ſuam directè cooperatur, utpote quæ non per ſe, ſed per accidens ſaltem ex malitia hoſtis cum actu deditionis connexa eſt. Unde poteſt innocens ex motivo civitatem ab interitu liberandi velle ſe hoſti tradere, & ſimul nolle mor-

tem

tem per accidens conjunctam, perinde ùt innocens ad mortem condemnatus ad locum ſupplicii ire poteſt. Eleganter hanc in rem diſſerit Cicero pro P. Sextio, cujus verba refert Grotius. Facit quoque huc, quod Froſſard. *lib. 1. Hiſtor.* habet, ſcilicet *Anglum, Caletô in ultimam neceſſitatem redactô, ſex ex nobilioribus civibus ſibi tradi, & ſuo arbitrio permitti poſtulâſſe. Hoc nuntio*, pergit ille, *in civitatem allato ſummus repentè luctus ibi natus. In hac animorum conſternatione, cùm quidam minimè plebejus pro ſalute patriæ, inediâ penè confectæ, mortem ſe non reformidaturum, palam diceret, quinque deinde alios in ſimilem rapuit affectum*; quibus tamen poſtea deditis Anglus pepercisse legitur.

XII.

Quin non tantùm in tali rerum ſtatu poteſt, ſed etiam ad civitatem ab interitu aliàs inevitabili liberandam ſe hoſti tradere tenetur. Ita Valenz. *ubi ſuprà.* Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 9. dubit. 7. num. 38.* Grot. *dict. num. 3.* Ratio eſt; quia in tali caſu extremæ neceſſitatis ſolus innocens Reipublicæ aliàs certò interituræ ſeſe hoſti tradendo ſubvenire poteſt: ergo ex præcepto affirmativo charitatis patriæ & juſtitiæ legalis ad hoc omnino tenetur. Deinde cùm in hócce ſtatu perire neceſſitatis, & ſolùm innocenti liberum ſit, utrùm ſolus, vel cum aliis plurimis innocentibus perire velit, is utique talem pereundi modum eligere tenetur, quo alii innocentes non in idem exitium cum ipſo trahantur. Diſſentit Vaſqu. *Illuſtr. contr. lib. 1. cap. 13. num. 11.* quem ſequuntur Hennigeſ. & Ziegler.

XIII.

Quòd ſi autem ſe ipſum tradere nolit, ad hoc faciendum cogi, & ſi parere nolit, etiam invitus hoſti extradi poteſt. Ita Valenz. & Leſſ. *alleg. loc.* Ratio prioris eſt; quia Reſpublica cives ſuos cogere poteſt, ut exerceant actus Charitatis, & juſtitiæ legalis exteriores in ordine ad bonum commune, ſi neceſſitas hoc exigat, cùm non, ut privati ad ea tantùm cogere poſſit, ad quæ ſubditi ex jure ſtrictè dicto tenentur, ſed & ad illa, ad quæ ex præcepto aliarum virtutum obligati ſunt, ſi bonum communitatis ita poſtulet. Certè Reſpu-

blica injuriam non facit ſubdito, ſi eundem cogat ad ea, ad quæ is ex jure naturali obſtrictus eſt; utitur enim jure ſuo; ſi autem innocens ſe hoſti tradendo totam civitatem ab interitu aliàs inevitabili liberare valeat, is jure naturæ ad ſe tradendum obſtrictus eſt: ergò ſi eundem ad hoc faciendum cogat, eidem injuriam non infert. Ratio verò poſterioris eſt; quia civitas tradendo innocentem, directè non cooperatur ad necem ipſius, utpote quæ, ùt ſuprà diximus, per accidens ſaltem ex malitia hoſtis, & non per ſe cum actu deditionis connexa eſt; aliàs ſanè nequidem ipſe innocens ſe hoſti tradere poſſet. Unde cohærere non videtur doctrina eorum, qui aſſerunt quidem, innocentem in tali extremæ neceſſitatis caſu non tantùm poſſe, ſed & teneri ſe ipſum hoſti tradere, negant tamen, eundem tradi poſſe, ſi ultrò ſe tradere nolit. Diſſent. Puffendorf *cit. lib. 8. cap. 2. §. 5.*

XIV.

Planè ſi quis virginem, aut Matronam ad libidinem cum eâ exercendam ſibi tradi poſtulet, illa ad vitandum civitatis excidium nec ſe tradere tenetur, nec invita à Republica tradi poteſt. Ita Leſs. *cit. Dubit. 7. num. 40.* Ratio eſt; quia ad malum temporale à Republica avertendum nemo periculo proximo peccati, & jacturæ ſalutis animæ ſuæ ſe exponere tenetur, aut exponi poteſt. Poſſet tamen Reſpublica illam deſerere; quia cum tanto periculo eandem tueri, haud tenetur.

XV.

Subditis pares ſunt ſocii, quibus defenſio, & tutela in tabulis fœderis promiſſa eſt, ſive deinde ſe in fidem aliorum dederint, ſive mutua auxilia pacti ſint; *qui enim*, ut ait D. Ambroſ. *de offic. lib. 1. cap. 36. non repellit injuriam à ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Talis autem pactio ad ea duntaxat bella pertinet, quæ juſta ſunt, non etiam ad ea, quibus nulla juſta cauſa ſubeſt. Imò licèt juſta ſubſit cauſa, potior tamen ſubditorum, quàm ſociorum ratio haberi debet, ſi utriſque auxilium ferri nequeat; nemini enim magìs obligatur civitas aut civitatis caput, quàm civibus ſuis, ac proinde non aliter ſociis auxilium promiſiſſe cenſetur, quàm ſi id ſalvâ obligatione, quam erga proprios cives habet, præſtari poſſit.

XVI.

Sed nec auxilium ſocio ferre teneor, ſi certum ſit, eundem etiam adjunctis meis viribus hoſti neutiquam parem, atque adeò nullam boni exitûs ſpem eſſe; cùm ſocietas boni, non mali cauſâ contrahatur. Si verò id certum non ſit, ſocius, quò minus ſocio auxilium ferat, ſe excuſare haud poterit; fruſtrà enim iniretur fœdus, ſi nullum planè periculum, aut damnum pro ſocio ſubeundum foret. Grot. *cit. cap. 25.* §. *4.* & Puffendorf. *alleg. lib. 8. cap. 6.* §. *14.*

XVII.

Poſt ſocios ſequuntur amici, quibus auxilium quidem promiſſum non eſt, ſed tamen amicitiæ quadam ratione debetur, ſi facilè, & ſine incommodo Reipublicæ noſtræ exhiberi poſſit; in ipſâ enim mutuâ amicitiæ conjunctione ineſſe intelligitur, ut alteri alterius ſalus curæ ſit, quantum arctiores obligationes patiuntur, ſic Abrahamus arma ſumpſit pro cognato ſuo Loth. *Gen. 14.* Sic etiam Romani ſæpè pro amicis bella aut ſuſceperunt, aut ſuſcipere minati ſunt. Grot. *cit.* §. *5.* & Puffendorf. *ubi ſuprà.*

XVIII.

Poſtrema cauſa, quæ latiſſimè patet, eſt hominum inter ſe conjunctio, quæ vel ſola ſufficit, ut populus unus alterum ab injuria defendere poſſit; nam, ùt Euripides in ſupplicibus ait: *præbent ſaxa perfugium feris, aræq; famulis, urbibus preſſis malo tutamen urbes.* Grot. *ubi ſuprà* § *6,* & Puffendorf. *cit. loc.*

XIX.

Illud non adeò expeditum eſt, utrùm quis arma capere poſſit pro ſubditis alienis ad arcendas ab ipſis Imperantis injurias? Quod negandum eſſe arbitror; nam, ex quo civiles ſocietates inſtitutæ ſunt, Rectoribus cujusque Reipublicæ ſpeciale quoddam jus in ſuos ſubditos quæſitum eſt; aliàs fruſtra facta fuiſſet imperiorum diſtributio: ſi autem alii ſe hoc prætextu aliorum regimini immiſcere poſſent, plerúmque hoc jus, quod quivis in ſubditos ſuos habet, ſine effectu eſſet, quia paſſim alii ex cupidine alieni ſeſe aliorum regi-

regimini immiſcerent, & actiones etiam non injurioſas ſubditis pro injuriis haberent. Deinde quis ſummorum Imperantium actiones exterorum judicio, & cenſuræ ſubjecit? Quilibet de commiſſo ſibi regimine Deo, non aliis rationem reddere tenetur. Planè ſi quis velut alter Buſiris, Phalaris, aut Thrax Diomedes apertâ in ſubditos ſæviret tyrannide, quò minùs alii ob vinculum humanæ ſocietatis pro ejusmodi oppreſſis arma capere poſſint, nihil obſtare videtur: *erue eos*, inquit ſacer textus *Proverb. 24. qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.* Sic in Maxentium, & Licinium Conſtantinus Magnus, in Perſas alii Romanorum Imperatores arma ſumpſerunt, aut ſumere minati ſunt, niſi à perſecutione, & ſuppliciis Chriſtianorum ob Religionem abſtinerent. Et hoc procedere exiſtimat Grot. *dict. cap. 25. §. 8. num. 3.* etiamſi daretur, ne in ſumma quidem neceſſitate Imperantibus à ſubditis reſiſti poſſe, cùm impedimentum hoc non ex defectu cauſæ, quæ eadem eſt in ſubdito, ſed ex perſonæ duntaxat qualitate deſcendat, quæ in alios non tranſit.

XX.

Cauſa inſtrumentalis belli publici ſunt ſubditi, & alii, quos is, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, bello adhibet: dubium autem non eſt, quin ſpectato jure Naturæ omnes ſubditi, qui apti ſunt, ut ſervitia militaria præſtent, bello adhiberi, & ſi juſta ſubſit cauſa, etiam inviti cogi poſſint; fluit enim hoc ex natura Imperii civilis, quod Rectoribus Rerumpublicarum in perſonas omnium ſubditorum pro utilitate publicâ competit. Sunt tamen quidam, qui ſpecialibus legibus, aut moribus à militiâ arcentur, ùt olim apud Romanos ſervi, & jure canonico perſonæ Eccleſiaſticæ quæ tamen leges cum exceptione ſummæ neceſſitatis intelligendæ ſunt. Sic Romanos propter inopiam liberorum capitum, ac neceſſitatem octo millia juvenum validiorum ex ſervitiis empta publicè armâſſe ſcribit Liv. *lib. 22. cap. 57. ad fin.*

XXI.

Dubitatur autem I. Utrùm ſubditi juſtitiam belli examinare teneantur, ſi ipſis imperetur, ut militent? Sanè ſi deſuper nullum ipſis

ipſis occurrat dubium, neminem fore exiſtimo, qui eos ad hoc obligatos eſſe dicat; ſi autem de juſtitia belli dubitent, videri poſſet, aliud dicendum eſſe, ne aliàs ſe exponant periculo occidendi innocentes, injuſtè prædandi &c. At longè verius eſt, ſubditos ne hoc quidem caſu ad examinandam belli juſtitiam obſtrictos eſſe, ſed ſufficere, ſi ſibi forment judicium practicum, quòd in dubio ſuperiori ſit parendum; ſi enim ſuperiorum mandatis non aliter obtemperare tenerentur, quàm ſi de eorum juſtitia ipſis certò conſtaret, ordo imperandi, & parendi penitùs diſſolveretur, ſine ordine autem imperandi non poteſt civilis ſocietas conſiſtere. Quare ſubditorum non eſt, ſcrutari, ſed exequi imperia ſuperiorum, qui tamdiu in poſſeſſione juris præcipiendi relinqui debent, quamdiu non conſtat, id, quod jubent, eſſe injuſtum. Facit huc, quod Seneca alicubi dixit: *Servus herilis imperii non cenſor eſt, ſed miniſter.* Diſſentit Grot. *lib. 2. cap. 26.* §. *4.* eâ motus ratione, quòd in dubio pars tutior ſit eligenda, tutiorem autem partem eſſe, bello abſtinere. At primò pars tutior tum demum eligenda eſſe videtur, cùm nulla adeſt neceſſitas agendi, ſed vel hoc, vel illud pro lubitu eligi poteſt: ubi autem propter vinculum ſubjectionis adeſt neceſſitas agendi, talis electio ſalva haud eſt, ſed tamdiu ſuperiori jubenti eſt parendum, quamdiu de iniquitate mandati non apparet. Deinde verum non eſt, quòd pars tutior ſit, abſtinere bello, quia ex tali inobedientia ſequeretur, quòd ſummi Imperantes perſæpè non poſſent defendere jura ſua, quod utique grave foret, incommodum & quandoque cum pernicie totius Reipublicæ conjunctum. Cœterùm quod hactenus de ſubditis militiæ non adſcriptis dictum eſt, idem etiam de militibus conductis dicendum erit.

XXII.

Planè ſi tales occurrerent rationes, quæ juſtitiam belli ſubditis admodùm ſuſpectam redderent, ita ut jam videantur declinare in judicium quoddam morale, hoc caſu illi utique ad indagandam veritatem eſſent obſtricti; aliàs enim verſarentur in ignorantia culpabili, & affectata, cum qua honeſtas operationis conſiſtere haud poteſt. Quòdſi poſt factam debitam inquiſitionem hæ rationes nullo modo viderentur eſſe debilitatæ, exiſtimo, ſubditos bellare

non poſſe; quamvìs enim aliàs præſumptio ſtet pro ſummo Imperante, & ejus conſiliariis; hæc tamen præſumptio in hocce rerum ſtatu ex adverſo ſuppreſſa, & eliſa eſt, præſertim ſi tale bellum paſſim haberetur pro injuſto.

XXIII.

Dubitatur II. Quid dicendum ſit de illis, qui nondum milites ſunt, ſed poſt bellum jam cœptum nomen militiæ dare volunt? Vulgò quidem intereſſe putant, utrùm bellum gerenti ſubjecti ſint, vel non. Si ſubjecti ſint, exiſtimant, illos ad examinandam belli juſtitiam obligatos haud eſſe, niſi probabilis occurrat ratio, quæ ipſos in dubio poſitivo conſtituat, cùm eo ipſo, quòd ſubditi ſint, pro bellante præſumere poſſint. Si autem ſubjecti non ſint, cenſent, eos obſtrictos eſſe, ut belli juſtitiam priùs examinent, & factâ inquiſitione probabile ſaltem judicium ferant, eum, cui bellare volunt, juſtam bellandi cauſam habere, ne aliàs ſe exponant periculo graviſſimas inferendi injurias. At nulla hac in parte inter ſubditos, & extraneos apparet diſparitatis ratio, modò ſubditi non inviti compellantur nomen militiæ dare. Deinde dictum eſt paulò antè, quòd milites conducti tam parùm in dubio cauſam belli examinare teneantur, quàm parùm ſubditi ſunt ad hoc obſtricti, ſi ipſis imperetur, ut militent, ſed ſufficiat, ſi ſibi forment judicium practicum, quòd in dubio ſuperiori ſit parendum: poteſt ergò non minùs extraneus, quàm ſubditus ſe obligare ad militandum in cauſâ etiam dubiâ, ſi bellum nondum ſit exortum: ergo poterit is etiam poſt bellum jam cœptum ad hoc ſe obligare, modò ſibi formet dictamen practicum, quòd ſequendo judicium Principis prudenter agat, eò quòd is paſſim ſit bonæ exiſtimationis, nec ullum de hoc prudens ſibi occurrat dubium.

XXIV.

Dubitatur III. Utrùm aliquis bellanti operam ſuam addicere queat, ſi poſt præmiſſam debitam inquiſitionem ſuper juſtitia belli dubius maneat? Videtur intereſſe, utrùm pro utraque parte ſtent rationes æquè probabiles, vel ex unâ parte appareant rationes probabiliores. Illo caſu aliquis ſi gerere poteſt, ac ſi dubium eſſet

merè

merè negativum, quia utrobique eſt æqualitas, hoc autem caſu tenetur ſequi, quod ipſi probabilius apparet. Confer P. Suarez *de Charit. Diſp. 8. ſect. 6.* P. Layman *lib. 2. Tract. 3. cap. 12.*

§. IV.

De objecto, & forma belli.

SUMMARIA.

I. *Objectum belli ex fine ejus colligitur.*
II. *Diſſimulatio per ſe loquendo illicita non eſt.*
III. *Nec ſimulatio per ſe illicita eſt.*
IV. *Mendacium ſemper eſt prohibitum.*
V. *Utrùm amphibologicum loquendi genus permiſſum, & licitum ſit?*
VI. *Jure gentium non licet arma, & fontes veneno inficere.*
VII. *Non licet jure Naturæ percuſſorem hoſtis immittere, qui eidem fide vel expreſsâ, vel tacitâ obſtrictus eſt.*
VIII. *Sed nec jure Gentium talem percuſſorem, cujus facto perfidia ineſt, in bello publico immittere licet.*
IX. *Talem autem percuſſorem, qui hoſti nullam fidem debet, nec jure Gentium, nec ſuppoſitâ belli juſtitiâ, jure naturæ immittere prohibitum eſt.*

I.

OBjectum belli ex fine ejusdem colligitur; vel enim eò tendit, ut nos, & noſtra tueamur, vel ut ea, quæ nobis ex jure perfecto debentur, conſequamur, vel ut id, quod noſtrum eſt, obtineamus, vel denique, ut injuria nobis illata vindicetur, & cautio de non ampliùs offendendo extorqueatur ab illo, qui prior nos læſit.

II.

Forma belli publici duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentia ſpecifica, quâ à bello privato, & mixto diſtinguitur, quæ ex ſuprà dictis patet. Extrinſeca verò ſtat in modo agendi, qui in univerſum duplex eſt, ſimplex, & mixtus. Simplex conſiſtit vel in vi apertâ, quæ belli cujusvis

 maxi-

maximè propria eſt, vel in dolo, qui porrò vel in actu ſtat negativo vel poſitivo. In actu negativo conſiſtere dicitur cùm aliquid tegimus, & occultamus. Sic Jeremias Propheta interrogatus à Rege de obſidionis eventu, apud Proceres, Rege poſtulante, hoc occultavit, aliâ interim colloquii cauſâ allatâ, eáque verâ. Jerem. *cap. 38. in fin.* Sic etiam Abraham diſſimulato matrimonio Saram ſororem ſuam eſſe dixit. *Geneſ. 20.* aliud exemplum habemus *1. Reg. cap. 16.* ubi Samuel ad ſeniores in Betlehem dixit, ſe ad immolandum Domino veniſſe, quod verum erat, ſimul tamen venit ad inungendum Davidem, quod tacuit. Et hic dolus diſſimulatio appellatur, ac per ſe illicitus non eſt; nec enim omnia ea, quæ ſcio, aut quæ volo, ſemper aliis aperire teneor. Ita S. Auguſtin. *can.* 14. C. 22. Q. 2. ait, *aliud eſſe mentiri, aliud verum occultare, ſiquidem aliud ſit falſum dicere, aliud verum tacere.* Et poſtea in fine ſubjungit: *Manifeſtum eſt, non eſſe culpandum, aliquando verum tacere, falſum autem dicere, non invenitur conceſſum eſſe.* Rectè inquit, *aliquando*; non enim ſemper hoc procedit. Sic contrahens, ut ſervetur æqualitas, vitia ſibi nota rei, de qua agitur, utique indicare tenetur. Grot. *lib. 2. cap. 12. §. 9.*

III.

In actu verò poſitivo dolus conſiſtere dicitur, cùm ſigno externo aliter utimur, quàm alter putet; & conſiſtit vel in rebus, vel in ſermone. In rebus conſiſtit, cùm aliud agimus, quàm agere videamur. In ſermone verò, cùm aliud dicimus, aliud autem agimus, vel intendimus. Ille ſimulatio: hic verò mendacium vocatur. Simulatio itidem per ſe illicita non eſt, ac proinde re quadam uti poſſum, etſi prævideam, futurum, ut alter inde falſam concipiat opinionem, modò nullum inde ſequatur nocumentum, aut, quod ſequitur, ſecluſá ſimulatione licitum ſit. Utriusque exempla ſuppeditat ſacer Codex. Sic Michol Davidis uxor tulit ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus, & operuit eam veſtimentis. *1. Reg. 19.* Sic David apud Regem Achis inſani hominis ſigna edidit. *1. Reg. 21.* ſic Chriſtus ipſe apud diſcipulos euntes in Emaus ſe finxit longiùs ire, id eſt, ſpeciem prætulit ituri longiùs, niſi dicere malis, eum

verè,

verè voluiſſe ire longiùs, ſub conditione tamen, niſi magno niſu retineretur. Hæc facta illi, qui viderunt, aliter quidem interpretati ſunt, nullum tamen exinde ſenſerunt nocumentum. Tale in bello Gallorum etiam illuderat, quòd Romani de capitolio in hoſtium ſtationes panem jecerint, ne fame premi crederentur. Liv. *lib. 5. cap. 48.* Exemplum poſterioris eſt in ficta fuga, qualem Joſue ſuis præcepit ad urbem Hai expugnandam. *Joſ. cap. 8.* nam quod exinde ſequebatur nocumentum, ſuppoſitâ belli juſtitiâ, juſtum erat; ipſa autem fuga ex inſtituto nihil ſignificat, licèt hoſtis eam accipiat ùt ſignum pavoris, quod alter cavere non tenetur, quippe qui ſuâ libertate utitur, huc, vel illuc eundi, & magìs, vel minùs celeriter, & hoc, vel illo geſtu, habitúve. Eódem referri debet, ſi quis hoſtium armis, ſignis, veſtibus, velis utatur, quod ſæpiùs factitatum eſſe legimus; hæc enim omnia ejus ſunt generis, ut à quovis pro arbitrio etiam contra conſuetudinem uſurpari poſſint; cùm ejusmodi conſuetudo ſingulorum arbitrio, non quaſi conſenſu communi introducta ſit, qualis conſuetudo neminem obligat. Grot. *lib. 3. cap. 1.* §. *8.* Puffendorf. *lib. 4. cap. 1.* §. *12.*

IV.

Mendacium autem ſemper prohibitum eſt; nam hoc omninò exigit felicitas humani generis; quia aliàs omnis ferè inter homines communicatio, & fides tolleretur, totúmque commercium humanum diſſolveretur, prout & Sacræ Litteræ mendacium paſſim improbant, & deteſtantur. Sic enim *Proverb. 13. v. 5.* dicitur: *Verbum mendax juſtus deteſtabitur, impius autem confundit, & confundetur.* & *Pſalm. 5. v. 7. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Item *ad Coloſſ. cap. 3. v. 9. nolite mentiri invicem.* Hinc Innocentius III. *in cap. ſuper eo X. de uſur.* rectè ait, *Divini præcepti verbo conſtanter vetari, ut quis etiam pro alterius vitâ ſervandâ non mentiatur.*

V.

Quamvìs autem, ſi vox aliqua, aut ſermonis complexio plures admittat ſignificationes, ſive ex uſu vulgi, ſive ex artis conſuetudine, ſive ex figurâ aliquâ intelligibili, mendacium non admittatur, modò mentis conceptus uni iſtarum ſignificationum con-

gruat, niſi tamen juſta adſit cauſa, etiam hoc loquendi genere uti prohibitum eſt. Dixi, *niſi juſta adſit cauſa*; hæc enim ſi adſit, ejusmodi loquendi genere uti prohibitum non eſt; nam quòd auditor ea verba in alio ſenſu accipiat, non provenit à loquente tanquam à cauſa; occaſionem quidem errori is dat, at hanc vitare non tenetur cum maximo ſuo incommodo. Et ſatis conſultum eſſe cenſetur generi, & commercio humano per hoc, quòd quis tali loquendi genere non poſſit uti ſine juſta cauſa; hæc autem ſi adſit, negligentiâ, aut ignorantiâ audientium uti inconveniens non erit. Planè ſi auditor ex tali errore grave incommodum incurreret, cui neceſſitas mea non præponderat, vel ſi quis ratione officii aliquem inſtruere, & vera docere teneretur, aut judici, aliíve ſuperiori legitimè interroganti juberetur reſpondere, ſaltem in ſenſu, in quo ille jus habet interrogandi, vel rei, quæ agitur, natura exigeret, ut verba ad mentem audientis accommodemus, prout in contractibus onerofis accidit, in hujusmodi caſibus amphibologico loquendi genere uti non poſſumus. Confer P. Haunold. *de J. & J. Tom. 5. Tract. 4. cap. 6. controverſ. 4. §. 2. num. 790. & ſeqq.*

VI.

Ad modum agendi mixtum pertinet primò uſus armorum venenatorum, ubi jus naturæ ſeparari debet à jure Gentium. Jure Naturæ, ſuppoſitâ belli juſtitiâ, armis veneno infectis uti vetitum non eſt; quia hoc jure media omnia, quæ ad proſternendum hoſtem, ejúsque proterviam frangendam, ac domandam conducunt, adhibere licet, modò à labe perfidiæ ſint immunia. Jure autem Gentium non quidem omnium ſed Europæarum, & ſi quæ ad Europæ melioris cultum accedunt, armis venenatis uti, atque ita geminare mortis cauſas prohibitum eſt, quod Gentibus ideò placuit, ne pericula, quæ aliàs in bellis ſat frequentia ſunt, nimiùm augerentur, & intenderentur, unde & fontes veneno inficere vetitum eſt jure Gentium, quamvìs aquas ſine veneno ita corrumpere, ut bibi nequeant, prohibitum non ſit, cùm hoc perinde habeatur, ac ſi flumen averſum, aut fontis venæ fuiſſent interceptæ, quod & Naturæ, & Gentium jure licitum eſt. Ex eâdem ratione nec hoſte, propinato eidem veneno jure Gentiùm interficere licet, quod

à Re-

à Regibus profectum eſſe videtur, quorum vita ab armis ante alios defenditur, à veneno autem minùs, quàm aliorum tuta eſt, niſi aliqua juris Religione & metu infamiæ defendatur. Armis igitur, non veneno bella gerenda ſunt. Grot. *cit. lib. 3. cap. 4.* §. *15. 16. & 17.*

VII.

Secundò ad modum agendi mixtum pertinet interfectio hoſtis, quæ fit immiſſo percuſſore. Ubi tamen intereſt, utrùm percuſſor fide expreſſâ, vel tacitâ hoſti obſtrictus ſit, vel nullâ fide ei teneatur. Prioris generis percuſſorem immittere jure Naturæ licitum non eſt; quamvìs enim hoſtis injuſti interfectio nobis licita ſit, non tamen hoc modo licita eſt, quia is, qui alterum ad peccandum impellit, & ipſe peccat, cùm impulſu ſuo cauſa peccati ſit, ac proinde Subditum in Regem, Vaſallum in Dominum, Milites in eum, cui militant, receptos, ùt ſupplices, advenas, & transfugas, in eos, qui receperunt, concitare non licet; quoniam omnes fidem expreſſam, vel tacitam hoſti noſtro debitam violarent. Imò nequidem operam ſponte oblatam acceptare licitum eſt; quia acceptando probatur peccatum; quid autem intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? Certè quamvìs tales proditores operam ſuam ſpontè offerant, non tamen gratìs offerre ſolent, ſed ſceleris ſui mercedem ſtipulantur, quam citra peccatum promittere non potes, quia promittendo incitas ad peccandum ita ut abſque hac promiſſione proditoria alterius voluntas planè non proceſſiſſet ad actum, cùm vix quisquam gratìs malus eſſe ſoleat.

VIII.

Sed nec jure Gentium talem percuſſorem, cujus facto perfidia ineſt, in bello publico immittere licet; quamquàm enim in rebus aliis jus Gentium ad alienæ perfidiæ incitationem connivere cœperit, hæc tamen conſuetudo ſe ad jus interficiendi non extendit, ne nimiùm intenderentur pericula, eorum maximè, qui eminent, ſed qui percuſſorem immittit adverſùs eum, cui percuſſor fide vel expreſſâ, vel tacitâ obſtrictus eſt, non tantùm jus Naturæ, ſed & Gentium violare creditur; & ideò Alexander Magnus ad Darium,

impia,

impia, inquit, *bella ſuſcipitis*, *& cùm habeatis*, *arma*, *licitamini hoſtium capita.* Et mox: *qui ne belli quidem jura in me ſervaveris.* Simile eſt illud de Perſeo apud Liv. *lib. 42. cap. 18. Non juſtum apparare bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum, ac veneficiorum.* Certè qui ita vincit, peſſimum in ſe exemplum ſtatuit. Planè extra bellum publicum in caput defectoris, vel rebellis ſubditi prœmium ſtatuere pro illicito jure Gentium non habetur. Sic & in latrones, ac piratas, perfidia vitio quidem non caret, apud Gentes, tamen odio eorum, in quos committitur, impunita eſt. Grot. *cit. lib. 3. cap. 4.* §. *18. num. 4. & ſeqq.*

IX.

Poſterioris verò generis percuſſorem immittere, nec ſuppoſitâ belli juſtitiâ jure Naturæ prohibitum eſt; quia hoſtem ubique occidere licet; nec refert, quot ſint, qui faciant, aut patiantur. Exemplum inſigne nobis ſuppeditat ſacer Codex in Judith, quæ cum ancillâ ſuâ caſtra Aſſyriorum ingreſſa Holoferni caput abſcidit *Judith cap. 13.* Aliud exemplum occurrit apud Liv. *lib. 2. cap. 12.* in Mucio Scævola; deſtinaverat is Regem Porſenam interficere, qui urbem Romanam obſeſſam tenebat; unde Tiberim tranſiit, ac cùm in caſtra hoſtium veniſſet, in confertiſſima turba propè Regium tribunal conſtitit. Ibi, cùm ſtipendium fortè militibus daretur, & ſcriba cum Rege ſedens pari ferè ornatu multa ageret, eúmque Milites vulgò adirent, timens ſciſcitari, uter Porſena eſſet, ne ignorando Regem ſemet ipſe aperiret, quis eſſet, quò temerè traxit fortuna facinus, ſcribam pro Rege obtruncavit; comprehenſus poſtea non aliâ ratione factum hoc defendit, quàm dicendo: *hoſtis hoſtem occidere volui.* Et Porſena ipſe in hoc facto nihil, niſi virtutem agnovit. Solent quidem tales Percuſſores, ſi deprehendantur, exquiſitis ſuppliciis affici; At hoc non ex eo venit, quòd in jus Gentium deliquerint, ſed quia eodem jure Gentium in hoſtem quidvis licet, ita ut eundem vel ſimplici tantùm cæde, vel poſt diros cruciatus demum occidere poſſint: gravius autem, aut levius malum quisque ſtatuit pro ſua utilitate. Cùm ergo difficile ſit, ab hac obrepentium audacia ſibi cavere, ideò magnitudine ſupplicii ab ejusmodi attentatis homines abſterreri ſolent. Sic & exploraplora-

ploratores deprehenſi peſſimè tractari ſolent, quos tamen mittere jure Gentium utique licet. Sic ipſe Moyſes exploratores miſit ad conſiderandam terram Chanaan, quam Deus populo Iſraëlitico promiſerat. *Numer.* 13. Grot. *dict.* §. *num.* 2. & 3.

§. V.
De effectibus belli publici.

SUMMARIA.

I. *Effectus belli publici ſtat tum in licentia lædendi hoſtem, tum in jure acquirendi res hoſtium.*

II. *Qui juſtum ſuſcipit bellum, jure Naturæ ad omnia illa jus habere intelligitur, quæ ad finem juris conſequendi moraliter ſunt neceſſaria.*

III. *Jus noſtrum non ex ſolo belli principio, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus ſpectandum eſt.*

IV. *Multa quoque ad jus agendi conſequuntur indirectè, & extra agentis propoſitum.*

V. *Qui ſcienter bellum injuſtum gerit, damna omnia hoſti illata, jure Naturæ reſarcire tenetur.*

VI. *Ad quid teneatur ille, ad quem res bello injuſto capta pervenit?*

VII. *Utrùm is, qui rem bello injuſto captam comparavit, pretium pro eâ erogatum repetere poſſit?*

VIII. *Quid ſi res bello injuſto capta caſu fortuito, aut culpâ poſſeſſoris perierit?*

IX. *Quo ſenſu, jure Gentium, hoſti hoſtem lædere, eúmque rebus ſuis ſpoliare liceat?*

X. *In Perſona lædi poſſunt jure Gentium omnes, qui intra fines ſunt hoſtiles, tametſi ſint peregrini.*

XI. *Sive commiſſo jam, & cognito bello, ſive ante bellum eò venerint.*

XII. *Subditi perpetui, quatenus præcisè eorum perſonam reſpicimus, ubique locorum impunè offendi poſſunt.*

XIII. *Jure Gentium etiam Infantes, Fœminæ, ac ſenes impunè interfici poſſunt.*

XIV. *Item captivi, & qui ſe dedere volunt, imò & qui ſine conditione accepti ſunt in deditionem.*

XV. *Jure autem Naturæ ex propoſito nemo interfici poteſt, niſi vel ad neceſſariam defenſionem, vel ad criminum punitionem.*

XVI. *Unde in bello etiam juſto parcendum eſt primò Infortunatis.*

XVII. *Secundò Infantibus, ſenibus, ægrotantibus, fœminis.*

XVIII. *Tertiò in genere omnibus, quorum vitæ genus ab armis abhorret.*

XIX. *Quartò parcendum etiam eſt captis, modò nullum ampliùs ex iis nobis immineat periculum.*

XX. *Item qui ſub æquis conditionibus ſe dedere volunt, imò & illis, qui ſine conditione Victori ſe tradiderunt.*

XXI. *Adeò, ut perſonæ recenſitæ nequidem ex jure talionis, aut propter pertinaciam in reſiſtendo juſtè interfici poſſint.*

XXII. *Pudicitiæ fœminarum hoſtilium vim inferre inter Chriſtianos jure Gentium prohibitum eſt.*

XXIII. *Quamvis jure Gentium res hoſtiles impunè vaſtari poſſint, parcendum tamen eſt Eccleſiis, ſepulchris, & cæteris rebus, quæ ad bellum faciendum, aut ducendum nihil momenti habent.*

XXIV. *Jure Naturæ non niſi in tribus caſibus citra injuriam res alienas perdere permiſſum eſt.*

XXV. *Jure Gentium quivis in bello publico ſine modo, & termino Dominus fit eorum, quæ hoſti, aut ejus ſubditis eripit.*

XXVI. *Adeò, ut res mobiles etiam extra territorium utriusque partis bellantis captæ capientis fiant.*

XXVII. *Intelliguntur autem res hoſtiles tunc demum captæ, cùm ita detinentur; ut recuperandi ſpem probabilem alter amiſerit.*

XXVIII. *Utrùm res hoſtiles in bello publico captæ acquirantur ei, cujus auſpiciis bellum geritur, vel ſingulis, qui manu ſuâ ceperunt?*

XXIX. *Ubique ferè receptum eſt, ut ex mobilibus ſua faciant, quæ capiunt aut ſocii, aut ſubditi, qui ſuo ſumptu militant, aut partem belli adminiſtrant.*

XXX. *Jure naturæ in bello etiam juſto hactenus tantùm acquiritur rerum captarum dominium, quatenus nobis ab hoſte debetur.*

XXXI.

XXXI. *Qui ſcienter bellum injuſtum gerit, etiam damna, & ſumptus ab altero in bellum factos eidem reſtituere tenetur eóque nomine bona quoque ſubditorum capi poſſunt;*

XXXII. *Quæ tamen in ſubſidium duntaxat ſunt obligata.*

XXXIII. *Jure Gentium veteri omnes in bello publico capti, ut & eorum poſteri ſervi fiebant.*

XXXIV. *Fas tamen eſt, bello injuſtó captis fugere.*

XXXV. *Utrùm, ſi fugerint, libertatem conſequantur?*

XXXVI. *Quatenus jure Naturæ in bello juſto capti ſervi fiant, & quantum in eos liceat?*

XXXVII. *Utrùm fugere poſſit, qui bello juſto captus eſt.*

XXXVIII. *Jure Gentium recentiori capti non ampliùs fiunt ſervi capientium.*

XXXIX. *Utrùm pretium conventum, & ante mortem non ſolutum ab hærede debeatur?*

XL. *Utrùm in captivitatem redire debeat, qui dimiſſus eſt ſub pacto, ut liberet alterum, qui ante liberationem mortuus eſt.*

XLI. *Quatenùs tum ſinguli, tum univerſi poſtliminio revertantur?*

XLII. *Quatenùs tum homines, tum res poſtliminio recipiantur?*

XLIII. *Quamvìs res mobiles non gaudeant jure poſtliminii, in bello tamen injuſto captæ reſtituendæ ſunt, niſi fuerint præſcriptæ.*

XLIV. *Quid in bello privatis tum jure Gentium, tum Naturæ liceat?*

I.

EFfectus belli publici in genere duplex eſt: primus ſtat in licentia lædendi hoſtem; alter in jure acquirendi res hoſtium. Unde Virgil:

Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.

Accipitur autem vox *licère* duobus modis. I. licère dicitur, quod omni jure permiſſum eſt, etiamſi fortè contrarium laudabilius ſit. Sic licet matrimonium contrahere, quamvìs laudabilior ſit ex pio propoſito cælebs caſtitas. II. licere dicitur, quod vetitum quidem eſt, apud homines tamen pœnæ non ſubjacet. Sic Regibus propter defectum fori humani omnia licere dicuntur. Sic apud Lacedæmonios, & Ægyptios olim furari licebat. Videndum jam

eſt, quid, & quantum in bello publico liceat, & quo ſenſu. Ubi imprimis jus Naturæ ſeparari debet à jure Gentium, deinde bellum juſtum ab injuſto.

II.

Qui bellum ex juſta ſuſcepit cauſa, jure naturæ ad omnia ea jus habere intelligitur, quæ ad finem juris conſequendi moraliter ſunt neceſſaria. Sic ſi, quod noſtrum eſt, aut nobis debetur, non poſſimus aliter conſequi ab eo, qui noſtrum detinet, aut debet, permiſſum nobis eſt, rem aliam, quæ tantundem valet, ei eripere, ut læſa reparetur æqualitas; juſtitia enim commutativa, quoties ad idem non poteſt pertingere, fertur ad tantundem, quod in morali æſtimatione eſt idem. Grot. *lib. 2. cap. 7.* §. *1. num. 1.* Sic etiam, ſi ex re alienâ certum mihi immineat periculum, quod aliter effugere non poſſum, niſi eandem invadam, poſſum illam cuſtodiæ cauſâ invadere, & tamdiu cuſtodire, donec periculum ceſſaverit, tametſi Dominus in culpa non ſit. Grot. *cit. lib. 2. cap. 2.* §. *10.* Sic quoque ſi ultio, quam ſumere volo, eſt juſta, etiam vis omnis eſt juſta, ſine qua ad ultionem perveniri nequit, juſtum item eſt omne, quod ultionis pars eſt, ùt corruptio rerum per incendium, vel aliter, intra juſtum ſcilicet modum, ita ut ultio non ſit major, quàm injuria; *ſunt quædam officia*, inquit Cicer. *de offic. 1. etiam adversùs eos ſervanda, à quibus injuriam acceperis; eſt enim ulciſcendi, & puniendi modus* Grot. *lib. 3. cap. 1.* §. *2.*

III.

Jus autem noſtrum non ex ſolo belli principio, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus ſpectandum eſt. Sic non tantùm contra injuſtum aggreſſorem me tueri poſſum, ſed etiam adverſùs illos jus habeo me defendendi, qui eidem ſe aggregant, ſive ſocii ſint, ſive ſubditi. Sic etiam, qui bello injuſto ſe miſcent, quod injuſtum eſſe ſcire poſſunt, & debent, non tantùm obligationem contrahunt reſarciendi ſumptus, & damna, ſed etiam pati tenentur, ut propter injuriam illatam juſta ſumatur ultio. Ita David percuſſit Syriam Damaſci quæ Adadezer Regi Saba contra ſe auxilium miſerat. *2. Reg. 8.* Grot. *cit. cap. 1.* §. *3.*

IV.

IV.

Multa quoque ad jus agendi conſequuntur indirectè, & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet. Sic ſi, quod noſtrum eſt, aliter conſequi non poſſimus, niſi plus accipiamus, quàm nobis debeatur, permiſſum eſt, hoſti plus eripere, ita tamen, ut ejus, quod plus eſt, pretium reſtituatur. Sic etiam quamvìs Innocens directè nunquam interfici poſſit, quia vita non ſubeſt dominio humano, ex cauſa tamen graviſſima licitum mihi eſt, talem actionem ponere, ex qua per accidens, & indirectè ſequi poſſit interfectio Innocentis *ex cauſa*, inquam, *graviſſima*, nullâ enim cogente neceſſitate non poſſum talem actionem ponere, ex qua ſaltem per indirectum ſequi poſſit interfectio innocentis; obſtat enim lex charitatis: ſi autem ex omiſſione talis actionis gravius incurrerem damnum, quàm ex lege charitatis ſubire tenear ad cavendum damnum proximi, prohibitum mihi non eſt, talem actionem ponere, etiamſi ex ea per accidens, & per indirectum ſequi poſſit interfectio innocentis, ac proinde ſi urbem juſta ex cauſa obſeſſam aliter obtinere nequeam, quàm ſi turrim, in qua pulvis aſſervatur pyrius, ignitis petam globis, poſſum illis turrim petere, tametſi ex ejus ruina quorundam etiàm innocentium cædes ſequi queat; quia is, qui juſtam bellandi cauſam habet, majus ex irrita obſidione, ſi ea ſimul conſiderentur, quæ exinde conſequuntur, damnum incurreret, quàm ex lege charitatis ad conſervandam vitam quorundam Innocentium ſubire teneatur. Confer P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. Tract. 2. cap. 6. Controv. 3. à num. 618. ad num. 627.* & Grot. *dict. cap. 1. §. 4.* Atque ex his generalibus principiis cognoſci jam poteſt, quid, & quantum in bello ex juſta cauſa ſuſcepto jure naturæ licitum ſit.

V.

Quòdſi bellum injuſtum ſit, tametſi ſolenni modo ſit ſuſceptum, bellator injuſtus damna omnia, quæ hoſti ſive interficiendo, ſive res ejus vaſtando, ſive prædas agendo intulit, jure Naturæ reſarcire tenetur: ſi verò bellum, quod re ipſâ injuſtum eſt, bonâ fide juſtum eſſe credat, etiamſi poſtea cognoſcat, injuſtum fuiſſe, damna quidem per corruptionem rerum illata ut reparet, obligatus

haud eſt; quamvìs enim talia damna ſint voluntaria, non provenêre tamen ex culpa; qui enim bonâ fide credit, ſe juſtam habere bellandi cauſam, hoc ipſo ſimul credit, ſe jus habere, ejusmodi damna inferendi, utpote quæ, ut ſuppono, ad conſequendum id, quod ſibi deberi putat, ſunt neceſſaria: ergò inferendo injuſtè non agit, quia id, quod agit, injuſtum eſſe ignorat, ac per conſequens nullam coram Deo culpam contrahit: ubi autem nulla ſubeſt culpa, non poteſt ex radice injuſtæ læſionis conſurgere obligatio reſtituendi. Si verò res quasdam hoſti eripuiſſet, & illas etiamnum penes ſe extantes haberet, dubium non eſt, quin ex radice rei acceptæ easdem reſtituere teneatur; multùm enim falluntur illi, qui res bello injuſto captas ideo non reſtituendas eſſe arbitrantur, quòd bellantes inter ſe, cùm ad bellum progreſſi ſunt, eas quaſi in aleam miſiſſe, & tacito pacto capientibus donâſſe intelligantur; nam primò nemo temerè ſuum jactare præſumitur: deinde bellum à contractuum naturâ per ſe quàm longiſſimè abeſt: denique neutra pars intendit res ſuas perdere, ſed potiùs alienas acquirere. Si autem penes eum non ampliùs extarent, ſiquidem ex illis factus ſit locupletior, eatenus ad reſtitutionem tenetur, quatenus exinde locupletior eſt factus; ſi verò ditior non ſit effectus, ad nihil tenetur, quia nec rem, nec lucrum ex re aliena habet.

VI.

Eodem modo diſcurrendum eſt de eo, ad quem res bello injuſto capta quoquo modo pervenit; nemo enim plus juris in alterum transferre poteſt, quàm ipſe habeat; qui autem bello injuſto rem capit, ejus dominium nactus non eſt; bellum enim injuſtum naturam ſapit latrocinii; quare titulus habilis non eſt ad conferendum dominium, ac proinde licèt aliquis bonâ fide rem acceperit, poſtquam tamen cognovit, bellum fuiſſe injuſtum, non minùs eandem, ſi extet, reſtituere tenetur, quàm ipſe, qui cepit: ſi verò non ampliùs penes ipſum extet, in tantum duntaxat tenetur, in quantum ex ea locupletior effectus eſt. At

VII.

VII.

Quæres I. Utrùm is, qui rem bello injuſto captam comparavit, pretium pro eâ erogatum repetere poſſit? Placet intereſſe, utrùm ſciens, vel ignorans, bellum injuſtum eſſe, rem emerit. Si ſciens, porrò refert, utrùm hoc animo emerit, ut eam Domino reſtitueret, vel non. Hoc caſu nihil repetere poteſt, cùm nihil diſtet ab eo, qui rem furtivam, aut vi raptam ſciens à fure, vel prædone ſuo nomine comparavit, quem pretium repetere poſſe, nemo dixerit; fur enim & ipſe eſt. Illo caſu verò tantum repetere poteſt, quantum Dominus libenter erat impenſurus, ut deſperatam adipiſceretur poſſeſſionem; ipſa enim poſſeſſio facti eſt pretio æſtimabilis, ſi, quæ erat deſperata, facta ſit recuperatu facilis. Certè nemo tenetur rem alioquin perituram alteri gratìs ſervare: ergo dum pro ea ſervanda quid ſumptûs, aut operæ impendit, æquum eſt, ut indemnis ſervetur, cùm hactenus Dominus factus ſit locupletior. Plus autem repetere non poteſt, quàm diximus, tametſi rem pluris comparâſſet. Idem dicendum eſt, ſi quis ignorans, bellum injuſtum eſſe, rem emerit. Confer Leſſ. *de J. & J. lib. 2. cap. 14. Dubit. 3. num. 20.* Grot. *lib. 2. cap. 10. §. 9. & lib. 3. cap. 10. §. 6. num. 2.*

VIII.

Quæres II. Quid juris ſit, ſi res bello injuſto capta caſu fortuito? perierit Arbitror intereſſe, utrùm apud bonæ, vel malæ fidei poſſeſſorem perierit. Bonæ fidei poſſeſſor ad nihil tenetur; quia nec rem, nec lucrum ex re alienâ habet, ac proinde nec ex radice rei acceptæ, nec injuſtæ læſionis, cùm bona fides eum defendat, ad ullam reſtitutionem obligatus eſſe poteſt. Imò tametſi res culpâ ejus periiſſet, tamen ex capite injuſtæ læſionis haud teneretur; quia rem quaſi ſuam neglexit. Leſſ. *cit. cap. 14. Dubit. 1. num. 7.* Poſſeſſor autem malæ fidei à reſtitutione æſtimationis liber non eſt; quia in continuâ exiſtit morâ, niſi res æquè apud Dominum periiſſet, etiamſi eidem fuiſſet reſtituta; tunc enim eidem damnum in effectu non infert. Aliud dicendum, ſi malæ fidei Poſſeſſor rem bello injuſto captam ultrò deſtrueret; nam hoc caſu æſtimationem red-

dere

dere is tenetur, tametſi res æquè apud Dominum fuiſſet interitura; qui enim ultrò deſtruit rem alienam, quam ſcit alienam eſſe, ille ſe obligat ad reſtituendum pretium, quæ obligatio ſalva manet, etiamſi res apud Dominum interiiſſet. P. Haunold. *ſuprà cit. Tract. 2. cap. 3. Controv. 6. num. 367. & 369.*

IX.

Vidimus in genere, quid juris Naturæ ſit in bello publico tum juſto, tum injuſto; nam magis ſpecialia ſuis locis attingemus, progredimur jam ad jus Gentium. Diximus ſuprà, effectum belli publici eſſe duplicem, primum conſiſtere in licentia lædendi hoſtem, alterum in jure acquirendi res hoſtium, licere autem ſignificatione quidem minùs propriâ, receptâ tamen, dici etiam illud, quod vetitum quidem eſt, apud homines tamen pœnæ non ſubjacet. Et hoc ſenſu jure Gentium hoſti hoſtem lædere, eúmque rebus ſuis ſpoliare licet, ita ut, quamvis bellum iniquum gerat, aut modum jure naturæ conceſſum excedat, in alio tamen territorio fortè repertus, tanquam homicida, aut prædo puniri, vel bellum ipſi propterea ab alio inferri haud poſſit, quod Gentibus ideo placuit, quia inter duos populos de juſtitia belli pronuntiare velle, aliis populis pacatis periculoſum foret, quippe qui hac ratione facile bello alieno implicari poſſent, accedit, quòd etiam in bello juſto ex indiciis externis vix ſatis cognoſci poſſit, quis juſtus ſit ſe tuendi, ſua recuperandi, aut vindicandi modus, ut adeò melius viſum fuerit, conſcientiæ bellantium hæc exigenda relinquere, quàm ad aliena arbitria revocare. Hinc Maſſilienſes in cauſa Cæſaris, & Pompeji dicebant, *neque ſui judicii, neque ſuarum eſſe virium diſcernere, utra pars juſtitiorem habeat cauſam*, ut ipſe refert Cæſar *de Bello civili lib. 1. cap. 35.* Grot. *lib. 3. cap. 4.* §. *3. & 4.*

X.

Læditur autem hoſtis vel in perſona, vel in rebus. In perſona læditur cæde, & mutilatione, & hæc licentia latiſſimè patet; nam primò jure belli impunè interfici poſſunt non tantùm, qui actu ipſo arma gerunt, aut ex cauſa permanente bellum moventis ſunt ſubditi, ſed omnes, qui intra fines ſunt hoſtiles, tametſi aliàs ei ſub-

jecti

jecti haud ſint, cùm & ab his damnum metui poſſit, utpote quibus ab hoſte noſtro non minùs, quàm ſubditis facultas nos lædendi data eſſe cenſetur, quod in bello continuo, & univerſali ſufficit, ut locum habeat hoc jus licentiæ, ſeu impunitatis. Alia eſt ratio pignorationum, ſeu repreſſaliorum, quibus peregrini, & eorum bona haud ſubjacent; pignorationes enim introductæ ſunt ad exemplum onerum publicorum impoſitorum ad luenda civitatis debita, à quibus immunes ſunt illi, qui aliquantiſper duntaxat in territorio morantur. Vid. Grot. *cit. cap. 4. §. 6. junct. ejusdem lib. cap. 2. §. 7. num. 2.*

XI.

Et quidem non illi tantùm peregrini jure Gentium impunè interfici poſſunt, qui commiſſo jam, & cognito bello intra fines hoſticos venerunt, ſed & qui ante bellum eò iverunt, quippe qui ſaltem poſt modicum tempus, intra quod diſcedere potuiſſent, pro hoſtibus haberi videntur; imò tametſi non potuerint diſcedere, per vim fortè retenti, & coacti, ut unà cum aliis arma ferant, vel in ſtipendium conferant, tamen hoſtium loco ſunt, perinde ùt Miles, qui invitus in militiam trahitur. Grot. §. 7. *& ibi.* Teſmar.

XII.

Qui autem ex cauſa permanente hoſtium ſunt ſubditi, eos jure Gentium ubicunque locorum impunè offendere licet, quatenus ipſorum perſonam reſpicimus; qui enim hoſtis eſt, ubique impeti, & ſine metu incurrendi pœnam apud homines interfici poteſt, cùm mutatio loci non mutet qualitatem hoſtilem; at tales ſubditi hoſtes ſunt, quia bellum Imperanti indictum, ſimul etiam omnibus ejus ſubditis indictum eſſe cenſetur: ergo &c. Dixi: *quatenùs ipſorum perſonam reſpicimus*; quanquam enim in territorio pacato interfici haud poſſint, hoc tamen non ex ipſorum perſona venit, ſed ex jure illius, qui eò loci imperium obtinet, quod reverenter habendum eſt. Sic Aſdrubal nihil hoſtile in portu Regis Syphacis auſus eſt contra Scipionem. Liv. *lib. 28. cap. 17.* Grot. §. 8.

XIII.

Porro jure Gentium impuniti ſunt etiam, qui infantes, & fœminas, ac ſenes interficiunt. Sic *Pſalm. 136. in fine: Beatus fore dicitur, qui parvulos Babyloniorum tenebit, & ad petram allidet.* Sic Tacit. *lib. 1. annal. cap. 51. num. 2.* de Germanico Cæſare vicos Marſorum ferro flammiſque pervaſtante ſcribit: *non ſexus, non ætas miſerationem attulit.* Similiter Flor. *lib. 1. cap. 13. num. 14.* Gallos Senones ſedentes in curulibus ſuis prætentatos ſenes, quos priùs velut Deos, Genióſque venerati erant, poſtquam homines eſſe liquebat, pari vecordiâ mactâſſe. Adde Liv. *lib. 5. cap. 41.* ubi idem refert

XIV.

Deinde jure Gentium impunitatem etiam habent, qui captivos, & quidem quovis tempore, item eos, qui ſe dedere volunt, nec recipiuntur, quin & acceptos in deditionem, ſine ulla tamen conditione, interficiunt. Sic Pyrrhus apud Senec. *in Troad. v. 333.* ait: *lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.* Et ideò mater, conjuxque Darii captivæ apud Curt. *lib. 3. cap. 12.* rogant, ut, priusquam interficerentur, Darii corpus more patrio ſepelire liceret. Sic licèt Uſpenſes veniam liberis corporibus oraverint, victores tamen eorum preces ſunt aſpernati, ut belli potiùs jure caderent. Tacit. *lib. 12. annal. cap. 17.* vide Grot. §. *10, 11. & 12.*

XV.

Quamvìs autem moribus Gentium talia ſint impunita, jure tamen Naturæ ex propoſito interfici nemo poteſt, niſi vel ad neceſſariam ſui, aut rerum ſuarum defenſionem, vel ad criminum punitionem, quæ ut juſta ſit, neceſſe eſt, ut is ipſe, qui interficitur, deliquerit, & quidem tantum, quod apud æquum Judicem mortis ſupplicio poſſit vindicari; nam, ùt rectè Ariſtides apud Grot. *lib. 3. cap. 11. §. 1. num. 1.* ait: *Poſſunt ſanè, poſſunt etiam, qui ſe vindicant, injuſti eſſe, ſi modum excedant. Nam & qui in puniendo progreditur ad id, quod iniquum eſt, ſecundus eſt injuriæ Author.* Multis ergo in bello etiam juſto parcendum eſt, ùt

XVI.

XVI.

Primò infortunatis, qui non hoſtili animo apud hoſtes ſunt, quales tempore Mithridatis erant Athenienſes, *ejus enim armis oppreſſi, cùm ab inimicis tenerentur, ab amicis oppugnabantur, & animos extra mœnia, corpora neceſſitati ſervientes intra muros habebant*, ùt loquitur Vellejus Paterculus *lib. 2.* Infortunatorum numero accenſendi ſunt etiam illi, qui non ſpontè, ſed coactè partes hoſtis noſtri ſequuntur, uti enim in aliis, ita & in bello neceſſitas excuſat.

XVII.

Secundò parcendum eſt infantibus, fœminis, ſenibus decrepitis, qui nec ope nec conſilio nos lædunt, & lecto decumbentibus. *Arma habemus*, ait Camillus apud Liv. *lib. 5. cap. 15. non adversùs eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur, ſed adversùs armatos.* Et alius apud Tacit. *Neque adversùs fœminas, ſed palam adversùs armatos bellum ſe tractare.* Niſi fortè fœminæ peculiare crimen ſupplicio dignum admiſerint, aut unà cum viris in hoſtem pugnent, & urbem defendant. Exemplum talium fœminarum occurrit apud Liv. *lib. 28. cap. 19.* ubi non militaris modò ætas, aut viri tantùm, ſed fœminæ quoque, puerique ſupra animi, corporiſque vires aderant, propugnantibus tela miniſtrabant, ſaxa in muros munientibus gerebant. Grot. *cit. cap. 11. §. 9. & ibi Teſmar.*

XVIII.

Tertiò parcendum eſt in genere omnibus, quorum vitæ genus ab armis abhorret. Sic apud Liv. *lib. 4. cap. 59.* pronuntiatum, *ne quis, præter armatos, violaretur*; & cùm Sutrium caperetur, præcones per urbem dimiſſi poni arma, & parci inermi juſſerunt, nec præter armatos quemquam violari. Tales ſunt primò Clerici, & Religioſi. *cap. 2. X. de Treug. & Pac.* Sic Philiſtæi, qui hoſtes erant Judæorum, non nocebant collegio Prophetarum. *1. Reg. cap. 10.* Deinde qui ſtudiis litterarum honeſtis, & humano generi utilibus addicti ſunt. Item Agricolæ, & Mercatores. *cit. cap. 2.* & denique alii etiam Artifices, & opifices quorum omnium vita ab armis aliena eſt. Grot. §. *10. 11. & 12.*

XIX.

Quartò parcendum etiam eſt captis, qui arma contra nos geſſerunt, modò nullum ampliùs ex iis nobis immineat periculum, *ſicut bellanti & reſiſtenti*, inquit S. Auguſtin. *Epiſt. 1. ad Bonifacium, violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia jam debetur*, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Grot. §. *13*.

XX.

Quintò parcendum quoque eſt illis, qui ſub æquis conditionibus ſive in prælio, ſive in obſidione ſe dedere volunt. Rectè Siculi, ſi id, quod naturâ æquum eſt, reſpicimus, Marcellum apud Liv. *lib. 26. cap. 30.* reprehendunt, quòd Syracuſas vi capere maluerit, quàm per deditionem recipere in fidem, quamvìs ille ex more Romano egerat, quo ſerior deditio rejiciebatur; ſi enim aries murum percuſſiſſet, Romani deditionem non ampliùs acceptabant. Imò & illis parcendum eſt, qui ſine conditionibus, ſeu auf Gnad und Ungnad, ſe victori tradunt, niſi tale crimen anteceſſerit, quod æquus Judex morte vindicandum cenſeret, ùt ſi de injuſtitia belli convicti tamen in armis perſtitiſſent, vel immanibus conviciis famam hoſtis lacerâſſent, vel fidem, aut Gentium jus violaſſent, aut transfugæ eſſent. At

XXI.

Utrùm Perſonæ, quibus hactenùs ex æquitatis, ac juris naturalis præceptis parcendum eſſe diximus, ex jure ſaltem Talionis, aut propter pertinaciam in reſiſtendo juſtè interfici poſſint? Equidem Hiſtorici cauſam interfectorum hoſtium, captorum præſertim, & ſupplicum, aut ad Talionem, aut ad obſtinatum ſtudium in defendendo interdum referre ſolent. At neutra cauſa interfectionem juſtam reddere poteſt; nam primò Talio jure Naturæ non niſi in ipſos, qui deliquerunt, exerceri poteſt; in bello autem illa plerumque redundat in malum eorum, quorum nulla culpa eſt in eo, quod factum fuiſſe accuſatur. Dubium quidem movere poſſet, quòd hoſtium quaſi unum corpus fictione quadam intelligatur, ac proinde, quod ab uno commiſſum eſt, ab omnibus commiſſum eſſe cenſeatur;

ſeatur; ſed ut aliquis puniri, aut ultio de eo ſumi poſſit, non ſufficit, ut fictione quâdam eadem perſona cum delinquente eſſe intelligatur; nam & Pater, & Filius, Uxor, & Maritus eadem finguntur perſona, nec tamen alter ob delictum alterius puniri poteſt. Ut igitur aliquis pœnæ, vel ultioni ſubjici poſſit, neceſſe eſt, ut ipſe deliquerit, non alius, cùm propter delictum alienum nemo innocens puniri queat: nec præſumptio capi poteſt, quòd ea, quæ à quibusdam vel ſponte, vel juſſu Ducum contra jus Naturæ perpetrata ſunt, totus ſtatim exercitus probare cenſeatur; & ſanè perquàm abſurdum eſt, ea, quæ accuſas, & pravè facta dicis, tanquam rectè facta velle imitari. Pertinacia autem in reſiſtendo, ſuppoſitâ belli juſtitiâ, ſupplicium non meretur; imò tantum abeſt, ut in eo crimen ſit, ut ex adverſo pro crimine habeatur, ſi quis præſidio deceſſerit. Vide Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 4. §. 13. & cap. 11. §. 16.*

XXII.

Cæterùm in perſona hoſtis læditur non tantùm cæde, & mutilatione, ſed etiam, ſi pudicitiæ fœminarum hoſtilium vis inferatur; & fuêre quidem Gentes, apud quas etiam ſtupra in fœminas hoſtiles impunita erant, quia ſolam ſpectârunt injuriam in corpus hoſtile; meritò tamen aliis moratioribus contrarium placuit, cùm talis efferatæ libidinis actus ad finem belli nihil faciat. Quamobrem maximè inter Chriſtianos non tantùm ùt diſciplinæ militaris pars, ſed etiam ùt pars juris Gentium obſervari debet, ut qui pudicitiam vi læſit, quamvìs in bello, ubique pœnæ obnoxius ſit. Grot. *dict. cap. 4. §. 19.*

XXIII.

In rebus hoſtis læditur depopulatione agrorum, incenſione oppidorum, vaſtatione munitionum, deſtructione portuum &c. quæ non minùs quàm hoſtis interfectio jure Gentium impunè licent; plus enim eſt, vitam hoſti adimere, quàm res ejus vaſtare, cui autem licet, quod plus eſt, non debet id, quod minus eſt, non licere. Ab hac tamen licentiâ bellicâ ſaltem, inter Chriſtianos, meritò excipiuntur Eccleſiæ, & quæ eis accedunt, quas nullâ co-

gente neceſſitate ex propoſito deſtruere impium eſt facinus, quanquam, ſi neceſſitas cogat, ſuppoſitâ belli juſtitiâ id prohibitum non ſit; ſæpè ab obſeſſis propria deſtruuntur templa, ſi exinde ipſis imminere poſſit periculum. Similiter etiam ſepulchris, & monumentis in honorem defunctorum exſtructis, uti & cœteris rebus, quæ ejus naturæ ſunt, ut ad bellum faciendum, aut ducendum nihil momenti habeant, veluti ſunt porticus, ſtatuæ, picturæ &c. parcendum eſſe, ratio jubet, *rabioſi enim animi eſt*, ùt inquit Polyb. *lib. 5. ea perdere, quæ nec hoſti perdita vires adimant, nec perdenti emolumentum afferant.* Laudat Cicer. *Verrin. 2.* Marcellum, quòd ædificiis omnibus Syracuſarum, publicis, & privatis, ſacris, & profanis ſic pepercerit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda veniſſet.

XXIV.

Dolendum ſanè eſt, quòd milites, ex quo hoſtile Solum ingreſſi ſunt, nihil non fas ſibi eſſe putant in res inimicorum, adeò, ut obvia quæque conculcent, & proſternant, cùm tamen jure Naturæ non niſi tribus in caſibus citra injuriam res alienas perdere permiſſum ſit. Primò, ſi ad id extrema, vel quaſi extrema cogat neceſſitas; hoc enim caſu reviviſcit primæva rerum communio, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed ita, ut annexa ſit obligatio reſarciendi damni, ſi quis reſarcire poſſit; in tantum enim in tali extremæ neceſſitatis caſu primæva reviviſcit rerum communio, in quantum neceſſarium eſt, ut imminens evitetur periculum; atqui ad hoc neceſſe non eſt, ut reviviſcat ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſufficit, ſi reviviſcat cum annexâ obligatione reſtituendi: ergò &c. Certè diſtinctioni dominiorum ampliùs derogari non debuit, quàm exigat neceſſitas. Secundò jure Naturæ rem alienam citra injuriam deſtruere permiſſum eſt, ſi alter, quod ex obligatione juſtitiæ commutativæ mihi debet, præſtare recuſet, ita tamen, ut res deſtructa imputetur in debitum quaſi percepta, quod tamen inter eos duntaxat procedit, qui vivunt in ſtatu naturali; in ſtatu autem civitatis hoc locum non habet; nam in ſtatu naturali ceſſant judicia non autem in ſtatu civitatis. Tertiò jure Naturæ licitum eſt, rem alienam deſtruere ad ulciſcendam illatam injuriam, modò ultio non excedat

menſuram delicti; nam propter levem duntaxat injuriam vaſtari non poteſt integra provincia. Hoc tamen rurſus inter eos tantùm locum habet, qui invicem vivunt in ſtatu naturali; in ſtatu autem civitatis, cùm Judex adiri poſſit, vindicta privata utique prohibita eſt. Vid. Grot. *lib. 3. cap. 12.* §. *1.*

XXV.

Alter belli publici effectus conſiſtit in jure acquirendi; nam jure Gentium quivis in bello publico ſine modo, & termino Dominus fit eorum, quæ hoſti, aut ejus ſubditis eripit, ita ut & ipſe, & qui ab eo titulum habent, ab omnibus Gentibus in poſſeſſione talium rerum tuendi ſint, tametſi is bellum iniquum gerat, aut plus, quàm debetur, eidem eripuerit; nudum enim factum ſpectant Gentes, illúdque utrinque pro juſto habent, quia de juſtitia, vel injuſtitia alieni belli pronuntiare nec volunt, nec debent: fiunt quidem etiam in bello, quod contra prædones, aut rebelles ſubditos geritur, capta capientium; at ex una duntaxat parte, idque ex jure Naturali non ex jure Gentium voluntario, quippe quod Gentibus tantùm proſpicit, non his, qui ſinè Gente ſunt, aut ſolùm pars Gentis ſunt. Grot. *cap. 6.* §. *2. junct. cap. 3.* §. *12. cit. lib. 3.*

XXVI.

Acquiruntur autem in bello publico tum res, tum perſonæ hoſtiles, & res ſive mobiles ſint, ſive immobiles, & porrò mobiles, tametſi fortè extra territorium utriusque partis bellum gerentis captæ ſint, cùm res hoſtiles eo loco habeantur, quo res nullius; poteſt quidem is, qui in eo loco imperium habet, lege ſuâ prohibere, ne id fiat, & ſi contra legem factum ſit, de eo, tanquam de delicto conqueri, & poſtulare, ut ſibi ſatisfiat; at nihilominùs res capta fiet capientis, perinde ùt fera beſtia etiam contra prohibitionem Domini in alieno capta capientis fit. Grot. *dict. lib. cap. 6.* §. *26. num. 2.* Quæ verò res hoſtium non ſunt, quamvìs apud hoſtes reperiantur, eæ bello acquiri haud poſſunt; nam res cenſentur ex conditione perſonæ, quæ ſi hoſtilis non ſit, nec res ejus tanquam hoſtiles occupari poſſunt, tametſi in oppidis, aut navibus hoſtium exiſtant;

diver-

diverſum eſt in perſonis, quæ, ut ſuprà diximus, ſi apud hoſtes exiſtant jure Gentium impunè interfici poſſunt, tametſi bellum gerenti ſubjectæ haud ſint, nimirum quia perſonæ mihi nocere queunt, non autem res; poteſt quidem hoſtis illis in meum damnum uti; at cauſa principalis damni non ſunt res, ſed hoſtis; interim tamen res, quæ in hoſtium oppidis, aut navibus exiſtunt, hoſtiles eſſe præſumuntur, donec contrarium probari poſſit. Grot. *cit. cap.* §. *5. & 6.*

XXVII.

Intelliguntur autem res hoſtiles tunc demum captæ, cùm ita detinentur, ut recuperandi ſpem probabilem alter amiſerit, quod in rebus mobilibus tunc fit, cùm intra fines, ſeu præſidia hoſtium perductæ fuerint, in immobilibus autem, cùm manſuris munitionibus ita includuntur, ut niſi iis expugnatis parti alteri palam aditus non ſit. Non igitur qualiscunque poſſeſſio ſufficit, ſed firma, ſtabilis ac duratura requiritur. Grot. §. *3. & 4.*

XXVIII.

Controverſum autem eſt, utrùm res bello publico ex hoſtibus captæ acquirantur ipſi populo, vel Regi bellum gerenti, an verò ſingulis, qui de populo, aut in populo ſunt, ac manu ſuâ ceperunt? Grot. *cit. cap. 6.* §. *10. & ſeqq.* rem hanc expedit diſtinctione factâ inter actus publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occaſione belli publici, ita ut per actus publicos res etiam mobiles jure Gentium acquirantur populo, aut Regi bellum gerenti, quoniam ſinguli Reipublicæ perſonam ſuſtineant, ejúsque vice fungantur, per actus privatos verò, quales ait eſſe dimicationes ſingulares & liberos, ac injuſſos excurſus, ſingulis, qui ceperunt; quia hoc caſu non intelligantur capere ut Miniſtri. Grot. adſtipulatur Kulpis *ad dict. cap. 6.* §. *2. Litt. I.* Sed verior videtur eſſe eorum ſententia, qui tenent etiam res mobiles ſine diſtinctione acquiri ei, cujus auſpiciis bellum geritur, quia capientes, ſive illi mercenarii ſint milites, ſive ſubditi, quibus militia pro imperio etiam citra ſtipendium injuncta eſt, ſemper agunt ex authoritate ſummi Imperantis ac proinde tanquam ejus inſtrumentum, cùm privatus quà talis nihil quid-

quidquam in bello gerere poſſit. Quidquid igitur ex præda obtinent ſinguli, id omne voluntati ſummi imperantis ſive expreſſæ, ſive tacitæ in acceptis referre debent. Vid. Ziegler. *ad* §. *12*. Henigeſ. *ad* §. *13*. Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 8. C. 6.* §. *21*.

XXIX.

Et quamvìs hac in re diverſi ſint populorum mores, & leges, ubique tamen propemodum receptum eſt, ut ſua faciant, quæ capiunt aut ſocii, aut ſubditi, qui ſuo ſtipendio & ſuo ſumptu, ſuóque periculo militant. Ratio in ſociis eſt, quia naturaliter ſocius ſocio tenetur ad reparationem damnorum, quæ ob negotium commune, aut publicum eveniunt. Niſi igitur cauſa alia, puta, mera beneficentia, aut pactum antecedens appareat, credibile eſt, ſpem ex hoſtibus lucrandi ſpectatam eſſe in damni, & operæ compenſationem, quippe, quæ vix gratìs præſtari ſolet. Subditis autem, qui ſuo ſumptu militant, aut quod plus eſt, ſuo ſumptu partem belli adminiſtrant, veluti qui naves ſuis impendiis inſtruunt, ac ſuſtentant, ejus, quod plus cœteris operæ, aut ſumptûs impendunt, & multò magìs damnorum retributio debetur à civitate, in cujus locum ſpes prædæ totius, aut partis incertæ facilè concedi ſolet. Hæc autem, quæ diximus, de rebus tantùm mobilibus intelligenda ſunt; res enim immobiles ei cedunt, qui ſuo nomine ſuſcepit bellum. Sic Romani, qui Ætolos adjuvabant adverſùs Philippum ſibi tantùm captivos, & res mobiles ſumebant, Ætolis verò urbes, & agros relinquebant. Liv. *lib. 26. cap. 24.* Grot. §. *23. & 24.*

XXX.

Jure autem Naturæ in bello etiam juſto hactenùs duntaxat acquiritur rerum captarum dominium, quatenus nobis ab hoſte debetur; tametſi enim ad ſecuritatem noſtram plus, quàm nobis debeatur, eripere permiſſum ſit, ceſſante tamen periculo id, quod plus ereptum eſt, vel in ſe, vel in pretio reſtitui debet. Cœterùm in debiti compenſationem, ùt jam ſuprà dictum eſt, etiam damna, & ſumptus ab altero in bellum facti veniunt, modò hoſtis, bellum, quod gerit, injuſtum eſſe ſciat; ſi enim bonâ fide credat, ſe juſtam

habere bellandi cauſam, res ereptas, vel ſi non ampliùs extent, in quantum ex illis effectus eſt locupletior, reſtituere quidem tenetur, ad damna autem per corruptionem illata, aut ſumptus, quos alter in bellum fecit reſtituendos obligatus haud eſt; quia culpâ caret.

XXXI.

Deinde qui bellum gerit, quod injuſtum eſſe ſcit, non tantùm præter debitum primarium, ratione cujus exortum eſt bellum, omnia quoque damna, & ſumptus ab altero in bellum factos eidem reſtituere tenetur, ſed inſuper etiam pati cogitur, ut propter illatam injuriam proportionata ſumatur ultio. Propter debitum prioris generis non tantùm ſummus Imperans, qui bellum injuſtum gerit, ſed & ſubditi tanquam fidejuſſores, & bona eorum, quaſi pignoris nexu jure Gentium ſunt obligata, quod quædam extorſit neceſſitas; aliàs enim magna daretur injuriis faciendis licentia, cùm bona Imperantium non tam facilè poſſint in manus venire, quàm bona privatorum. Propter debitum autem poſterioris generis ſubditi, eorúmque bona neutiquam tenentur; odioſum enim eſt, ut innocentes ſubditi, & eorum bona pro debito alieno ſint obligata, ac proinde jus Gentium hac in parte latiùs produci non debet, quàm appareat fuiſſe introductum, præſertim cùm inter debitum prioris, & poſterioris generis magnum ſit diſcrimen; nam illud, ſi non obtinemus, patimur damnum, vindictam autem ſine rerum noſtrarum jactura omittere poſſumus. Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 13. §. 1. & 2. junct. cap. 2. §. 2.*

XXXII.

Quamvìs autem non tantùm Imperantis, qui bellum injuſtum gerit, ſed & ſubditorum Innocentium bona eò uſque capi, & acquiri poſſint, donec ratione damnorum quoque, & ſumptuum in bellum factorum nobis fuerit ſatisfactum, quamdiu tamen ſpes ſupereſt, quod noſtrum facilè conſequi poſſimus ab originariis, & principalibus debitoribus, ad eos venire, qui culpâ vacant, prohibet humanitas, cùm bona ſubditorum pro debito Imperantium in ſubſidium duntaxat ſint obligata, quin & relinquenda illis ſunt, quibus nos faciliùs, quàm ipſi carere poſſumus, præſertim ſi ſatis appareat,

pareat, eos à ſuâ civitate nihil ampliùs recuperaturos eſſe. Grot. *ubi ſuprà* §. 4.

XXXIII.

Perſonarum hoſtilium acquiſitio eſt vel ſingulorum, vel univerſorum. Singuli ſervitutis perſonalis: univerſi autem ſervitutis civilis ſubeunt jugum, de quo alibi ſatis dictum eſt. Servituti Perſonali jure Gentium veteri ſubjiciebantur omnes bello publico capti, & intra præſidium hoſtium perducti, adeò, ut nequidem illi, qui bello repentè exorto fato ſuo intra fines hoſtium deprehenſi fuêre, ab hac calamitate fuerint exempti. Imò non ipſi tantùm, qui capti fuerant, ſervi fiebant, ſed & poſteri in perpetuum ex matre ſervâ nati, quod ideo placuit; quia alioqui, ſi ſummo jure captores uſi fuiſſent, illi ipſi nati nunquam eſſent. Sed & res omnes, quæ captæ fuerant, cum perſona acquirebantur Domino etiam incorporales, non quidem primò, ac per ſe, ſed mediâ perſonâ, cujus ea incorporalia fuerant, niſi fortè ex ſingulari perſonæ proprietate profluxiſſent, ac proinde inalienabilia ſint, veluti jus patrium, quæ enim hujus generis fuerant, vel manebant penes perſonam, ſi manere poterant, uti jus familiæ, & conſanguinitatis, vel ſi non poterant, extinguebantur, prout ſunt ea jura, quæ captivo competebant ex certa qualitate, quam habebat in patria. Erat autem jure Gentium poteſtas in ſervos vix non immenſa, adeo ùt JCtus Cajus in *l. 1. §. 1. ff. de his, qui ſui, vel alien. jur.* apud omnes peræquè Gentes Dominis in ſervos vitæ, necíſque poteſtatem fuiſſe dicat, quæ tamen infinita licentia apud Romanos conſtitutione Divi Antonini ad æquitatem redacta eſt. *cit. l. 1. §. 2.* Et hæc omnia ideo jure Gentium olim introducta fuêre, ut hac ratione allicerentur captores ad abſtinendum à ſummo illo rigore, quo captos & ſtatim, & poſt moram jure belli interficere poterant. Grot. *alleg. lib. 3. cap. 7. §. 1. & ſeqq.*

XXXIV.

Quamvìs autem jure Gentium bello etiam injuſto capti ſervi fiant capientium, fas tamen eſt ita captis, & qui ex iis naſcuntur, fugere, quia dominium, quod captores in ejuſmodi captivos con-

ſequuntur, in judicio tantùm humano, & coactior valet; ut enim captis parcere vellent, ſufficiebat facultas vindicandi ſervum, & cogendi, ac res ejus habendi, nec neceſſarium erat, ut animo quoque injiceretur Religionis vinculum, aut certè ſi quis iſtis utilitatibus non moveretur, nec obligatio conſcientiæ eum motura fuerat, ut captivo parcere vellet. Videri quidem poſſet, talem captivum propter beneficium ſervatæ vitæ fugere non poſſe, cùm pro eo ſe ad ſervitutem obligâſſe cenſeatur; at primò beneficium non confert, qui vitam non adimit, quam jure adimere non poteſt; aliàs & latro viatori conferret beneficium, ſi eundem non interficeret. Deinde gratìs dicitur, talem captivum ſe ad ſervitutem obligâſſe, cùm illa ex eo, quòd capto vita ſervetur, abſque promiſſione per ſe ſequatur.

XXXV.

Multùm autem intereſt, utrùm bello durante, vel pace jam factâ captivus fugerit. Si bello durante, porrò refert, utrùm fugerit ad ſuos, vel ad eos, qui partes in bello eaſdem ſequuntur, an verò ad alios. Si ad ſuos, vel ſocios fugerit, & poſtliminii jure is libertatem conſequitur. Si autem ad alios fugerit, aut pace jam factâ ad ſuos, vindicanti Domino reddendus eſt; quamvìs enim bellum injuſtum ſit, ab aliis tamen Gentibus pro juſto habetur, quoniam periculoſum foret, ſi aliena bella ad ſua arbitria revocare, ac de eorum juſtitia, vel injuſtitia pronuntiare vellent. Grot. *cit. cap. 7. §. 6.*

XXXVI.

Jure autem naturæ, qui in bello injuſto capti ſunt, libertate ſuâ non excidunt: ſi verò bellum ſit juſtum, perſonæ hoſtiles eò uſque tantùm capi, & in ſervitutem redigi poſſunt, quatenus ab hoſte debetur, niſi fortè propter peculiare delictum meritæ fuiſſent libertatem amittere. Et quamvìs olim jure Gentium poteſtas, in ſervos vix non immenſa fuerit, adeò, ut apud omnes peræquè Gentes, velut paulò antè dictum eſt, Domini in ſervos vitæ, necíſque habuerint poteſtatem, jure tamen Naturæ etiam in eos, qui juſto bello capti ſunt, non niſi modica, quatenus ſcilicet neceſſitas exigit,

exigit conceſſa eſt caſtigatio. Deinde etiam operæ, quas ſervus Domino pro alimentis præſtare tenetur, cum modo, & habitâ ratione valetudinis exigendæ ſunt. Quòdſi ſervilis officii modum excedat, & aliquid liberâ voluntate, non ex imperio præſtet, etiam beneficium Domino exhibere cenſetur. Similiter ſi quid ſuum defraudans genium comparſerit, aut ſucceſſivi temporis diligentiâ quæſiverit, id aliquo modo ipſius eſt, nec citra delictum, aut neceſſitatem Domini ſervo adimi debet. Imò humanitas exigit, ut poſt longas operas, aut valde magnas etiam ſervo libertas detur. Grot. *cap. 14.* §. *1. & ſeqq.* At

XXXVII.

Quæres. Utrùm fugere poſſit, qui bello juſto captus eſt? ℞. cum Grot. *cit. cap. 7.* eum fugere non poſſe; quia ex communi Gentium Conventione operas ſuas civitatis nomine debet, niſi intolerabilis ſævitia Domini ei hanc imponeret neceſſitatem.

XXXVIII.

Planè jure Gentium recentiori inter Chriſtianos recepto capti non ampliùs fiunt ſervi capientium; manſit tamen etiam inter Chriſtianos mos captos cuſtodiendi, donec vel invicem permutentur, vel pretio redimantur, cujus determinatio, niſi certi aliquid convenerit, in arbitrio Victoris eſt: dictat tamen humanitas, non ultrà intendi debere, quàm eo deducto, ne egeat captus rebus neceſſariis. Quòdſi conventio de pretio facta ſit, tametſi poſtea captus intelligatur eſſe locupletior, quàm credebatur, illa tamen propterea reſcindi non poteſt; quia jure Gentium externo nemo cogitur ſupplere, quod in contractu minùs æquo promiſit pretio, ſi dolus non interceſſit. Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 21.* §. *27. junct. lib. 2. cap. 12.* §. *26.* Ubi tamen

XXXIX.

Quæres I. Utrùm pretium conventum, & ante mortem non ſolutum ab hærede debeatur? ℞. cum Grot. *dict. cap. 21.* §. *29.* intereſſe, utrùm in captivitate mortuus ſit, vel cùm jam in libertate eſſet. Illo caſu pretium non debetur, quia promiſſioni inerat

conditio, ſi liberaretur, mortuus autem non liberatur. Hôc autem caſu debetur; jam enim lucratus erat id, pro quo promiſſum fuerat pretium, niſi forte ita conventum ſit, ut tunc demum ſolvendum ſit pretium, ſi die præſtituto, qui captus eſt, liber vivat, quod tamen ùt minùs naturale non præſumitur, ſed manifeſtis documentis probari debet. Ex adverſo etiam ita conveniri poteſt, ut ſine conditione recuperatæ libertatis ab ipſo contractûs momento debeatur pretium, ita ut captivus interim, donec id ſolvatur, retineatur tantùm ùt à ſe oppignoratus, non ampliùs ùt jure belli captus, quod tamen & ipſum non præſumitur, ſed liquidò probari debet.

XL.

Quæres II. Utrùm in captivitatem redire debeat, qui dimiſſus eſt ſub pacto, ut faceret dimitti alterum, qui ante liberationem mortuus eſt? Placet negativa; nam ex unâ parte, ùt ſuppono, hoc expreſsè conventum non eſt, ex alterâ autem parte favor libertatis non patitur, ut hoc tacitè actum eſſe intelligatur: interim tamen dimiſſus hoc caſu libertatem ſuam lucrifacere non debet, ſed ejus, quod præſtare non poteſt, æſtimationem perſolvet; quamvìs enim in promiſſis liberalibus promittens liberetur, ſi factum tertii, quod promiſit, ſecutum non ſit, modò, ut ſequeretur, ex ſua parte fecerit omne id, quod potuit, aliter tamen ſe res habet in promiſſis onerofis, ubi promiſſor non liberatur, tametſi is omnem poſſibilem operam adhibuerit, ut factum tertii promiſſum ſequeretur, ſed eo non ſecuto obligatur ad id, quod tantundem valet; qui enim contrahendo aliquid de ſuo dat, vel promittit, ille vult, ut viciſſim reipſa ſibi aliquid præſtetur. Confer. Grot. *dict. cap. 21. §. 30. junct. cap. 15. §. 3. num. 3. lib. 2.*

XLI.

Quamvìs autem jure Gentium res, & Perſonæ hoſtiles bello publico captæ capientibus acquirantur, eodem tamen Gentium jure rurſus deſinunt eorum eſſe, ſi poſtliminiò vel revertantur, vel recipiantur. Reverti dicuntur homines, qui liberi antea fuêre, non tantùm ſinguli, ſed & univerſi. Singulis jus poſtliminii competit vel in Pace, vel in Bello. In Pace illis demum poſtliminium competit,

petit, qui bello repentè exorto fato ſuo in hoſtico deprehenſi ſunt; quamvìs enim durante bello ad minuendas hoſtium vires retineri poſſint, cùm tamen nullam intelligantur injuriam feciſſe, nihil ampliùs finito bello obtendi poteſt, quò minùs dimittantur, tanquam confeſſione partium innocentes, ac proinde tametſi in pace eorum nulla ſit facta mentio, tamen pro deſertis à Republica haberi non poſſunt. Aliis autem captivis, qui armis inferiores in poteſtatem hoſtis venerunt, bello finito poſtliminium non eſt, niſi in pacis conditionibus comprehenſum ſit, ut captivi liberi dimitterentur; qui enim in actu repugnandi capti eſſe cenſentur, quaſi injuriam hoſti fecerint, quòd repugnare ſint auſi; nam cùm utraque pars credi velit, quòd juſta ex cauſa ſuſceperit bellum, pòpuli pacati, ne aliàs inviti bello alieno implicarentur, nihil melius facere potuerunt, quàm ſi id, quod eveniſſet, pro jure acciperent, & cùm illorum nulla in pace ſit facta mentio, pro deſertis à Republica habentur. Durante autem bello poſtliminio gaudent, modò eo animo ad ſuos redièrint, ut res eorum ſequerentur, nec poſtquam capti fuerunt, ſpeciali pacto ſe in ſervitutem tradiderint, ſive deinde vi bellicâ erepti ſive dolo elapſi, ſive ſponte ab hoſtibus dimiſſi ſint. Univerſi poſtliminiò revertuntur, ſi populi, qui antea liberi fuerant, vel vi ſociorum hoſtili eximantur imperio, aut propriis viribus ſe in priorem vindicent libertatem, modò nulla adhuc pactio interceſſerit. Confer Grot. *lib. 3. cap. 9. §. 1. & ſeqq. uſque ad §. 11.*

XLII.

Poſtliminiò verò recipiuntur tum homines, tum res; & homines vel ſinguli, ùt ſervi, & ancillæ, vel univerſi, puta ſi populum noſtro imperio ſubjectum aliquis ſociorum rurſùs hoſti eripuerit; niſi enim aliter in fœdere ſociali cautum ſit, talis populus ſub noſtrum recidit imperium. Res autem vel mobiles ſunt, vel immobiles. Mobiles vel hoſti ereptæ ſunt, antequam ab eo intra præſidia ſua fuerint perductæ, vel poſtquam jam eò perductæ ſunt. Illæ poſtliminii jure non indigent, quia non deſierunt noſtræ eſſe. Hæ verò poſtliminiò non recipiuntur, ac proinde tametſi vel à fœderatis, vel à noſtris hoſti rurſùs fuerint ereptæ, vel commercio compa-

comparatæ ad eos, aut aliòs populos pacatos pervenerint, prior tamen Dominus eas vindicare haud poterit. Res autem immobiles haud dubiè eodem bello recuperatæ poſtliminio recipiuntur, *verum eſt*, inquit Pomponius *l. 20. ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ. expulſis hoſtibus ex agris, quos ceperint, dominia eorum ad priores Dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ loco cedere.* Confer. Grot. *ubi ſupra §. 11. & ſeqq.*

XLIII.

Quamvìs autem res mobiles non gaudeant jure poſtliminii, ſi tamen in bello injuſto ſint captæ, non tantùm ab eo, qui cepit, ſed & ab aliis, ad quos commercio pervenêre, reſtituendæ ſunt, cùm bellum injuſtum tam parùm ei, qui cepit, quàm parùm rapina raptori dominium in foro interno conferre poſſit; unde nec is in alios potuit transferre. Poteſt tamen bonæ fidei poſſeſſor rem bello injuſto captam præſcribere, ſive is, cui erepta eſt, eidem ſummo Imperio ſubjectus ſit, ſive non; licèt enim Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 16. §. 5.* exiſtimet, inter eos, qui alii aliis externi ſunt, non niſi præſumptæ derelictioni locum eſſe, mihi tamen contrarium verius eſſe videtur, modò in territorio poſſeſſoris lex uſucapionis ſit recepta; quia res tenetur territorii legibus, ùt ipſe Grot. agnoſcit *lib. 2. cap. 4. §. 1.* Cœterùm cùm jure Gentium recentiori inter Chriſtianos recepto capti non ampliùs fiant ſervi capientium, reſpectu perſonarum etiam jus poſtliminii jam dudum evanuiſſe conſtat.

XLIV.

Quid, & quantum in bello publico tum jure Naturæ tum jure Gentium externo liceat, aut ſaltem impunè fiat, ſatis hactenus dictum eſt; cùm autem pleráque ad eos pertineant, qui publica exequuntur imperia, ideò jam videndum nobis etiam eſt, quid privatim liceat; ubi jus Gentium ſeparari debet à jure Naturæ. Jure Gentium externo hoſtem publicum ubique locorum perſequi, occidere, & bonis ſpoliare cuilibet permiſſum eſt; quia hoc jure hoſtes pro nullis habentur. Accedit, quòd bellum indictum ei, qui ſummum in populo imperium habet, ſimul omnibus etiam ejus ſubditis indictum eſſe cenſeatur, unde & ſummus Imperans omnibus

nibus ſuis ſubditis licentiam, hoſtem quoquo modo lædendi conceſſiſſe intelligitur. Jure autem Naturæ cuivis ſubdito privato conceſſum eſſe videtur, ea facere, quæ ſummo ſuo Imperanti, quem juſta ex cauſa bellum gerere credit, intra juſtum bellandi modum profutura eſſe confidit; res autem, quas hoſti eripit, ſuas non facit; quia nihil ipſi debetur, niſi pactum cum civitate interceſſerit, vi cujus privato, qui fortè ſuo ſumptu partem belli ſuſtentat in compenſationem impenſarum, laboris, & periculi ſpem prædæ conceſſit, quo caſu is utique res hoſti ereptas ſuas facit, ubi tamen civitas id, quod privatus hoſti eripit, in debitum quaſi perceptum imputare debet. Planè ſi privatus damnum paſſus ſit ab hoſte, non videtur ei prohibitum eſſe, ad modum damni, quod perpeſſus eſt, res hoſti eripere, & ſe indemnem ſervare, etiamſi deſuper cum ſummo Imperante ſpeciale pactum initum haud ſit.

§. VI.

De arbitris compromiſſariis, ſorte, & ſingulari certamine.

SUMMARIA.

I. *Bellum declinatur, vel finitur primò ſententiâ Arbitri.*

II. *Utrùm orbi Chriſtiano expediret, ſi communi conſenſu Concilium Generale inſtitueretur cum poteſtate decidendi controverſias Regnantium? Ratio pro affirmativa prima.*

III. *Ratio ſecunda.*

IV. *Ratio tertia.*

V. *Præfertur ſententia negativa, cujus Ratio prima:*

VI. *Secunda.*

VII. *Tertia.*

VIII. *Compromittere poſſunt, qui liberam habent de re controverſa diſponendi facultatem.*

IX. *Non poſſunt ſummi Imperantes inviti cogi, ut in Arbitros compromittant.*

X. *Poteſt in plures etiam pares numero compromitti.*

XI. *Tenetur arbiter, niſi aliud ſit expreſſum, in decidendâ controverſiâ jus Naturæ, & Gentium ſequi; item de principali negotio, non de poſſeſſione pronuntiare.*

XII. *Tenentur compromittentes ſententiæ arbitri ſtare.*

XIII. *Affines Arbitris ſunt Mediatores.*

XIV. *Liberum cuivis eſt, oblatam mediationem acceptare, vel recuſare.*

XV. *Quodnam ſit officium tum Mediatorum, tum partium?*

XVI. *Secundò bellum tum declinatur, tum finitur ſorte, ubi tres reſolvuntur quæſtiones.*

XVII. *Tertiò denique bellum tum declinatur, tum finitur ſingulari certamine.*

XVIII. *Utrùm ejuſmodi certamina belli finiendi, aut vitandi causâ ſuſcepta ſint licita?*

I.

COntraria belli ſunt modi, quibus bellum vel declinatur, vel finitur vel ſiſtitur. Declinatur autem, vel finitur primò ſententiâ arbitri, quæ via tametſi plerumque noſtrâ ætate potentioribus ſpernatur, digna tamen eſt, quam inſiſtant æqui, & pacis amantes. Fecêre id olim magni Reges, ac Populi. Sic Aricini, atque Ardeates de ambiguo agro cùm ſæpè bello certâſſent, multis invicem cladibus feſſi judicem Populum Romanum cepêre. Liv. *lib. 3. cap. 71.* Philippus Rex Macedonum in colloquio, quod cum conſule Romano habuit, dixit: *Si quas quererentur belli cladès eæ civitates, cum quibus bellatum fuit, arbitrio, quo vellent, populorum, cum quibus pax utriſque fuiſſet, uſurum ſe eſſe.* Liv. *lib. 32. cap. 16.* Inter populum Carthaginenſem, & Regem Maſaniſſam diſceptatores fuerunt Romani. Idem *lib. 40. cap. 16. in fin. cum ſeqq.* Romani ipſi Regum aliàs, ùt Flor. *lib. 3. cap. 18. num. 7.* loquitur, & Gentium arbitri de controverſiis cum Samnitibus ad communes ſocios provocârunt. Liv. *lib. 8. cap. 23.* Imò Henricus IV. Galliarum Rex è re Chriſtianâ fore putavit, ſi Concilium quoddam Generale, coram quo omnes Chriſtianorum Regum, ac populorum controverſiæ diſceptarentur, communi eorum cenſenſu inſtitueretur, ac in medio Europæ collocaretur. Num rectè? Videbimus. Eſt ergò

II.

II.

Quæſtio Politica: Utrùm orbi Chriſtiano expediret ejusmodi Concilium Generale inſtitui cum poteſtate decidendi controverſias Regnantium? Affirmativam tenet Grot. *lib. 2. cap. 23. §. 8. Num. 4.* ubi hoc non tantùm utile, ſed & factu quodammodo neceſſarium eſſe arbitratur, cui non una tantùm ratio ſuffragari videtur; Nam primò ita omne in orbe Chriſtiano exulabit bellum, prôh quàm immanis bellua, quæ tot myriadum hactenus innocuum hauſit cruorem, necdum tamen ſitim reſtinxit ſuam, tot millia hominum pecudum inſtar in duriſſimam abduxit ſervitutem, tot florentiſſimas familias vel extirpavit, vel in extremam conjecit egeſtatem, tot ædes ſacras, & Religioſas, nullâ Divini, nullâ humani juris habitâ reverentiâ vel Solo æquavit, vel ſpoliavit, & profanavit, tot nobiliſſimas urbes redegit in cineres, ut non niſi nomen ſuperſit, tot fœcundiſſimas provincias devaſtavit, Regna integra evertit, & ipſam tandem Naturam humanam, quam Deus manſuetam fecit, in ferocem, efferam, ac propemodum belluinam deplorandâ metamorphoſi transmutavit. Hæc, & infinita alia, quæ bellum ſecum trahit, mala, inſtituto tali ſenatu generali ceſſabunt, omnia erunt tuta, ſecura, tranquilla, pacata, proſpera ſingulorum conditio, beata Regnorum, & Rerumpublicarum ſors, felix denique totius Europæ noſtræ ſtatus, cui perpetua, & nunquam deſitura pax affulgebit.

III.

Secundò, inſtituto tali concilio juſta ſemper triumphabit cauſa; quia non vi, ſed jure certabitur, ubi non perfunctoriâ tantùm operâ, ſed ſummo, quo fieri poteſt, ſtudio omnia perveſtigabuntur, unius, & alterius partis momenta rationum accuratâ juſtitiæ trutinâ ponderabuntur, ac tandem à viris juris Naturæ, & Gentium peritiſſimis pro eo pronuntiabitur, quò incorruptæ lancis examen inclinabit. At ubi non jure, ſed vi agitur, non rationum momentis, ſed bellicis tormentis pugnatur, juſta cauſa haud raro victas dare manus cogitur; plerúmque enim officio judicis malè fungitur Mars, & quem condemnare oporteret abſolvit, quem abſolvere,

 condem-

condemnat; nimirum ſtateram non habet, quâ libret cauſarum merita, ſed furioſi inſtar cæco eas impetu dirimit, parùm ſollicitus, num benè, vel malè judicet, benè gnarus, ſe pœnis malè judicantium obnoxium haud eſſe.

IV.

Tertiò, tametſi orbis Chriſtianus in plura Regna, & Respublicas ſit diviſus, unum tamen in Chriſto corpus manet, cujus præcipua membra ſummæ ſunt poteſtates. Uti ergo in qualibet communitate politica non tantùm utile, ſed & neceſſarium eſt, dari Magiſtratus, qui lites privatorum æquâ terminent ſententiâ, ita multò magìs in hoc magno Chriſtianorum cœtu non tantùm utile, ſed neceſſarium etiam erit, unanimi eorum, qui communem judicem non habent, compromiſſo ſenatum inſtitui generalem ex omnibus Chriſto addictis populis ſelectum, coram quo cauſæ inter ſupremas poteſtates controverſæ pertractentur, & definiantur; nimis enim periculoſum eſt, in ſua cauſa judicem agere, ubi philautia, & aliæ animi paſſiones plerumque Aſſeſſorum munere fungi, & jus ſuffragii ſibi vendicare ſolent, peſſimi ſanè conſiliarii, interim tamen benevolæ plerùmque illis præbentur aures, itur in eorum ſententiam, ùtùt injuſtam, & ut executioni mandetur, prorumpitur ad bellum, eripitur punctum terræ, & cœlum perditur; ubi enim ſunt illi, qui bello injuſto parta reſtituant, ac damna innocentibus illata reſarciant? & tamen niſi æternùm perire velint, hoc eſt neceſſarium. Ut igitur pax, & tranquillitas in orbe Chriſtiano conſervetur, ac tot injuſta evitentur bella, ſi non neceſſe, ſaltem perquam utile erit, ut ejusmodi Concilium Generale communi conſenſu inſtituatur, & erigatur.

V.

Videntur tamen fortiores pro contraria ſententia ſtare rationes; nam primò non una tantùm ætas efflueret, donec pars potior ejusmodi Aſſeſſorum, qui linguâ, moribus, genio, & ingenio inter ſe forent diverſiſſimi, eidem tandem ſubſcriberent ſententiæ; prætterquam enim quòd homines, præſertim diverſarum adeò Nationum ad diſſentiendum aliàs proclives admodùm ſint, quisque inſuper

ſuo ſuffragio eò inclinaret, quò eundem ſuæ Reipublicæ traherent rationes, quæ cùm inter ſe pugnent, nec quod uni Reipublicæ utile eſt, id & alteri expediat, non poſſet non ſumma inter ſuffragantes naſci diſſenſio, & altercatio.

VI.

Secundò, quamvìs major tandem Senatorum pars in eandem conſpiraret ſententiam, illa tamen talis non foret, qualem jus Naturæ, & Gentium præſcribit, ſed qualem ſpuria ſtatûs ratio dictare ſolet, quæ ubique jam principatum tenet, & conſilia dirigit. Pauci certè ſunt, qui hoc idolum non adorant, plerique inſtar brutorum animantium ad ſuas tantùm utilitates feruntur, nec jam ampliùs quæritur, quid juſtum ſit, ſed quid expediat imò nihil injuſtum eſſe cenſetur, quod utile creditur, adeò ut ſi ad ſervandam Europæ bilancem neceſſe eſſe videatur, ut uni de amplitudine imperii ſui quidpiam detrahatur, & minùs potenti adjiciatur, jam lata ſit ſententia condemnatoria, utut jus Naturæ reclamet, quòd nemini ex ſolo creſcentis potentiæ metu ſuum auferri patitur, adeò altas jam apud plerosque perverſum hoc Pſeudopoliticorum dogma radices egit. Neque quisquam ſibi blandiatur, aliâ ampliſſimi hujus ſenatûs Proceres viâ inceſſuros eſſe, etiam hìc perverſa ſtatûs ratio Præſidis, & Directoris munus obibit, tum quia toti ex nutu ſuorum dominorum dependebunt, ac inſtar judicum pedaneorum præſcriptæ ſibi formulæ adſtricti erunt, tum quia non alii ad hoc officium ſeligentur, quàm quos quisque ſibi, & ſuæ Reipublicæ addictiſſimos, & pſeudopoliticis principiis optimè imbutos eſſe noverit. Denique

VII.

Tertiò executio plerumque foret perdifficilis, & periculoſa; quid ſi enim is, contra quem pronuntiatum fuiſſent, arbitrali ſententiæ ob prætenſam ejus iniquitatem ſtare nollet, quis ad hoc coget? num Generale fortè Concilium? At unde tanta illi potentia? An ſocia cœterorum compromittentium arma? Ita ſanè, nec enim alia cogendi videtur ſupereſſe ratio. At quid ſi ille nec pluribus impar ſit? Quid ſi quidam pacis, ac tranquillitatis publicæ aman-

tiores cum aliis arma ſua conjungere nolint? quid ſi ſuffragiis majoris partis victi, vix enim unquam omnes in eandem ibunt ſententiam, ſeſe condemnato adjungant? Ita ſanè univerſus orbis Chriſtianus ad arma conclamabit, erítque bellum tam atrox, quale nulla retrò ætas vidit. Quid autem ad hoc populi infideles? An eos meros ſaltem ſpectatores fore arbitramur; An non potiùs metuendum erit, ne totis collectis viribus infelicem, mutuíſque cladibus afflictam, & attritam Europam terrâ, maríque ſint invaſuri, ac nobiliſſimas ejus provincias turcicum ſub jugum miſſuri? Quid ſi & quidam ex Chriſtianis in turbido hoc rerum ſtatu piſcari vellent. Faceſſite ergo, quicunque ejusmodi Concilium Generale orbi Chriſtiano utile futurum eſſe exiſtimatis. Sed placet è diverticulo reverti in viam.

VIII.

Sententiâ igitur arbitri bellum tum declinatur, tum cœptum finitur; qui enim ad terminandam controverſiam arbitrum aſſumunt, ſibi invicem promittunt, quòd ejus ſententiæ ſtare velint, quæ promiſſio utique ſervanda eſt, modò compromittentes liberam de re controverſâ habuerint diſponendi facultatem. Unde Reges ſuper parte regni controverſâ non aliter compromittere poſſunt, quàm ſi regnum ſit patrimoniale, aut populi, vel ordinum, qui populum referunt, conſenſus accedat; qui enim compromittunt, ſibi mutuò pollicentur, quòd rem controverſam alteri ceſſuri, aut relicturi ſint, ſi arbiter pro eo pronuntiaverit, quod Reges promittere haud poſſunt, niſi regnum ſit patrimoniale, vel populi, aut Procerum conſenſus accedat, ut conſtat ex iis, quæ alibi dicta ſunt. Si autem de toto regno lis ſit, tunc intereſt, utrùm jus utriusque ad regnum ſit certum, & tantùm controverſum exiſtat, quisnam alteri ſit præferendus, vel utrùm ipſum jus ad regnum ſit dubium. Illo caſu conſenſu populi opus haud eſt; cùm enim lex ſucceſſoria utrumque ad ſceptrum vocet, populi nihil intereſt, utrùm hìc, vel ille regnum capeſſat. Deinde in propoſito uterque compromittentium in eum eventum, quo arbiter contra ipſum pronuntiaverit, jure ſuo ad regnum cedit: atqui jure ſuo ad regnum etiam ſine populi conſenſu quisque cedere poteſt: ergo in propoſito uter-

que

que ſine conſenſu populi compromittere poteſt, ac per conſequens ſi purificatâ ceſſionis conditione lex ſucceſſoria alterum ad thronum vocet, novo populi conſenſu opus haud eſt, ut is regnum apprehendere poſſit. Si tamen alii ex familia Regnatrice ſupereſſent, qui potius jus haberent, non aliter is, pro quo arbiter pronuntiâſſet, ad regnum admitteretur, quàm ſi & illi in compromiſſum conſenſiſſent, cùm ceſſione compromittentis ſpes, vel jus ſuccedendi in regno ex pacto primi acquirentis aliis quæſitum, ipſis invitis auferri neutiquam poſſit. Hoc autem caſu ei, contra quem pronuntiatum eſt, compromiſſum quidem nocet, alteri autem, pro quo arbiter pronuntiavit, prodeſſe non videtur, niſi & populi conſenſus acceſſerit, quia jure, quod ſe ad regnum habere putabat, cedere quidem potuit, non autem alteri jus dare, quia nullum fortè habuit. At

IX.

Quæres. Utrùm populus, vel qui populum regunt, etiam inviti cogi poſſint, ut in arbitros compromittant? Equidem jure Romano nemo invitus arbitrium recipere cogitur. *lib. 3. §. 1. ff. de Recept.* &c. At jure Gentium ob maxima incommoda, quæ ex ſpreto arbitrio oriri ſolent, ſecùs eſſe putat Teſmar. ad Grot. *lib. 2. cap. 23. §. 8. Lit. A.* ſed verior eſt ſententia contraria, quia id nec uſu continuo Gentium, nec teſtimonio peritorum probatur, aliter autem jus Gentium univerſale probari haud poteſt. Et ſanè iniquum eſt, eum, qui judicem in terris non habet, invitum cogere, ut cauſam ſuam aliorum arbitrio ſubjiciat, qui non ex juſtitiæ legibus, ſed ex dictato ſpuriæ rationis ſtatûs eandem forent deciſuri; nam ùt ſupra dictum, eò noſtrâ ætate jam deventum eſt, ut plerique ſummorum Imperantium non ampliùs quærant, quid juſtum ſit, ſed quid ſuæ Reipublicæ expediat.

X.

Poteſt autem non in unum tantùm, ſed etiam in plures, ſive pares, ſive impares numero, compromitti, licèt conſultius ſit, ut in impares numero compromittatur, ne aliàs ob paritatem ſuffragiorum res ſine exitu relinquatur, ùt benè obſervat JCtus in *l. 17. §. 6.*

§. *6. ff. de Recept.* Quod autem ſubjungit, ſi in duos fuerit compromiſſum, eos, ſi inter ſe diſſentiant, cogendos eſſe, ut tertiam certam eligant perſonam, cujus authoritati pareatur, hoc lege civili quidem induci potuit, juri tamen Naturæ non videtur convenire; quia compromiſſa ſtricti ſunt juris, nec à perſona ad aliam, præſertim tempore facti compromiſſi compromittentibus incognitam extendi poſſunt. Neceſſe igitur eſt, ut in eventum diſſenſûs ipſimet certam exprimant perſonam, cujus ſententiæ ſtare velint, ùt factum eſt in cauſa Aurelianenſi, ubi in caſum, quo ſacra Cæſarea, & Regia Majeſtas Galliarum tanquam electi arbitri ab invicem diſſentirent, res ſummi Pontificis relicta eſt arbitrio, cujus etiam ſententiâ res tandem eſt deciſa.

XI.

Tenetur autem arbiter in decidenda controverſia jus naturæ, & Gentium, non leges civiles ſequi, niſi aliud in compromiſſo fuerit expreſſum, quod ſtrictè eſt obſervandum; ſi enim ejus limites exceſſerit, ſententia ipſo jure nulla erit. Deinde de principali negotio pronuntiare debet, non de poſſeſſione; qui enim poſſidet, jure Gentium pro Domino habetur. Unde pendente cognitione nihil erit innovandum, præſertim cùm inter ſummas poteſtates recuperatio poſſeſſionis difficilis admodùm ſit. Grot. *lib. 3. cap. 20.* §. *48.* Planè ſi poſſeſſio dubia ſit, & uterque ſe poſſidere contendat, etiam jure Naturæ, & Gentium cognitio, & diſcuſſio ſummaria de poſſeſſione præmittenda eſſe videtur, tum ut partes interim quietæ ſint, & à vi armatâ abſtineant, tum ut ſciatur, cuinam onus probandi incumbat; nam etiam jure Naturæ poſſeſſio relevat ab onere probandi, illúdque in adverſarium rejicit. Ziegler ad Grot. *dict.* §. *48.*

XII.

Tenentur autem compromittentes ſententiæ arbitri ſtare, ſive æqua ſit, ſive iniqua, non quidem propter authoritatem rei judicatæ, ſed ob conventionem, & pœnæ adjectionem, ſiqua fuerit adjecta, niſi tamen manifeſtò appareat, arbitrum cum unâ parte colluſiſſe, aut ab eâdem donis fuiſſe corruptum, quo caſu ejus ſen-

tentia

tentia non ſtringeret; qui enim apertè ad alterutram partem ſe vertit, arbitri perſonam haud ampliùs gerere poteſt. Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 5. cap. 13. §. 4. in fin.* Multò minùs ſententia arbitri valeret, ſi is nec pro unâ, nec pro alterâ parte, ſed pro ſe ipſo pronuntiaret, velut Romani fecerunt, qui ab Aricinis, & Ardeatibus arbitri electi, agrum inter eos controverſum, improbantibus quidem Patribus, & facinus deteſtantibus, at Tribubus prævalentibus ſibi ipſis adjudicârunt, ut refert Liv. *lib. 3. cap. 72.*

XIII.

Affines arbitris compromiſſariis ſunt mediatores, qui bellum parantibus, aut jam gerentibus ſeſe interponunt, eósque authoritate, & rationibus ad pacificè tranſigendum, litésque ſopiendas permovere nituntur, ac proinde poteſtatem decidendi non habent, ſed tantùm facultatem monendi, ſuadendi, proponendi conditiones, quibus ipſæmet partes inter ſe convenire, & amicabili modo controverſiam terminare poſſint, niſi fortè una, alteráve res eorum deciſioni, ac determinationi ultrò ſit relicta.

XIV.

Tametſi autem illi, qui neutrarum ſunt partium, vulgò ſui officii eſſe ducant, diſſidentes in concordiam reducere, eúmque in finem etiam non implorati operam ſuam offerre ſoleant, liberum tamen cuivis manet, utrùm oblatam operam acceptare, vel recuſare velit, præſertim ſi is, qui offert, ſuſpectus ſit, & verbo quidem neutrarum ſe partium eſſe profiteatur, animo autem alteri plus juſto affectus eſſe, aut ſuam duntaxat utilitatem quærere credatur. Sic cùm Legati Rhodii miſſos ſe eſſe dicerent ad pacem inter Romanos, & Perſeum faciendam, quòd id bellum grave, atque incommodum Græciæ omni, ſumptuoſum, ac damnoſum ipſis Romanis eſſet, abs ſenatu ipſis reſponſum eſt, *Rhodios nec utilitatem Græciæ, nec curâ impenſarum populi Romani, ſed pro Perſeo legationem eam miſiſſe; nam ſi ea fuiſſet cura, qua ſimularetur, tum mittendos legatos fuiſſe, cùm Perſeus in Theſſalia exercitu inducto per biennium græcas urbes, aliàs obſideret, alias denuntiatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam, poſtquam ſuperatos ſaltus transgreſ-*

ſosq; in Macedoniam Romanos audirent, & incluſum teneri Perſea, tunc Rhodios legationem miſiſſe, non ad ullam aliam rem, quàm ad Perſea ex imminenti periculo eripiendum; & cum hoc reſponſo legatos dimiſſos eſſe refert Liv. *lib. 45. cap. 3.* Si tamen oblata ad conciliandam pacem opera recuſetur, ſuperbia, & contemptus abeſſe debet, quo plurimùm irritari ſolent, quorum authoritas ſpernitur.

XV.

Si verò acceptetur, officium Mediatorum erit, ut quæ tractationi negotii nocitura eſſe viderint, ſuâ prudentiâ, & moderatione avertant, removeántque, deinde ut validis rerum argumentis utantur, minis, & objurgationibus abſtineant, non id agant, ut controverſia potiùs foveatur, aut ſaltem protrahatur, quàm componatur, æquos ſe utrique parti præbeant, nec ad alterutram inclinent, niſi eò trahat æquitas & cauſæ juſtitia. Bœcler *Diſſert. Quies in turbis propè fin. verſ. Illis porrò* &c. Partibus verò, ſi bonâ fide agere velint, præcipuè incumbit, ut animum ſincerum afferant, amicabili modo controverſiam terminandi; unde conditiones æquas rejicere non debent, aut ſi minùs æquas eſſe putent, rationes afferre, cur eas nequeant acceptare; ſi enim illas ſuperbè, & temerè recuſare videantur, in gravem Mediatorum offenſionem incurrunt, ac invidiam in ſe concitant; quare facilè accidere poſſet, ut cum altero, qui propoſitas conditiones acceptaret, contra temerè recuſantem arma conjungerent, quod ipſis prohibitum non eſt, cùm arma ſua quivis cum eo ſociare poſſit, cui injuriam fieri judicat, præſertim ſi periculum ſit, ne ſucceſſu temporis in ſuum quoque detrimentum redundet. Vid. Puffendorf *ſuprà cit. cap. 13. §. 7.*

XVI.

Alter modus, quo bellum tum declinatur, tum cœptum finitur, eſt ſors, ubi tres quæſtiones, quas perperam nonnulli inter ſe confundere videntur, accuratè ab invicem ſeparandæ ſunt. Prima eſt, utrùm per ſe licitum ſit, ad declinandum, vel finiendum bellum, rem controverſam ſorti, & judicio fortunæ ſubjicere? Quod utique affirmandum eſt; nec enim id neceſſariam cum natura rationali quà tali habet diſconvenientiam, ac proinde jure Naturæ vetitum

non

non eſt: ergo hoc ipſo permiſſum, & licitum. Altera eſt, quiſnam ad declinandum, vel finiendum bellum rem ſorti committere poſſit? Et in hac quæſtione rurſus dicendum eſſe videtur, illum demum rem ſorti committere poſſe, qui de cauſâ controverſâ, propter quam bellum vel metuitur, vel jam exortum eſt, liberam habet diſponendi facultatem, ac proinde ſi de regno, aut parte integrante regni lis ſit, eodem planè modo in propoſito diſcurrendum eſſe arbitramur, quomodo ſuprà de eo, qui compromittere vult, diſcurrimus. Tertia denique quæſtio eſt, utrùm ad declinandum, vel finiendum bellum rem ſorti committere conſultum ſit? Et ſine dubio neque ſemper, neque nunquam conſultum erit, ad ſortis aleam decurrere; quid ſi enim ſpes moraliter certa affulgeat, fore, ut armorum felicitate res ad optatum finem perducatur, quis dixerit, conſultum eſſe, ut ab eo, cui tanta ſpes affulget, res ſorti committatur? Ex adverſo ſi is, qui bello injuſto impetitur, tantò ſit inferior, ut reſiſtendi nulla ſpes ſit, hoc caſu utique præſtabit, ſortem offerre, ut certum periculo incerto vitetur, quàm bellum experiri, & ejus exitum expectare, præſertim ſi res, de qua agitur, non ſummi ſit momenti.

XVII.

Tertius denique modus, quo bellum tum declinatur tum finitur, eſt ſingulare certamen, quod tamen ab eo demum offerri, aut oblatum acceptari poteſt, qui liberam habet de re controverſâ diſponendi facultatem. Qui igitur regnum in patrimonio non habet, illud ſine conſenſu populi dubio certaminis eventui ſubjicere haud poteſt, niſi fortè, ùt ſuprà dictum, jus utriusque ad regnum ſit certum, & tantùm controverſum exiſtat, quisnam alteri ſit præferendus, quo caſu conſenſu populi opus haud eſt, ſi autem alii ex familia Regnatrice ſupereſſent, qui potius jus ad regnum haberent, utique eorum conſenſus accedere deberet, ſecus certamine victus jus in regnô ſuccedendi quidem perderet, non autem victor ad regnum admitteretur, quia jus potius tam parùm tali certamine aliis adimi potuit, quàm parùm ei dari poteſt jus, qui nullum jus habet. Quòdſi regnum eſſet feudale, etiam conſenſum Domini directi neceſſarium eſſe putat Grot. *lib. 3. cap. 20. §. 44.* Quod tamen juri

feudali Longobardico non videtur convenire, utpote quo vaſallus etiam ignorante Domino directo de feudo tranſigere poteſt, tametſi tranſigendo feudum non retineat, *2. feud. 26. §. ſi vaſallus.* Eſt autem ſingulare certamen inſtar transactionis; ſaltem conſenſu Domini directi opus non erit, ſi inter duos primâ inveſtiturâ certò comprehenſos tantùm controverſum exiſtat, quisnam alteri præferendus ſit.

XVIII.

Dubitatur autem, utrùm ejusmodi certamina ſingularia, belli finiendi, aut vitandi cauſâ ſuſcepta, licita ſint? Sanè ſi de jure Gentium externo quæſtio ſit, res difficultatem non habet, quia hoc jure hoſti hoſtem occidere indiſtinctè permiſſum eſt. Sed & jure Naturæ talia certamina ex parte illius, qui juſtam habet bellandi cauſam, licita eſſe, verior tenet ſententia; ſi enim ei, qui juſtam cauſam habet, integro cum exercitu adverſus exercitum hoſtilem jure Naturæ pugnare fas eſt, utique etiam certamen unius cum uno, aut paucorum cum paucis ex parte illius eo jure licitum eſt, præſertim cùm hac ratione humano parcatur ſanguini, & mala innumera, quæ aliàs bellum ſecum trahit, evitentur. Diſſentit Grot. *cit. cap. 20. §. 43. num. 4.* ubi ejusmodi certamen eo demùm caſu licitum eſſe arbitratur, quo moraliter certum eſt, eum, qui cauſam injuſtam fovet, cum magnâ ſtrage Innocentium Victorem futurum eſſe. At, uti non negamus, in tali rerum ſtatu prudentis eſſe, certitudinem imminentis ruinæ cum ſpe victoriæ commutare, ita etiam extra talem ſtatum certamen ſingulare licitum eſſe, allata paulò antè ratio manifeſtò probat. Planè ſi cum barbaro hoſte res ſit, ubi non tantùm regio, ſed & Religio periclitatur, lubens fateor, non aliter belli vitandi, aut finiendi cauſâ ſingulare certamen licitum eſſe, quàm ſi res in eum, quem memoravi, deſperatum ſtatum devenerit, ſecùs omnibus collectis viribus pro Deo, Fide, & Patria pugnandum potiùs erit, quàm ut omnia ancipiti ſingularis certaminis aleæ committantur, ut rectè advertit Clariſſ. Dn. Herz *de Fid. pact. cap. 2. §. 3. num. 28.* Ex parte autem illius, qui injuſtam fovet cauſam, ejusmodi certamen ſingulare jure Naturæ utique illicitum eſt; cùm enim bellum ipſi ſit illicitum, etiam ſingulare

certamen eidem illicitum erit: ſi tamen bonâ fide judicet, ſe juſtam habere bellandi cauſam, & ideo ſingulare certamen offerat, aut oblatum acceptet, is non peccat; quia illum invincibilis ignorantia excuſat, licèt ipſum certamen reverà reſpectu ipſius illicitum ſit, ſicut neque peccat, qui bellum infert, aut illatum vi repellit, ſi bonâ fide judicet, ſe juſtam bellandi cauſam habere, licèt illud in ſe reſpectu ipſius injuſtum ſit. Porrò bellum finitur pactione pacis, de qua ſeqq. Cap. agemus.

§. VII.
De induciis, & commeatu.

SUMMARIA.

I. *Bellum jam cœptum ſiſtunt imprimis induciæ, ab inde, & otio dictæ.*
II. *Affertur induciarum ſynonymia.*
III. *Item homonymia.*
IV. *Definiuntur induciæ.*
V. *Dividuntur primò in breviores, & longiores.*
VI. *Secundò in reſtrictas, & illimitatas.*
VII. *Tertiò in expreſſas, & tacitas.*
VIII. *Quinam inducias paciſci poſſint?*
IX. *Utrùm induciis, quas inferiores dant poteſtates, etiam ſuperiores, & pares teneantur?*
X. *Induciæ etiam rebellibus ſubditis datæ ſervandæ ſunt.*
XI. *Quibus actibus tempore induciarum ſit abſtinendum?*
XII. *Quinam ex adverſo actus tempore induciarum ſint permiſſi?*
XIII. *Quomodo induciæ differant à pace?*
XIV. *Utrùm tempore induciarum elapſo abſque novâ indictione ad arma recurri poſſit?*
XV. *Utrùm, ſi convenerit, ut aliquid tempore pacis liceat, id etiam tempore induciarum licitum ſit?*
XVI. *Utrùm dies per modum termini à quo expreſſa induciis incluſâ, vel excluſa ſit?*
XVII. *A quonam tempore induciæ obligent, ſi certa dies expreſſa non ſit?*
XVIII. *Quibus modis induciæ rurſus finiantur?*

XIX. *Si in certos dies induciæ ſint initæ, appellatione dierum etiam noctes continentur.*

XX. *Utrùm jus redeundi habeat, qui finitis induciis in hoſtico deprehenditur, ſi is vi majore fuerit impeditus, quò minùs rediret?*

XXI. *Si fides induciarum ab unâ parte violata ſit, liberum eſt læſo, etiam ſine indictione ad arma redire.*

XXII. *Quid ſi in caſum violationis pœna ſit adjecta?*

XXIII. *Actus bellicos etiam ſiſtit commeatus, quæ vox plures habet ſignificationes.*

XXIV. *Definitur commeatus in ordine ad propoſitum.*

XXV. *Etiam inferiores poteſtates commeatum concedere poſſunt, ſed tantùm quoad ſuas copias.*

XXVI. *Conceditur commeatus tum perſonis, tum rebus.*

XXVII. *Utrùm commeatus Patri datus, etiam ad liberos, & uxorem extendatur?*

XXVIII. *Si commeatus alicui, & ejus comitibus datus ſit, quinam comitum nomine ſint intelligendi?*

XXIX. *Utrùm commeatus perſonæ datus, ad omnes ejus res extendatur?*

XXX. *Objectum commeatus eſt ſecuritas.*

XXXI. *Quisnam ſit effectus ex parte ejus, cui commeatus indultus eſt?*

XXXII. *Adducitur effectus ex parte dantis commeatum.*

XXXIII. *Expirat commeatus primò lapſu temporis.*

XXXIV. *Secundò, ſi is, cui commeatus indultus eſt, contra adverſam partem aliquid hoſtile moliatur.*

XXXV. *Expirat tertiò ſi fuerit revocatus.*

XXXVI. *Utrùm commeatus etiam morte concedentis expiret?*

XXXVII. *Afferuntur affinia commeatûs.*

I.

BEllum jam cœptum ſiſtunt imprimis induciæ; tempore enim induciarum actus bellici ceſſare debent; unde & ab eo, quòd inde, ſeu à certo tempore inter bellantes ſit otium, nomen induciarum deſcendit, uti oſtendit Grot. *lib. 3. cap. 21. §. 2.*

II.

Vocantur in jure canonico Treuga, quæ tamen vox latina non eſt. Elegantioribus, figuratis tamen phraſibus illi exprimunt inducias, qui eas pacem temporariam, pacem caſtrorum, bellorum ferias, belli ſomnum appellant. Hodie vocabulo quidem non adeò antiquo, rei tamen exprimendæ ſatis apto armiſtitium vocari ſolent.

III.

Accipitur vox induciarum vel pro ſtatu bellantium ad tempus bellicis actibus manente bello ex conventione abſtinentium, vel pro ipſa conventione de armis utrinque ad tempus ſuſpendendis. Et in hac poſtremâ acceptione

IV.

Deſcribi poſſunt, quod ſint conventio publica de bellicis actibus, manente bello, ad tempus omittendis.

V.

Dividuntur primò in breviores, & longiores; poſſunt enim bellantes non in paucas tantùm horas, dies aut menſes, ſed in plures etiam annos inter ſe inducias paciſci. Sic Vejentibus, & Cæritibus in centum uſque annos inducias datas eſſe refert Liv. *lib. 1. cap. 15. & lib. 7. cap. 20. ad fin.*

VI.

Dividuntur ſecundò in reſtrictas, & illimitatas, quæ diviſio tum à ſubjecto, tum ab objecto deſumpta eſt. Ratione ſubjecti induciæ dicuntur reſtrictæ, quæ reſpectu quorundam duntaxat: illimitatæ verò, quæ reſpectu omnium actus bellicos ſuſpendunt. Sic induciæ urbi obſeſſæ datæ reſtrictæ ſunt; quia aliis, quàm obſeſſis non proſunt. Sic etiam reſtrictæ erunt induciæ, ſi populi Europæi inter ſe bellum in Europa continuent, reſpectu verò provinciarum, quas in America poſſident, ſuſpenſionem armorum paciſcantur, vel contrà. Si autem duo bellantes ubique locorum ex conventione ab actibus bellicis abſtineant, induciæ erunt illimitatæ. Ratione objecti verò reſtrictæ dicuntur induciæ, quæ ita datæ ſunt, ut ea, quæ aliàs tempore induciarum permiſſa ſunt, non liceant, veluti ſi dictum ſit, ut

penden-

pendentibus induciis nihil immutetur, ſed omnia in ſtatu, quo ſunt, permaneant. Si verò abſque ulla reſtrictione datæ ſint, illimitatæ erunt.

VII.

Dividuntur tertiò in expreſſas, & tacitas. Expreſſæ ſunt, quæ conſtant conſenſu bellantium expreſſo. Tacitæ, ubi conſenſus de armis utrinque ad tempus ſuſpendendis facto quodam duntaxat declaratur. Sic vela candida ab obſeſſis in turri, aut vallo poſita ſignum ſunt petiti colloquii, & induciarum, quo proinde viſo, ſi obſidentes ab ulteriori oppugnatione abſtineant, induciæ tacitæ erunt contractæ. Aliud eſt, ſi nullo tali ſigno præcedente hoſtis quieſcat; licèt enim is actus hoſtiles aliquantiſper intermittat, ex eo tamen ſolo colligi haud poteſt, eundem in inducias conſenſiſſe. Si igitur ex improviſo ad actus hoſtiles rurſus prorumpat, violatæ fidei tacitæ neutiquam argui poteſt, quanquam Liv. *lib. 2. cap. 18. & 64.* item *lib. 23. cap. 46.* Talem etiam quietem, quam feſſi hoſtes ſine conventione nonnunquam ſibi mutuò indulgent, tacitarum induciarum nomine appellet.

VIII.

Cauſa efficiens induciarum ſunt Bellantes, qui eas inter ſe pangunt. Ubi induciæ breviores ſecerni debent à longioribus. Breviores etiam Belliduces, & quidem non ſummi tantùm, ſed & inferiores, iis nempe, quos oppugnant, aut obſeſſos tenent, dare poſſunt. Longiores verò, quia pacis inſtar ſunt, ſoli ſummi Imperantes, quorum nomine, & auſpiciis bellum geritur, concedere queunt. Puffendorf *de J. N. & G. lib. 8. cap. 7. §. 15.* Vitriar. ad Grot. *cap. 22. Quæſt. 9.*

IX.

Utrùm autem induciis, quas inferiores dant poteſtates, etiam ſuperiores, & pares teneantur, an verò ſoli dantes, & eorum copiæ, non ſatis expeditum eſt. Solum dantem, & ejus copias, non etiam alios Duces pares, multò minùs ſuperiores obligari, exiſtimat Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 22.* §. 8 Contrarium autem tenet Albe-

ricus

ricus Gentilis *lib. 2. cap. 10.* cujus ſententiam probabiliorem eſſe arbitror; ſi enim ejusmodi Belliduci minori pars quædam belli, veluti alicujus arcis, aut caſtri obſidio demandata ſit, hoc ipſo ſimul conceſſum eſſe intelligitur, ut is, re ita exigente, obſeſſis inducias dare poſſit: ergo indulgendo ſuperiores etiam Belliduces, & multò magìs pares ad eas ſervandas obſtringit; quia perinde habetur, ac ſi ipſe ſupremus Bellidux eas conceſſiſſet; nam quod faciendi quis alii jus dat, ejus ipſe author eſſe, cenſetur. Atque hæc ſententia etiam principiis ab ipſomet Grotio *cap. 22. §. 2.* traditis conformis eſſe videtur.

X.

Poſſunt autem induciæ non tantùm juſto hoſti, ſed & rebellibus ſubditis dari, ita ut durantibus induciis vim bellicam iisdem inferre permiſſum haud ſit; quia fides etiam ſubditis rebellibus ſervanda eſt, ſi cum illis, quà defectoribus, & rebellibus actum ſit. Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 19. §. 6. & ibi Teſmar. Lit. D.*

XI.

Objectum induciarum ſunt actus bellici, quibus tempore induciarum abſtinendum eſt, veluti etiam ſunt corruptis hoſtium præſidiis loca ab ipſis poſſeſſa invadere, aut ſubditos ultrò deficere volentes recipere, vel loca incuſtodita occupare, ſive cuſtodia ante inducias, ſive factis induciis omiſſa ſit; quia talia juſta eſſe non poſſunt, niſi ex jure belli, quod durantibus induciis quieſcit. Aliud dicendum, ſi loca quædam reverà pro derelictis ſint habita, quæ etiam in media pace, & ſalvis amicitiæ legibus, ac proinde tempore quoque induciarum, tanquam res nullius occupare licet. Deinde prohibitum etiam eſt, res hoſtium, quæ pendentibus induciis caſu aliquo ad nos pervenerunt, retinere, tametſi antea noſtræ fuiſſent, quia jure Gentium externo ipſorum ſunt factæ. Vid. Grot. *cap. 21. §. 6. num. 2. & §. 8.*

XII.

Ex adverſo cum exercitu ex eo loco recedere, unde alioqui non facilè ſine conflictu digrederemur, & ſeſe in tutiorem locum

recipere, ùt Philippus fecit Liv. *lib. 31. cap. 38. propè fin. & cap. 39.* mœnia reficere, novas munitiones intra urbem obſeſſam moliri, cuniculos agere, aggeres extruere, niſi inter partes expreſſè actum ſit, ut omnia maneant in eo ſtatu, in quo ſunt tempore pactionis, prohibitum non eſt. Sic Galli poſt deditionem urbis noſtræ pendentibus induciis aggeres tormentarios, ùt ipſi vidimus, ad oppugnandas arces, ſi fortè earum deditio non ſequeretur, nemine impediente extruxerunt. Si autem induciæ longiores, diſſoluto utrinque bellico apparatu, contractæ ſint, ea omnia licent, quæ aliàs in pace permiſſa ſunt.

XIII.

Forma induciarum conſiſtit in differentia ſpecifica, quâ diſtinguuntur à pace, quæ in eò ſita eſt, quòd induciæ bellum non tollant, ſed eo manente actus bellicos tantùm ad tempus ſuſpendant, pax autem bellum in perpetuum tollat, ita ut ſuper illis controverſiis, ex quibus ortum eſt, nunquam deinceps arma ſint movenda, licèt ex novâ cauſâ rurſus ad bellum decurri poſſit. Et hoc non tantùm de induciis brevioribus, ſed & de longioribus, quæ, diſſoluto utrinque bellico apparatu, in multos annos contractæ ſunt, verum eſt; tametſi enim plenæ pacis ſpeciem præſeferant, pax tamen non ſunt, ſed iis durantibus bellum manet, & pugna duntaxat ceſſat; bellum enim ſtatus eſt nomen, qui poteſt eſſe etiam, cùm operationes ſuas non exerit. Unde dum Liv. *lib. 7. cap. 20. propè fin.* inducias populo Cæriti in centum annos datas pacem appellat, pacis vocabulum is latiùs accepit. Ex quibus facili negatio reſolvi iam poſſunt ſequentes duæ quæſtiones, quarum

XIV.

Prima eſt, utrùm tempore induciarum elapſo abſque nova indictione ad arma recurri poſſit? Affirmativam tenet Grot. *ſæpè alleg. cap. 21. §. 3.* eò quòd ſublato impedimento temporali ipſo jure ſe exerat belli ſtatus, non mortuus, ſed ſopitus, ùt dominium, & patria poteſtas in eo, qui à furore convaluit, quod in induciis brevioribus expeditum eſſe videtur, in longioribus autem, quibus apparatus bellicus planè diſſolvitur, & quibus regulariter hæc ineſt clau-

ſula,

ſula, aut ſaltem ineſſe debet, ut interea de controverſiâ penitùs tollendâ tractetur, Puffendorf. *ſuprà. cit. cap. 7. §. 6.* Si non neceſſarium, ſaltem decorum eſſe arbitratur, permittere indictionem conditionatam, ut teſtemur, nos bello non delectari, neque per nos ſtetiſſe, quò minùs plena pax coiret. Conſentit Vitriar. *ad dict. cap. 21. Quæſt. 3.*

XV.

Altera quæſtio eſt, utrùm ſi convenerit, ut aliquid tempore pacis liceat, id etiam tempore induciarum licitum ſit? Quod Grot. *ubi ſupra* §. *1. num. 2.* negat, niſi, ùt *num. 4.* ſubjungit, ſatis appareat, conventionis rationem unicam, & per ſe moventem in ſolidum fuiſſe ceſſationem actuum bellicorum; nam tunc, pergit ille, quod de pacis tempore dictum eſt, etiam per inducias valebit, non quidem ex vi vocis, ſed ex certâ mentis collectione, ſicut ex adverſo, ſi quid convenerit, ut belli tempore valeat, id per inducias quoque valebit, niſi manifeſtè appareat, non ſtatum, ſed ipſas functiones, & operationes bellicas ſpectatas eſſe ita Grot. Mihi dicendum videtur, inducias longiores, toto apparatu bellico diſſoluto, in multos annos contractas, ſaltem in non odioſis ſemper ſub vocabulo pacis comprehendi poſſe, ſiquidem non tantùm à Juſtin. *lib. 3. cap. 7.* & Liv. *cit. cap. 20.* ſed & populari loquendi modo jam pacis nomine appellantur. Unde ſi fortè inter duos populos convenerit, ut inter utriusque partis ſubditos tempore pacis rerum omnium libera ſint commercia, etiam per ejusmodi inducias longiores libera erunt.

XVI.

Effectus conſiſtit in obligatione à bellicis actibus abſtinendi. A quónam autem tempore induciæ obligare incipiant, non adeò expeditum eſt, ſive certa dies tanquam terminus à quo expreſſa ſit, ſive non; ſi enim certa dies expreſſa ſit, tunc dubium eſt, utrùm illa induciis incluſa ſit, vel excluſa. Excluſam eſſe putat Grot. *ſæpè cit. cap. 21. §. 4. num. 3.* eò quòd præpoſitionis *à* vis ſit diſcernere, non conjungere. Contrà Puffendorf. *ſuprà alleg. cap. 7. §. 8.* incluſam eſſe arbitratur, quæ ſententia mihi verior videtur, initium enim utique pars rei eſt. Certè ſi ita conventum eſſet; induciæ erunt in decem dies à calendis Julii, nemo hoc

aliter interpretabitur, quàm calendas illas induciis quoque comprehenſas eſſe; unde verum non eſt, quòd præpoſitio *à* rem, cui præponitur, ſemper à ſequente diſcernat, ſed ſæpè denotat initium in re aliqua comprehenſum. Sic cùm *3. Reg. cap. 4 ad fin.* Salomon ſuper lignis à cedro, quæ eſt in libano, uſque ad hyſopum, quæ egreditur de pariete, diſputâſſe dicitur, utique cedrus non excluſa, ſed incluſa eſt. Similiter cùm *Iſaiæ cap. 1. verſ. 6.* dicitur: *à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, itidem planta pedis non excluſa, ſed incluſa eſt. Imò etiam in propoſita quæſtione præpoſitio hæc vim retinet diſcernendi, cùm diem illum, à quo induciæ initium ſumunt, à præcedentibus ſeparet, ita ut primum ejus momentum ſimul induciarum principium ſit.

XVII.

Quodſi certa dies tanquam terminus à quo expreſſa non ſit, ipſi quidem contrahentes, quamprimum conventio eſt abſoluta, ſtatim obligantur, utrùm autem etiam ſubditi ſtatim obligentur, incertum eſt. Grot. *ubi ſuprà* §. 5. ſubditos ex die demum promulgationis obligari exiſtimat, eò quòd conventio induciarum reſpectu ſubditorum vim, & naturam legis habeat, quæ ante promulgationem non obligat. Mihi verius videtur, etiam ſubditos ſtatim à momento perfectæ conventionis obligari; qui enim initio in ſocietatem civilem coëunt, aut ei ex poſt accedunt, civitati hanc poteſtatem dare intelliguntur, ut ſi hoc ad finem gubernationis politicæ neceſſe ſit, illa promittendo etiam ſingulos obligare poſſit, quæ poteſtas ſimul cum ſummo imperio in Regem aut ſenatum Optimatum, & porrò in Duces belli, quo caſu ipſi inducias paciſci poſſunt, translata eſt. Unde mihi dubium non eſt, quin res contra pactum induciarum hoſti ereptas, vel ſi non ampliùs extent, tantum earum loco reſtituere teneantur, in quantum exinde locupletiores ſunt effecti, licèt, ſi ab ignaris contra inducias quid factum ſit, à pœna, & reſtitutione damnorum, quæ vaſtando illata ſunt, immunes exiſtant. Si verò inducias conventas eſſe ſciant, licèt earum publicatio nondum ſit facta, tamen non ſolùm omne damnum quocunque modo contra inducias illatum reſarcire debent, ſed inſuper etiam pœnam incurrunt. Planè quamvis ſubditi, ſi inducias ignorent, ad reſarcitionem damnorum,

quæ

quæ hoſti vaſtando intulerunt, obligati haud ſint; quia culpâ Theologicâ carent, ipſi tamen contrahentes, etiamſi nulla ipſis culpa imputari queat, ab obligatione reſarciendi neutiquam ſunt exempti; quia paciſcendo inducias ſubditorum facta in ſe recepiſſe videntur, quod natura negotii omnino exigit.

XVIII.

Contraria induciarum ſunt modi, quibus rurſus finiuntur. Finiuntur autem I. contrariâ partium voluntate; liberum enim eſt, etiam ante tempus elapſum mutuo conſenſu ab induciis recedere. II. Abſoluto, vel abrupto negotio, cujus gratiâ induciæ initæ fuêre. Sic induciæ mortuorum ſepeliendorum cauſâ conventæ, illis ſepultis expirant. Sic etiam induciæ pacis tractandæ cauſâ factæ tractatu pacis abrupto extinguuntur. Finiuntur III. lapſu præfixi temporis. Solet autem induciis duplici modo tempus adſcribi; primò ita, ut certus dierum, menſium, vel annorum numerus exprimatur, v. g. induciæ erunt in triginta dies, in tres menſes, in viginti annos, quo caſu tempus à momento, quo in inducias conſenſum eſt, ad momentum computatur. Secundò ita, ut terminus, ad quem induciæ durare debeant, explicitè deſignetur, v. g. induciæ erunt uſque ad calendas Auguſti, ubi dubium eſt, utrùm dies ille, ad quem inducias duraturas eſſe dictum eſt, ſub induciis comprehenſus ſit, vel excluſus? Sanè in rebus naturalibus duo ſunt terminorum genera, intrinſecus ſcilicet, & extrinſecus. Intrinſecus eſt pars rei, quam terminat, non autem extrinſecus. Sic cutis eſt terminus intrinſecus corporis, flumen autem eſt terminus extrinſecus terræ, quia ejus pars non eſt. Utroque modo etiam arbitrio hominum termini conſtitui poſſunt; putat tamen Grot. §. *4. num. 2.* magis naturale eſſe, ut terminus ſumatur, qui pars ſit rei, ac proinde terminum ad quem ſub induciis comprehenſum eſſe, maximè cùm productio temporis in propoſito favorabilis ſit, quia tempore induciarum humano ſanguini parcitur. Grotio adſtipulantur Vitriar. *Quæſt. 5.* Willenberg. *Quæſt. 8.* Kulpis ad Grot. *cit. cap. 21. §. 1. propè fin.*

XIX.

Illud certum eſt, quòd ſi in certos dies induciæ ſint initæ, appellatione dierum etiam noctes comprehendantur; quia ex ſubjectâ

materiâ ſatis apparet, quòd paciſcentes diem civilem, non naturalem intellexerint. Quare perfidus fuit ille, qui, ùt Cicer. *lib. 1. de offic cap. 10.* refert, cùm triginta dierum cum hoſte induciæ eſſent pactæ, noctu agros populatus eſt, quòd dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ.

XX.

Dubitatur, utrùm jus redeundi habeat, qui finitis induciis intra fines hoſticos deprehenditur, ſi is vi majore, puta, tempeſtate, aut adverſâ valetudine impeditus fuerit, quò minùs intra tempus induciarum recederet? ℞. Eum ſpectato jure Gentium externo jus redeundi non habere, ſed captivum retineri poſſe; quia ſimilis eſt illi, qui cùm in pace veniſſet, bello repentè exorto intra fines hoſticos fato ſuo deprehenditur, qui uſque ad pacem captivus manet; interim tamen benignius, quin & generoſius eſt, talem remittere; quia nulla culpa ipſi imputari poteſt. Grot. §. *9.*

XXI.

Ultimò denique, ſi fides induciarum ab unâ parte violata ſit, liberum eſt læſo etiam ſine indictione ad arma redire; quia non aliter ad actus bellicos omittendos ſe obligare voluiſſe cenſetur, quàm ſub conditione, ſi & alter omittat. Interim tamen facta privata inducias non rumpunt, niſi ab eo, penes quem imperium eſt, vel juſſa, vel ratihabita fuerint, quod ultimum etiam tunc fieri intelligitur, ſi illi, qui deliquerunt, nec puniantur, nec dedantur, nec res ablatæ reſtituantur. Grot. §. *13.*

XXII.

Planè ſi in caſum violationis pœna fuiſſet adjecta, non aliter ad arma redire permiſſum eſſe videtur, quàm ſi vel expreſſis verbis optio ſit data, vel is, qui contra inducias fecit, pœnam conventam ſolvere nolit; ſi verò pœna fuerit perſoluta, regreſſus ad arma non datur, cùm ideo pœna ſolvatur, ut cœtera ſalva maneant, quemadmodum ex adverſo, ſi poſt ruptas inducias alter viciſſim ad arma provolet, pœna ampliùs peti nequit; quia bellum movendo à pœna receſſiſſe cenſetur; licèt enim is, cui optio data eſt, libertatem habeat, unum, vel alterum ex alternativis eligendi; uno tamen ele-

ctο alteri renunciáſſe intelligitur; ad renunciata autem non datur regreſſus. Grot. §.*12. junct. cap. 20.* §.*36.* Puffendorf. *lib. 8. cap. 7.* §.*12.*

XXIII.

Actus bellicos etiam ſiſtit commeatus, quæ vox varias habet ſignificationes; nam I. Sumitur pro annona, ſeu rebus, quæ ad victum pertinent, in quo ſenſu vocabulum hoc uſurpavit Cæſar *de Bell. Gall. lib. 1. cap. 48.* & *lib. 3. cap. 6.* ac paſſim alibi. Item Flor. *lib. 4. cap. 2. num. 27.* II. Accipitur pro licentia diſcedendi, ùt cùm Annibal apud Liv. *lib. 21. cap. 21.* Milites ſuos allocutus dixit: *ſi quis veſtrûm ſuos inviſere vult, commeatum do, primo vere, edico, adſitis, ut Diis benè juvantibus bellum ingentis gloriæ, prædæq; futurum incipiamus.* III. Sumitur pro tempore ad redeundum ei, cui facultas diſcedendi data eſt, præfixo ùt cùm JCtus in *lib. 2.* §. *ult. ff. ad Municip.* dixit eum, qui ultra commeatum abeſt, ad munera vocari poſſe. IV. Accipitur pro arbitrio morandi, ubi quis velit, ùt in *l. 22.* §. *6. ff. eod.* V. Denique pro ſalvo conductu adverſùs offenſionem hoſtilem, & in hac acceptione

XXIV.

Commeatus deſcribi poteſt, quòd ſit promiſſio plenæ ſecuritatis adverſùs hoſtiles offenſiones, & inquietationes: eſtque vel univerſalis vel particularis; univerſalis eſt, qui univerſitati perſonarum conceditur. Particularis verò, qui certis, ac determinatis perſonis, vel rebus indulgetur. Vitriar. *ad ſæpiùs cit. cap. 21. Quæſt. 18.*

XXV.

Cauſa efficiens commeatûs eſt is, qui commeatum concedit; concedere autem poſſunt non tantùm ſummi Imperantes, ſed & inferiores poteſtates, ut Belliduces, etiam minores, ſe, ſuáſque copias, quod attinet; quamvìs enim ſuprà dictum ſit, induciis, quas inferiores dant poteſtates, etiam ſuperiores, & pares teneri, aliud tamen de commeatu dicendum eſſe arbitror; ùt enim inferiores Belliduces iis, quos oppugnant, aut obſeſſos tenent, inducias dent, vel neceſſitas, vel publica exigit utilitas, quæ ratio in commeatu ceſſat.

XXVI.

Subjectum ſunt tum perſonæ, tum res, quibus commeatus indulgetur; cùm autem jus commeandi extra inducias privilegium quoddam ſit, & quidem tale, quod neque tertio nocivum, neque danti admodùm grave eſt, ideò laxiùs, quantum verborum proprietas patitur, interpretandum erit, præſertim ſi non petenti datum, ſed ultrò oblatum ſit, aut ultra privatam utilitatem publica quædam utilitas in negotio verſetur. Igitur militibus datus etiam ad Duces, & quidem non ad medios tantùm, ſed & ad ſummos porrigitur; quia vocabulo militum latiùs ſumpto etiam Duces continentur. Grot. §. *14. & 15.*

XXVII.

Quæri poteſt, utrùm commeatus Patri datus etiam ad liberos, & uxorem extendatur? ℞. Intereſſe, utrùm commorandi gratiâ datus ſit, vel non. Illo caſu etiam ad liberos, & uxorem extenditur; quia morari ſolemus cum familia *l. penult. ff. de precar.* Hoc autem caſu ad liberos, & uxorem non porrigitur; quia non cum, ſed ſine familiâ peregrinari ſolemus. Grot. §. *17.* Planè ſi Marito eum in finem commeatus datus eſſet, ut uxorem, & liberos alibi exiſtentes adduceret, uxor, & liberi haud dubiè commeatu continerentur. Deinde etiam commeatum pacis componendæ cauſâ indultum ad uxorem Legati extendendum eſſe cenſet Hert. *de Litter. commeat. pro Pac.* §. *11.* eò quòd Legati in loco pacis tractandæ diutiùs morari ſoleant, ac proinde meritò benigniori interpretationi locus ſit, ne matrimonio eis carendum ſit, ùt de uſu ædium Marito conceſſo diſcurrit JCtus in *l. 4.* §. *1. ff. de Uſ. & habit.* Planè famulus unus, aut alter, etiamſi expreſſus non ſit, ſub commeatu comprehenſus cenſebitur in eo, quem ſine tali comitatu ire indecorum foret, qui enim aliquid concedit, ea quoque concedere intelligitur, quæ morali neceſſitate ſequuntur. Grot. *cit.* §. *17.*

XXVIII.

Quòdſi commeatus alicui, & ejus comitibus datus ſit comitum nomine illi duntaxat ſunt intelligendi, quos numero comitum haberi veroſimile eſt. Quare Legato ſub alterius Legati comitatu iter facienti commeatus haud quaquam proficit, & ideo Præpotentes

ſtatus

ſtatus fœderati Belgii, cùm Franciſcus *d' Andrada* Regis Portugalliæ ad eos legatus quaſi in comitatu Legatorum fœderati Belgii ad Tractatus pacis Monaſterienſis ire vellet, meritò hoc improbârunt, ùt refert Wicquefort. *lib. 1. ſect. 17. pag. mihi. 193.* Similiter commeatus nec prodeſt pyratis, latronibus, transfugis, & deſertoribus, quibus commeatum concedere voluiſſe nemo præſumitur, utpote quorum cauſa magìs odioſa eſt, quàm illius, cui commeatus datus eſt. Grot. §. *19.*

XXIX.

Quanquam autem commeatus perſonæ datus etiam ad res ejus extendatur, multùm tamen intereſt, utrùm commorandi gratiâ ſit datus, vel non. Illo caſu ad res omnes, ſine quibus alibi commorari non poſſumus, extendendus eſſe videtur; conceſſo enim fine etiam illa conceſſa eſſe intelliguntur, ſine quibus finis obtineri non poteſt, licèt tutius ſit, ſi rerum etiam expreſſa fiat mentio. Hoc autem caſu, non niſi ad illas res porrigitur, quæ ad iter aſſumendum neceſſaria ſunt, vel dignitati, & conditioni perſonæ conveniunt. Grot. §. *18.*

XXX.

Objectum commeatûs eſt ſecuritas; qui enim commeatum indulget, iter ab offenſione, & inquietatione, quæ à ſe, aut ſuis ſubditis alteri evenire poſſet, tutum fore promittit.

XXXI.

Effectus duplex eſt, unus ex parte ejus, cui datus eſt commeatus, alter ex parte dantis. Effectus ex parte ejus, cui commeatus indultus eſt, ſtat in facultate cum ſecuritate vel abeundi, vel aliquò eundi, vel redeundi, vel denique veniendi. Cui abire conceſſum eſt, redire non poteſt; quia abire, & redire diverſa ſunt, nec ratio cogit, ut à verborum proprietate recedamus. Debet tamen abitus tutus intelligi, uſque dum aliquis eò pervenerit, ut in tuto ſit. Unde meritò Alexandri fides accuſata fuit, qui eos, quibus abitum indulſerat, in ipſo itinere interfici juſſit. Ex adverſo, cui facultas aliquò eundi conceſſa eſt, eidem & redeundi conceſſa eſſe cenſetur, non quidem ex vi verbi, ſed ut abſurdum vitetur; quia aliàs beneficium foret inutile. Aliud dicendum, ſi ſolo itu actus conſumeretur, tunc enim conceſſâ facultate eundi non cenſeretur etiam conceſſa eſſe fa-

cultas redeundi, cum tali caſu nulla ratio cogat, ut à proprietate verbi recedatur. Eodem modo is, cui redire permiſſum eſt, iterum abire haud poteſt; aliud enim eſt redire, aliud abire. Ob eandem rationem nec is, cui venire conceſſum eſt, alium mittere poterit, vel contra. Si tamen Regi pacis componendæ gratiâ ad certum locum veniendi commeatus datus ſit, nihil eum contra mentem concedentis acturum fore putat Hert. *ſuprà cit.* §. *15.* Si loco ſui Legatum mittat, ipſique litteras commeatûs aſſignet. Sed nec, cui venire permiſſum eſt, ſæpiùs venire poteſt, niſi temporis adjectio aliam ſuppeditet conjecturam. Grot. §. *16.*

XXXII.

Effectus ex parte dantis commeatum conſiſtit in eo, quòd tum ipſe, tum ejus ſubditi obligati ſint, ut ne eum, cui commeatus datus eſt, offendant, aut inquietent, ſecùs damnum illatum reſarcire tenentur. Debetur autem commeandi ſecuritas etiam extra territorium concedentis; quia datur contra jus belli, quod per ſe territorio non includitur; nam, ùt ſuprà dictum eſt, hoſtis ubique offendi poteſt. Grot. §. *22.*

XXXIII.

Contraria ſunt modi, quibus commeatus rurſus expirat. Expirat autem primò lapſu temporis, ad quod datus eſt. Unde poſtea intra fines hoſticos deprehenſus ſecuritate non ampliùs gaudet, ſed captivus retineri poteſt, tametſi, quò minùs inde excederet, adverſâ valetudine, tempeſtate, aut aliâ vi majore fuiſſet impeditus: ſimilis enim illi eſt, qui cùm in pace veniſſet, bello repentè exorto, inter hoſtes fato ſuo deprehenditur, qui ad pacem uſque captivus manet. Vid. Grot. *lib. 3. cap. 9.* §. *4. num. 3.*

XXXIV.

Expirat ſecundò, ſi is, cui commeatus indultus eſt, contra adverſam partem aliquid hoſtile moliatur; nec enim aliter ſecuritas ei promiſſa eſſe cenſetur, quàm ſub conditione, ſi nihil hoſtile fuerit machinatus, quâ proinde conditione deficiente etiam ipſa evaneſcit promiſſio. Burger. *Cent. 1. obſ. 8. verſ. limitantur 2dò & paulò poſt num. 5.*

XXXV.

Expirat tertiò, ſi ita exigente publicâ utilitate fuerit revocatus; quin enim ex cauſâ boni publici revocari poſſit, mihi dubium non eſt;

eſt; quia is, qui commeatum concedit, nec vult, nec aliter, quàm cum hac exceptione eundem concedere poteſt. Imò ſi commeatus per modum precarii conceſſus ſit, is liberè ſemper revocari poteſt, tametſi ratio boni publici id non exigat, veluti ſi concedens dixerit, *quamdiu voluero*, vel *donec revocavero*; interim tamen utroque caſu durat, uſque dum fuerit revocatus; nam etſi dixerit, *quamdiu voluero*, voluntas in dubio durare præſumitur, ac proinde neceſſe non eſt, ut novus volendi actus ponatur, ſed ſufficit, ſi prior voluntas non fuerit revocata. Grot. §. *21*.

XXXVI.

Expirat quartò morte concedentis, ſi ſub hac formula, *quamdiu voluero*, fuerit conceſſus; durare enim non poteſt voluntas in eo, qui non ampliùs poteſt velle, ùt eſt mortuus. *cap. 5. de Reſcript. in 6.* & *l. 4. ff. Locat.* Aliud dicendum de altera formula, *donec revocavero*; licèt enim concedens moriatur, commeatus tamen non expirat, niſi à ſucceſſore fuerit revocatus, quia voluntas morte non cenſetur revocari. *l. 4. in princ. ff. de Manumiſſ. vindict.* Multò minùs commeatus morte concedentis expirat, ſi ſimpliciter, nullâ ejusmodi clauſulâ adjectâ, fuiſſet indultus, cùm ejus conceſſio ex vi poteſtatis veniat, cujusmodi beneficia morte concedentis haud expirant. Grot. §. *20*. Imò nec morte ejus extinguitur, cui commeatus datus eſt, ſed ſecuritas viventibus promiſſa, etiam mortuis, & eorum rebus debetur, modò tales res ſint, quæ ſub commeatu comprehendantur. Herz. *ſuprà alleg. Diſſert.* §. *12*.

XXXVII.

Ad affinia commeatûs hactenus explicati referri poteſt I. ſalvus conductus judicialis, qui in proceſſu accuſatorio, vel inquiſitorio ad crimen purgandum conceditur. II. Salvus conductus regius, **das Land-Geleit**, qui tranſeuntibus per territorium adverſùs latrones, & prædones ſecuritatem præſtat. II. Salva guardia, quæ perſonis, & rebus in certo loco exiſtentibus, & permanentibus adverſùs hoſtilem offenſionem ſecuritatem conciliat. Latè Burger *cit. Cent. 1. obſerv. 79*.

§. VIII.

De repreſſaliis.

SUMMARIA.

I. *Affines bello ſunt repreſſaliæ, quarum origo antiquiſſima eſt.*
II. *Undénam vox repreſſaliarum ſuum trahat etymon?*

III.

III. *Vocantur etiam pignorationes, quæ tamen ſtrictiùs acceptæ differunt à repreſſaliis.*

IV. *Definiuntur repreſſaliæ.*

V. *Introductæ ſunt jure Gentium; & cur?*

VI. *Repreſſalias ſolus ille concedere poteſt, qui jus belli gerendi habet.*

VII. *Quisnam repreſſalias impetrare poſſit?*

VIII. *Objectum repreſſaliarum non tantùm bona, ſed & corpora ſubditorum Reipublicæ nocentis conſtituunt.*

IX. *Repreſſaliis ſubjacent omnes ſubditi Reipublicæ nocentis.*

X. *Excipiuntur jure Gentium Legati, item jure Canonico perſonæ Eccleſiaſticæ, & eorum bona.*

XI. *Quomodo Repreſſaliæ differant ab arreſto?*

XII. *Quomodo differant à retorſione ex edicto Prætoris, quod quisque juris in alterum &c.?*

XIII. *Quomodo differant à retorſione, quæ moribus noſtris recepta eſt ob diverſitatem juris?*

XIV. *Quænam requirantur, ut repreſſaliæ juſtæ ſint?*

XV. *Affertur effectus repreſſaliarum directus.*

XVI. *Item indirectus.*

I.

Affines bello ſunt repreſſaliæ, imò ſæpè bello publico anſam præbent; eſt autem earum origo antiquiſſima; ſic enim Grot. *lib. 3. cap. 2. §. 5. num. 2.* ex Homero refert, Neſtorem ob ereptos Patri equos, Elidenſium pecora, & armenta cepiſſe, omnésque eos, quibus aliquid ab Elidenſibus debebatur, ad jus ſuum perſequendum edicto fuiſſe convocatos, ne quis juſtâ ſibi parte careret. Sic etiam Æginethas ob res ſuas à nonnullis Athenienſium apprehenſas navem Athenienſibus oneratam decreto publico retinuiſſe, ſcribit Herodot. *lib. 6.*

II.

Cœterùm undénam vox repreſſaliarum ſuum trahat etymon, incertum eſt; probabilior videtur eorum opinio, qui eum ab Italico vocabulo, *Ripreſa,* deductam eſſe arbitrantur; nam vel maximè in Italia repreſſalias frequentes fuiſſe conſtat. Limn. *lib. 4. cap. 8. n. 314.*

III.

Vocantur *in cap. unico de injur. in 6.* & *Nov. 52. cap. 1.* pignorationes, vocabulo hoc latiùs accepto; ſi enim ſtrictiùs, & in ſpecie ſumatur,

matur, pignorationes multùm differunt à repreſſaliis; nam pignorationes etiam privatâ authoritate fieri poſſunt, repreſſaliæ autem non niſi conſenſu ejus, qui jus belli gerendi habet, queunt exerceri. Deinde pignorationes locum habent inter concives, quoties alius alium turbat in re ſua, aut in quaſi poſſeſſione ſui juris, quod ad ſe pertinere putat, repreſſaliæ autem tantùm inter diverſos populos obtinent. Vitriar. *ad cit. cap.2. Quæſt. 14.* & Willenberg. *ibid. Quæſt. 3.*

IV.

Deſcribi poſſunt repreſſaliæ, quòd ſint remedium ſubſidiarium, quo propter juſtitiam in cauſa gravi, & liquida extero denegatam, vel malitioſè protractam, Reipublicæ nocentis ſubditi, vel ſubditorum bona apprehenduntur; *remedium*, inquam, *ſubſidiarium* ſunt repreſſaliæ; quamdiu enim aliud ſupereſt remedium, quo extraneus id, quod ſuum eſt, aut ſibi debetur, obtinere poteſt, tamdiu ad repreſſalias perveniri nequit; quia ratio æquitatis haud patitur, ut ad eos, qui culpâ vacant, veniamus, quamdiu ſpes eſt, quòd vel ab originariis debitoribus, vel ab iis, qui jus non reddendo ſponte ſuâ ſe debitores fecerunt, noſtrum conſequi poſſimus. Vitriar. *Quæſt. 8.* & Willenberg. *Quæſt. 9.* Quamvìs igitur inferior judex juſtitiam deneget, vel malitioſè protrahat, repreſſaliis tamen locus haud eſt; quia læſus ſuperiorem adire poteſt, quod ſi facere negligat, is non de alio, ſed de ſe ipſo queri debet.

V.

Cauſa efficiens repreſſaliarum duplex eſt, Remota, & Proxima. Remota eſt jus Gentium, utpote quo inductum eſt, ut pro debito civitatis, aut ejus, qui caput eſt civitatis; omnes ſubditi fidejuſſorio nomine teneantur, eorúmque bona corporalia, & incorporalia per modum pignoris ſint obligata. Extorſit hoc quædam neceſſitas; aliàs enim magna daretur injuriis faciendis licentia; cùm bona Imperantium non tam facilè poſſint in manus venire, quàm ſubditorum. Deinde ſpes erat, faciliùs membra ejusdem Reipublicæ à ſe mutuo jus conſequi, & indemnitati ſuæ conſulere poſſe, quàm exteros, quorum multis in locis exigua habetur ratio. Præterea præſcindendo à caſu particulari ſpes commodi, & metus incommodi reſpectu omnium æqualis eſt; qui jam exinde incommodum ſentit, alio tempore commodum ſentire poteſt; unde facilè in talem obli-

gationem omnes conſenſiſſe cenſentur. Denique quemadmodum ex conjunctione in corpus civile factum eſt, ut, quæ uni infertur injuria per extraneos, ea totam civitatem videatur tangere, ita non iniquum viſum, ſingulos velut in ſubſidium pro debito civitatis obligatos eſſe. Confer Grot. *cit. cap. 2.* §. *2. num. 1. & 2.* & Puffendorf *lib. 8. cap. 6. num. 13.*

VI.

Cauſa efficiens proxima eſt is, qui repreſſalias concedit; poteſt autem eas concedere ſolus ille, qui jus belli gerendi habet; belli enim ſpeciem præſeferunt, imò perſæpè pleni belli fomes, & præludia ſunt, ac proinde cùm ex earum uſu tota Reſpublica in diſcrimen adduci poſſit, jus eas concedendi rectè vulgò ad jus belli referri ſolet. Unde nullo modo aſſentiri poſſum Grot. qui *dict. cap. 2.* §. *7. num. 3.* jure Gentium ſingulis pignorandi jus eſſe ait; uti enim ſinguli jus belli indicendi non habent, ita ſine conſenſu ſummæ poteſtatis nec repreſſalias exercere poſſunt, quippe quæ ut plurimùm cum periculo belli, & toti Reipublicæ inde imminente diſcrimine conjunctæ ſunt. Mev. *Part. 8. Deciſ. 412.* Vitriar. *ſuprà cit. Quæſt. 14.* Willenberg. *Quæſt. 10.* Ziegler *ad dict.* §. *7.* & communiter DD.

VII.

Subjectum repreſſaliarum eſt impetrans; poteſt autem is demum impetrare repreſſalias, cui juſtitia in cauſa gravi, & liquida ab exterâ Republica, vel ejus capite denegata, vel malitioſè protracta eſt. *Ab exterâ*, inquam, *Republicâ*; ſi enim alicui à ſuâ Republicâ juſtitia ſit denegata, vel malitioſè protracta, repreſſaliæ locum non habent; nam vel id factum eſt ab inferiori judice, vel ab ipſâ poteſtate ſupremâ, Illo caſu recurſus ad ſuperiorem patet, non ut adverſùs alios innocentes repreſſalias concedat, ſed ut juſtitiam adminiſtret. Hoc autem caſu, ne vincula ordinatæ Reipublicæ laxentur, ac pax, & tranquillitas publica turbetur, injuria hæc æquo animo toleranda eſt, *ùt parentum ſævitiam, ſic patriæ patiendo, ac ferendo leniendam eſſe* dicebant Patres apud Liv. *lib. 27. cap. 36. in fin.*

VIII.

Objectum repreſſaliarum non tantùm bona, ſed & corpora ſubditorum Reipublicæ nocentis conſtituunt, quam perſonarum prehenſionem Græci Androlepſiam vocabant; & quidem non eo duntaxat

caſu

caſu perſonæ apprehendi poſſunt, quo noſtrorum ſubditorum quidam ab extraneâ Republicâ injuſtè detinentur, ſed etiam ſi circa eorum bona iniquitas ſit commiſſa, nec res ſubditorum Reipublicæ nocentis haberi queant. Vitriar. *Quæſt. 10.* Willenberg *Quæſt. 11.*

IX.

Subjacent autem jure Gentium Repreſſaliis omnes ſubditi illius Reipublicæ, quæ juſtitiam denegavit, aut malitioſè protraxit, modò tales ſint ex cauſâ permanente; temporarii enim, qui tranſeundi, aut moræ duntaxat exiguæ cauſâ in territorio nocentis Reipublicæ exiſtunt, Repreſſaliis gravari haud poſſunt, quippe quæ introductæ ſunt ad exemplum onerum, quæ pro exſolvendis debitis publicis indicuntur, à quibus immunes ſunt, qui tantùm ad tempus loci legibus ſubſunt. Grot. §. *7. num. 2.*

X.

Excipiuntur Legati, qui unà cum rebus ſuis adverſùs repreſſalias eodem jure Gentium tuti ſunt; quia finis legationis aliàs facilè impediri poſſet, modò non ad hoſtem noſtrum ſint miſſi, ita ut præſumptio ſit, legationem in damnum, & injuriam noſtram ſuſceptam eſſe, quo caſu ſi Legatus non acceptâ veniâ per fines noſtros tranſeat, is ſecuritatem ex jure Gentium non habet, ùt ſuo loco dicemus. Deinde jure Canonico excipiuntur etiam perſonæ Eccleſiaſticæ, & earum bona. *cap. un. de injur. & damn. dat. in 6.* cujus conſtitutionis vis, & efficacia ſe ad omnes populos Chriſtianos extendit.

XI.

Forma repreſſaliarum duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentia ſpecifica, qua ab aliis, cum quibus affinitatem habent, diſtinguuntur. Habent autem primò affinitatem cum arreſto, à quo tamen in eo differunt, quòd arreſtum etiam ab inferiori judice, & contra perſonas ejusdem Reipublicæ decerni poſſit, ſecùs ac repreſſaliæ; nemò etiam ob delictum alienum arreſto gravari poteſt, repreſſaliæ autem exercentur adverſùs Reipublicæ nocentis ſubditos propter debitum alienum, ac proinde ſi is ipſe, qui noſtræ Reipublicæ ſubdito aliquid debet, in noſtro territorio deprehenſus retineretur, vel res ejus apprehenderentur, non jam repreſſaliæ forent, ſed arreſtum.

XII.

XII.

Deinde repreſſaliæ affinitatem quoque habent cum retorſione ex edicto Prætoris, *quod quisque juris in alterum* &c. Differunt tamen in eo, quod ex hoc edicto quilibet Judex ſententiam ferre poſſit; quia agit ex præſcripto juris communis, ad cujus exercitium ſpeciali ſupremæ poteſtatis conſenſu opus haud eſt. Præterea retorſio etiam contra ejusdem reipublicæ ſubditos locum habet, & quidem adverſùs illum duntaxat, qui jus novum, & iniquum ſtatuit, aut poſtulatione ſuâ impetravit, ejúsque hæredes, non contra alios innocentes. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. verſ. ſed ſi tu. §. 4. & 5. ff. dict. tit.* quæ omnia, ùt ex dictis conſtat, aliter ſe habent in repreſſaliis.

XIII.

Quamvìs autem jus retorſionis moribus noſtris latiùs extenſum ſit, ita ut etiam ob diverſitatem juris obtineat, & quidem adverſùs illos, quibus nulla culpa imputari poteſt, tamen & hæc retorſionis ſpecies multùm differt à repreſſaliis; nam præterquam quòd non tantùm adverſùs exteros, ſed & contra ejusdem Reipublicæ ſubditos locum habeat, nec ob denegatam, vel malitioſè protractam juſtitiam, ſed ob ſolam diverſitatem juris, & quidem non iniqui exerceatur, inſuper illa conſenſum ſummæ poteſtatis non deſiderat, ſed ſufficit, ſi ſaltem Magiſtratûs ſubalterni auctoritas accedat. Adhæc repreſſaliæ eò tendunt, ut ipſe læſus debitam ſatisfactionem obtineat, atque indemnis ſervetur, retorſionis autem finis non eſt, ut illi, qui propter diverſum jus alterius læſus eſt, ſuccurratur; imò tametſi nemo noſtrorum ſubditorum adhuc læſus ſit, eò quòd civitas illa, contra quam retorquere intendimus, ob defectum occaſionis hactenus jure ſuo diverſo contra nos nondum ſit uſa, tamen retorſioni locus eſſe videtur; quia ſufficit, quòd illa generaliter hoc jure utatur, & nulla civitas jus aliud ab ea expectare poſſit. Stryk. *ad alleg. tit.* §. 4.

XIV.

Forma repreſſaliarum extrinſeca ſtat in legitima rerum, vel perſonarum Reipublicæ nocentis apprehenſione. Ut autem legitima ſit, requiritur imprimis, ut juſtitia ſit denegata, vel malitioſè protracta. Denegari dicitur juſtitia non tantùm, ſi exterus ab ipſo limine judicii, vel ſaltem à proſecutione litis repellatur, ſed etiam ſi

contra

contra eundem ſententia manifeſtò iniqua fuerit pronuntiata; quia auctoritas judicantis non poteſt exteros ad eandem patientiam obſtringere, ad quam ſubditos obſtrictos tenet; nam quòd ſubditi executionem etiam injuſtæ ſententiæ vi impedire, aut contra eam jus ſuum vi exequi non poſſint, id ex imperii in ipſos efficacia provenit, cui exteri ſubjecti haud ſunt. Grot. §. *5. num. 1.* à quo diſſentit Ziegler, qui putat, etiam exteris auctoritatem rei judicatæ obſtare, eò quòd effectus rei judicatæ non ex authoritate judicantis, ſed ex tacitâ conventione litigantium naſcatur, qui in judicio quaſi contraxerunt, ac proinde ſibi imputare debere extraneum, quòd in judicium tale conſenſerit. At malè; nam primò extero liberum non eſt, adire judicem, quem velit, ſed ex neceſſitate juris ſequi debet forum rei. Deinde is non in manifeſtam injuriam conſenſit, ſed in jus; aliàs ſi partes litem conteſtando ſibi invicem abſolutè cenſerentur promittere, quòd ſententiæ ſtare velint, non poſſent ab inferiore judice ad ſuperiorem provocare; & licèt ſi ſummus Imperans iniquam dixerit ſententiam, ulteriori provocationi locus haud ſit, hoc tamen non ex tacitâ conventione litigantium profluit, ſed ex eo, quòd ſuperior non detur, ad quem provocari poſſit. Quare ſubditus quidem, ne ordo imperandi, & parendi diſſolvatur, eóque diſſoluto ordinata civitas in diſſociatam multitudinem, & confuſam turbam, nemo ubi audit neminem, degeneret, injuriam hanc æquo animo tolerare debet, non autem extraneus, quem auctoritas judicantis neutiquam cogere poteſt, ut jus ſuum per injuſtam ſententiam ſibi auferri patiatur. Conſentit Hennigeſ. *ad* §. *5.* Secundò requiritur, ut cauſa ſit gravis, & liquida; nam in dubio præſumptio ſtat pro judice. Deinde ratio non patitur, ut in re modicâ ad repreſſalias decurratur, quia plerúmque cum periculo belli conjunctæ ſunt, cui Reſpublica temerè exponi non debet. Tertiò requiritur, ut nullum aliud ſuperſit remedium, quo extraneus id, quod ſuum eſt, aut ſibi debetur, obtinere poſſit. Quartò denique ejus, qui jus belli gerendi habet, conſenſus accedere debet, qui tamen non aliter repreſſalias permittere poteſt, quàm ſi prius pro juſtitia ſubdito adminiſtrandâ, aut fortè jam latâ iniquâ ſententia revocandâ transmiſſis, & communicatis rationibus, quibus jus ſubditi innixum eſt, enixè fruſtra tamen inſtituerit; licèt enim

alienæ ReipublicæRector denegando,vel malitioſè protrahendo juſtitiam ſe debito alieno obſtringat,cùm tamen per repreſſalias non in ipſius,ſed in bona ſubditorum, qui in ſubſidium duntaxat obligati ſunt, executio fiat, ratio omnino poſtulat,ut talis præmittatur interpellatio, ut conſtet,alio modo fieri non potuiſſe, ut ſubditus id, quod ſuum eſt, aut ſibi debitum, conſequeretur. Vittiar. *Quæſt. 8.* Adde Grot. *ſæpè cit. lib. 3. cap. 3. §. 6. num. 2.* Quòdſi ſummus Imperans etiam ſuppoſitâ juſtâ cauſâ, repreſſalias permittere nolit, id æquo animo ferendum eſt, nec continuò is propterea negligentiæ, aut ſocordiæ argui, ſed potiùs credi debet, eundem petitioni ſubditi propter bonum publicum, quod bono privato præferendum eſt, modò deferre non potuiſſe. Sic nec cauſa, quamvìs juſta, ſubditi alicujus ſemper obligat Rectorem ad bellum ſumendum, ſed ita demùm, ſi id ſine omnium, aut plurium ſubditorum incommodo fieri poteſt. Grot. *lib. 2. cap. 25. §. 2.*

XV.

Effectus repreſſaliarum duplex eſt, directus, & indirectus. Directus porro alius eſt, ſi perſonæ, alius, ſi res ſint apprehenſæ. Perſonæ tamdiu retineri poſſunt, donec à nocente Republicâ obtenta fuerit juſtitia; in quo finis repreſſaliarum conſiſtit; & licèt forte eandem conſequi non valeamus, vita tamen captis eripi haud poteſt; cùm non ſint hoſtes, ſed fidejuſſorio ſaltem nomine teneantur; ex fidejuſſione autem nemo interfici poteſt; quia nemo tale jus habet in vitam, ut eam ſibi ipſe adimere, aut adimendam obligare queat. Grot. *lib. 3. cap. 2. §. 6. junct. lib. 2. cap. 21. §. 11. num. 2.* Res captæ autem, ſi ſubditus noſter necdum præſtetur indemnis, tandem publicâ authoritate vel eidem pro quantitate debiti, & expenſarum in ſolutum addici, vel juſto pretio divendi poſſunt, & ex eo ſolutio fieri ita, ut, quod ſupereſt, repreſſalias paſſo reſtituatur. Exiſtimat quidem Grot. *cit. cap. 2. §. 7. num. 3.* quòd jure Gentium rerum captarum dominium ad ſummam debiti, & ſumptuum ſtatim ipſo facto acquiratur. Sed meo judicio malè; cùm repreſſaliarum finis alius non ſit, quàm ut hac ratione altera Reſpublica, quæ ſubdito noſtro juſtitiam hactenùs denegavit, vel malitioſè protraxit, ad eandem tandem adminiſtrandam compellatur, & ſi hoc obtineri non poſſit, ut tum demùm ex rebus captis ſubdito noſtro

indem-

indemnitas præſtetur; nam ita Gentibus, earúmque ſubditis ſatis cautum eſt, ac proinde gratìs dicitur, placuiſſe ipſis, ut rerum captarum dominium ſtatim ipſo facto ei cedat, qui repreſſalias impetravit. Ziegler *ad cit.* §. 7. Willenberg. *Quæſt.* 13. Vitriar. *Quæſt.* 15.

XVI.

Effectus indirectus conſiſtit in obligatione, vi cujus illi, qui non ſolvendo quod debebant, aut jus non reddendo, cauſam dederunt repreſſaliis, damna, quæ alii propterea perpeſſi ſunt, reſarcire teneantur. Grot. *dict.* §. 7. *num.* 4.

CAPUT II.

De jure pacis.

FInem bello imponit pax, imò finis belli debet eſſe pax; nec enim bellum ideo ſuſcipitur, ut perpetuò geratur, ſed ut tandem ſine injuria in pace vivere, & tutò quieſcere liceat. Poteſt autem pax conſiderari vel in ſe, vel in ſuis proprietatibus, acceſſionibus, & affinibus, de quibus omnibus jam ordine agemus. Sit igitur

§. I.

De pace in ſe ſpectata.

SUMMARIA.

I. *Deſcribitur pax pro ſtatu accepta.*

II. *Definitur pro conventione ſumpta.*

III. *Dividitur in univerſalem, & particularem.*

IV. *Pacem illi demum inire poſſunt, quorum auſpiciis bellum geritur.*

V. *Quamvìs Legatus ad pacem ineundam miſſus arcana mandata exceſſerit, mittens tamen obligatur.*

VI. *Duces belli ſine ſpeciali mandato pacem facere haud poſſunt.*

VII. *Quatenus Imperium pacis causâ à Regnante cedi, & alienari poſſit?*

VIII. *Quatenus Rex patrimonium populi pacis causâ alienare valeat!*

IX. *De fructibus patrimonii publici Reges pro arbitrio diſponere poſſunt.*

X. *An Rex rem ſaltem modicam ex patrimonio publico ſine populi conſenſu alienare poſſit?*

XI. *Res privatorum vi eminentis dominii pacis causâ in hoſtem transferri poſſunt.*

XII. *Tenetur tamen Civitas hoc damnum privatis reſarcire.*
XIII. *Quod etſi non fiat id tamen exteros non tangit.*
XIV. *Adducitur forma pacis intrinſeca.*
XV. *Extrinſeca ſtat in diverſis tranſigendi modis, qui duplicis maximè generis ſunt.*
XVI. *Effectus pacis conſiſtit in obligatione ſervandi ea, de quibus inter partes bellantes conventum eſt.*
XVII. *Obligat conventio pacis totam civitatem;*
XVIII. *Et omnes paciſcentis ſucceſſores.*
XIX. *Contraria paci eſt ejus ruptura.*
XX. *Rumpitur pax primò, ſi quid fiat contra naturam pacis generalem.*
XXI. *Utrùm pax rupta ſit, ſi ſocii eorum, cum quibus bellavimus nobis vim armatam inferant?*
XXII. *Vel ſi ſociis noſtris vis armorum inferatur?*
XXIII. *Secundò rumpitur pax, ſi quid fiat contra id, quod expreſſè conventum eſt.*
XXIV. *Utrùm bellum reſuſcitari poſſit, ſi quid fiat contra amicitiam?*
XXV. *Referuntur nonnulli actus pugnantes cum amicitia.*
XXVI. *Utrùm jure Gentium purgatio moræ admittatur, ſi implendis pacis conditionibus certum tempus præfixum ſit?*

I.

VOx pacis duobus modis accipitur. I. Pro ſtatu, in quo civitas exiſtit. II. Pro conventione, quâ bellum finitur. In illo ſignificatu pax dividitur in internam, & externam. Internam civitatis pacem S. Auguſtin. *lib. 19. de Civit. Dei cap. 13.* deſcribit, quòd ſit ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Externa verò eſt ordinata tranquillitas, & concordia Gentium, ac Rerumpublicarum inter ſe. Pax interna civitatis turbatur per bellum internum, ſeu civile, externa verò per bellum externum, ſeu hoſtile.

II.

Pax pro conventione pacis accepta deſcribi poteſt, quòd ſit pactum publicum, quo hoſtes inter ſe de bello in totum vel perpetuum tollendo tranſigunt. Verba: *pactum publicum*, generis locum ſuſtinent; quia hac in parte convenit cum induciis, & aliis conventionibus, quæ à perſonis publicis fiunt in utilitatem publicam;

cam; cœtera autem continent differentiam ſpecificam, & pacem ab induciis ſeparant; licèt enim in plures annos ſint initæ, bellum tamen, ùt ſuprà dictum eſt, non tollunt, ſed eo manente actus bellicos ad tempus duntaxat ſuſpendunt.

III.

Dividitur pax in univerſalem, & particularem. Univerſalem voco, quæ inter omnes bello implicitos initur; particularem verò, quæ non cum omnibus bello implicitis, ſed cum uno tantùm, vel altero fœderatorum pangitur, velut quandoque contingit, imò non unâ tantùm vice jam contigit, etiamſi in fœdere comprehenſum fuerit, ut nulli ſeorſim cum hoſte communi paciſci liceat, niſi ab eo omnibus juſtæ, & æquæ offerantur conditiones, quæ conventio valet, ac proinde ſervanda foret; ſi autem non ſervetur, enaſcitur pax particularis.

IV.

Cauſa efficiens pacis duplex eſt, Principalis, & Inſtrumentalis. Principalis ſunt illi, qui proprio nomine: inſtrumentalis verò, qui alieno nomine pacem ineunt. Poſſunt autem proprio nomine illi demum pacem inire, quorum auſpiciis bellum geritur, ut ſunt Reges, Optimates, & in Regimine populari populus. Reges tamen non aliter bellum cum pace commutare poſſunt, quàm ſi jus habeant non impeditum, qui enim vel in furorem, aut amentiam lapſi, vel nondum tam maturæ ſunt ætatis, ut adminiſtrationem Regni habeant, pacem cum hoſte pangere haud poſſunt. Planè is, qui Regno injuſtè pulſus eſt, jus pacem faciendi non amiſit, quia nec ſummum Imperium, eíque cohærentia jura, nec jus adminiſtrandi Regnum amiſit, licèt ejus poſſeſſionem amiſerit. Majus dubium eſſe videtur de Rege captivo; nam & hic ceſſante temporibus noſtris ſervitute, jus Regni, eíque cohærentia jura, unà cum jure adminiſtrandi retinet: ergò non minùs pacem facere poterit, quàm ille, qui regno injuſtè pulſus eſt, quod & verum eſſe credo, ſi regnum ſit patrimoniale; ſi autem liberâ populi voluntate ei delatum ſit, non aliter captivum pacem cum Victore facere poſſe arbitror, quàm ſi vel conditiones pacis populo non præjudicent, vel populus, aut Proceres, qui populum repræſentant, conſentiant; credi-

bile enim non eſt, Regi, à populo jus Regnum adminiſtrandi etiam pro tali tempore, quo pro obtinenda libertate quidvis extorqueri poſſet, conceſſum fuiſſe, ſed adminiſtratio, & quaſi tutela Regni interim penes populum erit, aut eum, cui populus id commiſerit. Confer Grot. *lib. 3. cap. 20.* §. *2. & 3.*

V.

Cauſa efficiens inſtrumentalis ſunt Tutores, & Curatores Regni, item Legati. Quamvis autem Legatus cum mandato generali, & illimitato ad pacem cum hoſte faciendam miſſus, arcana mandata ſibi ſoli ſignificata exceſſerit, nihilominùs tamen pacis conventio valida eſt, & mittens obligatur; nam vi mandati generalis obſtringitur mittens alteri, ut omnia, quæ Legatus vi illius cum eo egit, rata habeat; mandata autem arcana eò duntaxat tendunt, ut Legatus non agat, niſi ex præſcripto ſibi ſoli cognito; ſi verò ſecus egerit, ut eo nomine mandanti obſtrictus ſit ad id, quod intereſt; aliàs ſanè nihil cum internuntiis tutò agi poſſet; quia ſemper metuendum foret, ne ab apertis mandatis arcana diſcreparent; imò via panderetur, omnia Legatorum acta ſub hoc prætextu ſubvertendi, & alios inanibus tractatibus eludendi. Grot. *lib. 2. cap. 11.* §. *12.* & Puffendorf. *lib. 3. cap. 9.* §. *2.*

VI.

Contra Duces belli, tametſi bello gerendo maximâ cum poteſtate præpoſiti ſint, niſi ſpeciale habeant mandatum, pacem facere non poſſunt; quia bellum finire belli gerendi pars non eſt, ac proinde ampliſſima eorum poteſtas de iis tantùm, quæ ad bellum gerendum pertinent, erit intelligenda. Hinc rectè Eumenes, cùm Antiochus de pace agere vellet, ab Æmilio Regillo, cui navalis provincia mandata erat, in conſilium accitus, dixit: *cui rata iſta pax erit, quam ſine conſule, non ex auctoritate ſenatûs, non juſſu populi Romani peregerimus?* Liv. *lib. 37. cap. 19.* Grot. *lib. 3. cap. 22.* §. *7.*

VII.

Objectum pacis conſtituunt res tum publicæ; tum privatæ. Ad res publicas pertinet imperium, & patrimonium populi, cujus fructus deſtinati ſunt ad ſuſtentanda Reipublicæ, & Regiæ dignitatis onera. Imperium vel exiſtit in pleno, & abſoluto dominio Regnantis,

nantis, vel non. Illo caſu ſine dubio pacis cauſâ à Rege pro lubitu cedi, & alienari poteſt. Hoc autem caſu nec totum, nec ejus pars, veluti urbs, aut provincia aliqua aliter alienari poteſt, quàm ſi populi, vel ordinum, qui populum referunt, conſenſus accedat, ùt jam alibi dictum eſt, ubi ſimul diſcuſſum fuit, ſi pars tantùm alienanda ſit, utrùm etiam ipſius partis alienandæ conſenſus ſit neceſſarius.

VIII.

Similiter nec patrimonium populi Rex aliter alienare poteſt, quàm cum populi, aut ordinum conſenſu, niſi id lege Regni, aut more, cui nunquam contradictum eſt, ei permiſſum eſſe appareat. Cùm Rex in ejusmodi bonis non niſi adminiſtrationem, & uſumfructum habeat, quæ haud quaquam ad jus alienandi ſe extendunt. Et licèt fortè is ad vitam ſuam ſibi ſatis proſpectum putet, populus tamen, eo defuncto alio Rege opus habet, qui & ipſe pro dignitate ſuſtentandus eſt. Si tamen ejusmodi bonorum partem ex utilitate, vel omninò ex neceſſitate Reipublicæ alienatam eſſe appareat, ex ſcientia, & ſilentio etiam non longi temporis conſenſus populi præſumitur; patrimonium enim populi minoris momenti eſt, quàm imperium, cùm patrimonium imperii cauſâ conſtitutum ſit, & tamen, ſi partem imperii ex utilitate, vel neceſſitate Reipublicæ alienatam eſſe appareat, ex ſcientia, & ſilentio præſumi poteſt populi conſenſus: ergo multò magìs præſumi poterit in propoſito. Imò in caſu neceſſitatis nequidem populi conſenſu opus eſſe putat Ziegler ad Grot. *lib. 2. cap. 9. §. 11.* eò quòd Regi ſalutis publicæ cura in ſolidum commiſſa ſit, ac proinde eum nihil facere contra, vel præter voluntatem populi, ſi ex neceſſitate Reipublicæ partem patrimonii alienet, quod tunc demum admittendum eſſe cenſeo, ſi res moram non ferat, ut populus conſuli poſſit; nam in tali caſu non videtur opus eſſe conſenſu ſpeciali, ſed voluntatem generalem ſufficere arbitror. Confer Grot. *cit. cap. 6. §. 8. & 11.* item *lib. 3. cap. 20. §. 5.*

IX.

Quamvìs autem extra talem neceſſitatis caſum bona Regni ſine populi, aut procerum conſenſu alienari haud poſſint, aliud tamen dicendum eſt de fructibus patrimonii publici, de quibus Rex pro

ſuo

ſuo arbitrio diſponere poteſt; quia pleno jure ad ipſum pertinent. Sic & fructuarius fructuum ex re in uſumfructum conceſſâ perceptorum plenus fit Dominus, licèt ipſius rei fructuariæ Dominus non ſit. Sic etiam fructus ex re feudali percepti pleno jure ad vaſallum ſpectant, ita ut liberam eos alienandi habeat facultatem, tametſi ipſius rei feudalis alienatio ipſi prohibita ſit. Unde in propoſito fructus patrimonii publici confundi non debent cum ipſo patrimonio publico. Ita jus Inſularum in patrimonio eſſe ſolet, ipſæ Inſulæ in flumine publico natæ in fructu; jus vectigalia exigendi in patrimonio, pecunia ex vectigalibus procedens in fructu; jus confiſcandi in patrimonio, fundi confiſcati in fructu &c. Grot. *alleg. cap. 6. §. 12.*

X.

Sunt, qui Regem etiam nullâ urgente neceſſitate rem ſaltem modicam ex patrimonio publico ſine conſenſu populi alienare poſſe arbitrantur. Sed malè; quod enim meum non eſt, ejus nec exiguam partem alienandi mihi jus eſt. Atqui Reges patrimonii publici domini non ſunt, ſed uſumfructum duntaxat habent: ergo nec exiguam ejus partem ſine conſenſu populi alienare queunt. Si tamen populus partem exiguam patrimonii publici ſine conſenſu à Rege alienatam eſſe ſciat, ex ſcientiâ, & ſilentio ejus conſenſus facilius præſumitur, quàm in rebus magni momenti. Grot. *dict. cap. §. 11.*

XI.

Res autem privatorum, cùm ſub eminenti dominio civitatis exiſtant, quin pacis cauſâ ab eo, qui ſummum habet imperium, in hoſtem transferri poſſint, dubium planè non eſt, modò neceſſitas, vel publica ſaltem utilitas id exigat; nam ſine cauſâ neceſſitatis, vel publicæ utilitatis res ſubditis vi eminentis dominii auferri haud poſſunt, ſive ex jure Naturæ, ſive ex jure civili eorum propriæ ſint effectæ; falluntur enim, qui ſummis Imperantibus majus jus in has, quàm in illas competere arbitrantur; cùm dominium, ex qualicunque cauſa ortum ſit, ex ipſo jure naturali eosdem ſemper effectus habeat, ac proinde ſine cauſâ neceſſitatis, vel publicæ utilitatis tam parùm ſubditis auferri queunt res, quarum dominium nacti ſunt ex jure civili, quàm parùm auferri poſſunt illæ, quarum dominium ipſis quæſitum eſt ex jure naturali. Grot. *lib. 3. cap. 20. §. 9.*

XII.

XII.

Si tamen pacis cauſâ res ſubdito ablata, & in hoſtem translata fuerit, civitas ei hoc damnum, quod propter bonum publicum perpeſſus eſt, reſarcire tenetur; cùm ratio æquitatis haud patiatur, ut unus, vel alter privatus jacturâ rerum ſuarum abſque ullâ compenſatione pacem redimat, ſed ſicut pax bonum omnibus commune eſt, ita & damnum hoc, quo pax redempta eſt, omnibus commune eſſe debet, perinde ùt ex lege Rhodia damnum omnibus commune eſt, qui propter amiſſas res aliorum conſecuti ſunt, ùt ſuas ſalvas habeant: nec liberat civitatem ab hoc onere, quòd modò expungendo debito impar ſit, ſed quandocunque copia ſuppetet, exſeret ſeſe interim tantùm ſopita, non extincta obligatio. Grot. *cit. cap. 20. §. 7. num. 2.*

XIII.

Planê utrûm res ſubdito ex neceſſitate, vel utilitate Reipublicæ ablata, eóque nomine compenſatio facta ſit, hoc exteros, in quos ejusmodi res pacis cauſâ translata eſt, non tangit, ſed illis ſufficit factum Regis; nam primò dignitas perſonæ facit, ut res juſta ex cauſâ ſubdito ablata eſſe præſumatur. Deinde jure Gentium inductum eſt, ut pro eo, quod debet civitas, aut ejus caput, bona omnia ſubditorum quaſi pignori obligata ſint. Qui autem rem ſibi pignori nexam, & publicâ auctoritate addictam tenet, juſtus eſt ejus rei poſſeſſor. Quemadmodum igitur ad creditorem, cui res ab alio pro debitore obligata auctoritate judiciali addicta eſt, nihil pertinet, quòd is, cujus res fuerat, ſuum à debitore conſequi nequeat, ita etiam ad exterum, in quem res ſubditi pacis cauſâ auctoritate publicâ translata eſt, nihil pertinet, quòd is à civitate ſuum fortè conſequi nequeat; nihilominùs enim eandem abſque peccato retinere poteſt, modò bellum habuerit juſtum, nec res tradita modum debiti excedat. Grot. *ubi ſuprà* §. *10. junct. cap. 2.* §. *2. & cap. 13.* §. *1. num. 2.*

XIV.

Forma pacis duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentia ſpecifica, quâ pax diſtinguitur ab induciis, quæ, ut paulò ſuprà dictum, in eo ſita eſt, quòd pax bellum in perpetuum tollat; induciæ verò, licèt in plures annos contractæ ſint,

bellum non tollant, ſed eo manente actus bellicos tantùm ad tempus ſuſpendant.

XV.

Forma autem extrinſeca ſtat in diverſis tranſigendi modis; tametſi verò ſpectato jure Naturæ bellum ita componendum foret, ut, qui juſtam, habuit bellandi cauſam, id omne conſequeretur, quod ipſi ab hoſte debetur; quia tamen ad pacem vix ita veniri ſolet, ut unus alteri injuriam ſe feciſſe fateatur, ideo plerumque tali modo conveniri ſolet, ut utrique ſalva relinquatur juſtitiæ fama, & ſpecies, quod duobus maximè fit modis; primò ut reſtituatur cuique, quod ante bellum habuit, ubi ultima reſpicitur poſſeſſio, ita tamen, ut privatis paulò ante bellum dejectis interdicto unde vi, aut rei vindicatione apud competentem judicem experiri liceat. Secundò, ut ſervet quisque, quod bello cepit, & res maneant, quo ſunt loco. Et hoc poſterius, quia nullam inducit mutationem, in dubio magìs præſumitur; unde transfugæ non redduntur, niſi de illis reddendis expreſſè convenerit. Grot. *cit. lib. 3. cap. 20.* §. *11. 12. & 13.*

XVI.

Effectus pacis pro conventione, quâ bellum finitur, acceptæ eſt obligatio, ſervandi ea, de quibus inter partes bellantes conventum eſt, ſive deinde bellum ex parte adverſâ fuerit juſtum, ſive fuerit injuſtum; nam fides etiam hoſti injuſto ſervanda eſt, cùm & prædoni ac latroni ſervari debeat; aliàs ſanè ſi poſt initam pacem primùm ſuper juſtitiâ, vel injuſtitia belli diſceptari poſſet, pax non tam finis belli, quàm potiùs ejus initium foret: & quamvìs prædoni, ac latroni, ſi vi injuſtâ promiſſionem extorſerint, exceptio metûs opponi queat, ea tamen, quæ belli finiendi cauſâ promittuntur, adeò ſunt firma, ut jure Gentium, invito eo, cui promiſſa ſunt, in irritum deduci haud poſſint; quia hoc jure metus bello publico incuſſus pro juſto habetur; aliàs enim ejusmodi bellis nullus finis imponi poſſet, quod tamen ut fiat, intereſt humani generis. Tametſi igitur ſub duris admodùm conditionibus pax ſit facta, nihilominùs tamen ea ſervanda erit, nec Reipublicæ nociva videri debet, quæ ad extrema quævis evitanda fuit neceſſaria. Vid. Grot. *dict. lib. 3. cap. 19.* §. *11. & cap. 25.* §. *7.* Bœhmer *in J.P.U. lib. 2. cap. 1.* §. *37.* & ibi in annotatis

XVII.

XVII.

Obligat autem conventio pacis non tantùm ipſum paciſcentem, ſed & civitatem paciſcenti ſubjectam; nam hoc ipſo, quòd in eum tranſlatum ſit ſummum Imperium, ſimul etiam poteſtas civitatem paciſcendo obligandi translata eſſe cenſetur, utpote ad exercendum imperium omnino neceſſaria. Obligatur autem civitas conventione pacis non tantùm, quatenùs vicem ſuſtinet unius perſonæ fictæ à ſingulis moraliter diverſæ, ſed etiam quatenus conſideratur ſecundùm ſingulos, ex quibus conſtat, & quidem, niſi aliud dictum ſit, ſtatim à momento perfectæ, & abſolutæ conventionis, non demum à tempore factæ promulgationis per ea, quæ *ſuprà de induciis* ſunt dicta, quò me remitto.

XVIII.

Deinde etiam omnes paciſcentis ſucceſſores obligantur, & quidem, ſi Regnum ſit patrimoniale, directè; ſi verò hæreditarium ſit, vel lineale, indirectè, ſeu intermediâ civitate, quæ obligationem ſuam in ſucceſſores transmittit hoc ipſo, quòd illi ab eâ jus imperii accipiant. Vid. Grot. *lib. 2. cap. 14.* §. *10. & 11.* Imò eum quoque, qui jure belli in Regnum ſuccedit, legibus pacis olim cum aliâ Gente initæ obligari, verius mihi videtur, quamvìs diſſentiat Bœhmer *cit. cap. 1.* §. *38. Litt. M.* Cùm occupatio bellica efficere non poſſit, ut populus obligatione ſuâ liberetur, quippe qui non deſinit idem eſſe populus. Si autem populus obſtrictus manet, non poteſt immunis eſſe, qui jam ejusdem caput eſt, tametſi is jure belli imperium ſit nactus. Sanè populus cum omnibus juribus in poteſtatem victoris tranſit: ergò ratio poſtulat, ut & obligationes populi ſuſcipiat; quæ ſententia minus dubii habere videtur, ſi victor in jus duntaxat devicti Regis ſucceſſerit. Confer Ziegler *ad cit. cap. 14.* §. *11.* & Hennigeſ. *ad* §. *10.*

XIX.

Contraria paci eſt ejus ruptura; ſi enim pax ab altero rupta ſit, pars innocens ab obligatione, quâ viciſſim tenebatur, liberata eſt, cùm ſingula pacis capita per modum conditionis aliis ineſſe videantur: ſi autem nihilominùs paci ſtare velit, & alter, qui pacem perfidè rupit, eidem ſtare tenebitur, cùm contra obligationem faciendo

nemo ſe obligationi eximere queat; & hoc verum eſt, tametſi expreſſè additum ſit, ut tali facto pax rupta habeatur; quia hoc in favorem innocentis duntaxat adjectum cenſeri debet. Non dicitur autem pacem rumpere, qui novam tantùm bello juſto cauſam præbet; injuſtus quidem is eſt, at non perfidus; qui autem temerè pacem rumpit, etiam perfidiæ reus eſt. Confer Grot. *lib. 3. cap. 19. §. 14. & cap. 20. §. 27. & 38.*

XX.

Rumpitur igitur pax duobus modis. Primò ſi quid fiat contra naturam pacis generalem, velut accidit, ſi citra novam cauſam vis bellica inferatur. Ubi conſiderari poſſunt perſonæ tum quæ inferunt vim armatam, tum quibus ea infertur. Inferunt vel qui ſubditi ſunt, vel qui ſocii fuerunt eorum, cum quibus bellavimus. Si ſubditi vim armatam inferant, intereſt, utrùm id faciant juſſu ejus, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, vel non. Illo caſu haud dubiè pax rupta erit. Hoc autem caſu porrò refert, utrùm per ſe arma moveant, vel aliis bellum gerentibus militent. Si per ſe arma moveant, non aliter pax rupta eſſe cenſetur, quàm ſi privatorum factum ab eo, qui ſummum imperium habet, probatum dici poſſit, ad quod tria requiruntur, Primò ut is ſciat, deinde ut punire poſſit, & porro ut punire negligat. Scientia evincitur ex eo, quòd factum ſit manifeſtum, aut ei ab altero denuntiatum. Potentia puniendi præſumitur, niſi defectio, aut ſeditio appareat. Neglectum verò oſtendit elapſum tanti temporis ſpatium, quantum in quaque civitate ad punienda crimina ſumi ſolet. Et talis neglectus perinde habetur, ac ſi factum privatorum decreto publico fuiſſet approbatum. Grot. *cit. cap. 20. §. 30.* Idem dicendum eſſe videtur, ſi ſummus Imperans ſubditos ſuos aliis contra nos bellum gerentibus militare permittat, niſi ex probabilibus argumentis aliud actum eſſe appareat; ſi enim ſciat, eos contra nos militare velle, tenetur hoc prohibere, quod ſi non faciat, perinde fractæ pacis reus erit, ac ſi expreſſo decreto id permiſiſſet. Grot. *dict. cap. §. 31.*

XXI.

Si ſocii eorum, cum quibus bellavimus, nobis, vim armatam inferant, ſiquidem illi quorum ſocii antea fuerant, hac in parte innocentes

centes ſint, ipſi tantùm, qui vim nobis intulerunt, ruptæ pacis tenebuntur? in eos autem, qui nihil fecerunt, jus bellandi non erit, ut perperam aliquando putârunt Thebani, qui contra Platæenſes Lacedæmoniorum ſocios ideò ſe bellum movere poſſe dixerunt, quòd Lacedæmonii Cadmæâ ex inſidiis captâ pacem rupiſſent, cùm tamen Platæenſes nihil deliquiſſent. Aliud dicendum, ſi ita conventum ſit, ut uno ſociorum pacem rumpente etiam reſpectu aliorum pax ſoluta ſit, quod tamen, niſi in tabulis pacis expreſſum fuerit, non creditur actum eſſe, cùm id communi pacem facientium voto contrarium ſit. Grot. §. *29*.

XXII.

Perſonæ, quibus vis bellica infertur, ſunt vel corpus civitatis quà tale, vel ſubditi, vel ſocii. Si corpori civitatis, vel ſubditis ejus vis armata inferatur ſine novâ cauſâ, haud dubiè pax rupta erit; quia eo fine initur, ut & corpus, & ſinguli tuti ſint. Si verò ſociis vis armorum illata ſit, tunc intereſt, utrùm illi paci nominatim incluſi ſint, vel non. Illo caſu pax rupta eſt, ſive ipſimet pacem pepigerint, ſive alii pro ipſis, modò conſtet, eos pacem ratam habuiſſe. Hoc autem caſu non erit rupta; interim tamen ſocium defendere prohibitum non eſt. Grot. §. *33*.

XXIII.

Secundò rumpitur pax, ſi quid fiat, vel omittatur, quod ut omitteretur, vel fieret, expreſſè conventum eſt, ſive deinde transgreſſio gravis ſit, ſive levis; ruptum enim dicitur etiam, quod ex minimâ tantùm parte ruptum eſt; bonitatis tamen, maximè Chriſtianæ eſt, leviores culpas, accedente præſertim pœnitentiâ, facile condonare. Et ſanè ſi ad bellum ob ingentia mala, quæ ſecum trahit, decurri non debet, niſi cauſa ſit gravis, neque poſt tot cædes, tantámque ſanguinis humani profuſionem reſuſcitari debet, niſi transgreſſio ſit gravis; quamvìs ut paci magìs caveatur, non abs re erit, capitibus minoris momenti expreſſam adjicere clauſulam, ut licèt fortè adverſùs ea quid factum fuerit, pax tamen firma manere debeat, quod & actum eſſe cenſetur, ſi certo capiti in caſum contraventionis pœna adjecta ſit, niſi alteri diſſertis verbis electio ſit relicta, utrùm pœnam petere, vel à transactione recedere malit. Quòdſi res promiſſa

miſſa perierit, aut factum aliquo eventu redditum ſit impoſſibile, nemo quidem dixerit, pacem ruptam eſſe, cùm culpa non ſit, non implere promiſſum, ſi impleri non poſſit; interim tamen alter eligere poterit, utrùm expectare velit, donec promiſſum impleri queat, ſi quæ forte ſpes ſit, id aliquando impleri poſſe, vel utrùm æſtimationem ejus, quod præſtari non poteſt, accipere malit, vel denique mutuis præſtationibus illi capiti reſpondentibus, aut æquivalentibus liberari. Confer Grot. §. *35. 36. & 37.*

XXIV.

Inter capita pacis plerumque & hoc eſſe ſolet, ut ſincera inter paciſcentes colatur amicitia; quamvìs enim & citra pactum humanitatis, & amicitiæ officia omnibus, cum quibus in pace vivimus, ſint exhibenda, jure tamen ſtricto, & perfecto, niſi in pactum deducantur, ea non debentur, ac proinde, tametſi ab altero aliquid fiat contra amicitiam, id tamen juſtam bello cauſam haud præbet; ſi autem pax diſertis verbis ſub amicitiæ lege ſit contracta, officia, & effectus amicitiæ etiam jure pacti conventi debentur, ita ut ſi quid fiat contra amicitiam, fœdus pacis ruptum ſit, & bellum reſuſcitari poſſit, licèt cœteroquin contra alia pacis capita nihil ſit factum; quidquid tamen ſit, in mitiorem ſemper partem, quantùm fieri poteſt, interpretari oportet; ſi enim omnia rigidiùs interpretari vellemus, vix ulla pax ſtare poſſet: unde injuria perſonæ etiam conjunctæ facta non cenſebitur ipſi, cum quo pax facta eſt, illata eſſe, niſi aperte ad ipſius ſuggillationem factam eſſe appareat.

XXV.

Talis actus, qui cum amicitia pugnat, ſunt arces non tuendi, ſed nocendi cauſâ in finibus ſtructæ, *nocendi*, inquam, cauſâ; nam, ùt ſuprà dictum, qui nullâ pactione impeditus eſt, ſe tuendi cauſâ arcem in confinio extruere non prohibetur, nec alter propterea juſtam eidem bellum inferendi cauſam habet. Talis actus etiam eſt inſolita copiarum conſcriptio, modò ex legitimis indiciis appareat, hæc in eum, cum quo pax facta eſt, & non in alium comparari. Talis item eſt oppida, aut magnos cœtus, qui civitatis partem integrantem faciunt, recipere; non poſſet enim civilis ſocietas ſubſi-

ſtere,

ſtere, ſi hoc liceret. Aliud dicendum de ſubditis ſingulis, qui ex altera ditione in alteram migrare volunt; hos enim ſuſcipere contra amicitiam non eſt, niſi ſpeciali juramento, aut aliter obſtricti miniſterium, aut ſervitutem debeant, aut ſocietatis civilis interſit, ne diſcedant; ſi enim nihil horum ſubſit, populi in liberam civium diſceſſionem conſentire creduntur, cùm ex eâ libertate non minus commodi aliunde ſentire poſſint, adeóque contra amicitiam non eſt ejusmodi diſcedentes recipere. Grot. *ſæpiùs alleg. cap. 20.* §. 40. & 41. *junct. lib. 2. cap. 5.* §. 24.

XXVI.

Quòdſi implendis pacis conditionibus certum ſit præfixum tempus, illud ſtrictiſſimè interpretandum erit, adeò ut jure Gentium purgatio moræ non admittatur; niſi improviſa neceſſitas impedimento fuerit, aut aliàs omnis doli ſuſpicio abſit, cùm breve etiam tempus ad magnas rerum converſiones valere poſſit. Et ſanè ſi ad implendas pacis conditiones mora indulgeretur, facile foret, occaſionem nanciſci à pactis reſiliendi. Accedit, quòd alter exercitum, qui utique magno ſumptu ſuſtentatur, non tutò prius dimittere poſſit, quàm conditiones pacis fuerint impletæ. Ita Puffendorf. *lib. 8. cap. 8.* §. 4. poſt Grot. *dict. cap. 20.* §. 25. à quibus tamen diſſentit Ziegler.

§. II.

De amneſtia.

SUMMARIA.

I. *Amneſtia etiam lex oblivionis, & plebiſcitum Thraſybuli vocari ſolet.*

II. *Deſcribitur Amneſtia.*

III. *Dividitur primò in civilem, & externam.*

IV. *Secundò in Generalem, ſeu illimitatam, & ſpecialem, ſeu reſtrictam.*

V. *Ter-*

V. *Tertiò in expreſſam, & tacitam.*

VI. *Rejicitur diviſio in perpetuam, & temporalem.*

VII. *Cauſa efficiens Amneſtiæ ille demum eſt, qui jus belli, & pacis habet.*

VIII. *Subjectum ſunt perſonæ, quæ eâdem fruuntur.*

IX. *Adducitur objectum Amneſtiæ.*

X. *Tenetur civitas damna ſubditis ſuis ab hoſte illata, & pacis obtinendæ causâ remiſſa reſarcire.*

XI. *Tametſi civitas ex illis nullam ſenſerit utilitatem.*

XII. *Solvitur primum argumentum contrarium.*

XIII. *Reſpondetur ad ſecundum.*

XIV. *Enervatur tertium.*

XV. *Satisfit quarto.*

XVI. *Affertur forma Amneſtiæ.*

XVII. *Adducitur primus ejus effectus.*

XVIII. *Utrùm pace fractâ remiſſum eſſe intelligatur, quod privatis ex cauſa bellum antecedente deberi cœpit?*

XIX. *Affertur effectus Amneſtiæ ſecundus.*

XX. *Amneſtia etiam rebellibus ſubditis promiſſa ſervanda eſt.*

XXI. *Adeò, ut ſummus imperans adversùs eam nequidem in integrum ſe reſtituere poſſit.*

XXII. *Quando Amneſtia iterum reſolvatur?*

I.

INter proprietates pacis principem locum tenet Amneſtia, quæ & lex oblivionis, item plebiſcitum Thraſybuli vocari ſolet; cùm enim is Athenienſium civitatem à triginta Tyrannorum ſævitiâ liberâſſet, lege latâ cavit, *ne quis antè actarum rerum accuſaretur, néve mulctaretur*; eámque illi legem oblivionis appellârunt, atque ita

ita concuſſum, ac labentem civitatis ſtatum in priſtinum florem revocavit. Valer. Max. *lib. 4. cap. 1.*

II.

Deſcribi poteſt, quòd ſit omnium eorum, quæ in bello, vel ejus occaſione ad invidiam, injuriam, aut offenſionem alterius facta ſunt, promiſſa oblivio.

III.

Dividitur Amneſtia I. in civilem, & externam. Civilem voco, quæ in bello civili rebellibus indulgetur ſubditis: externam verò, quæ in bello hoſtili extero promittitur hoſti.

IV.

Dividitur II. in generalem, ſeu illimitatam, & ſpecialem, ſeu reſtrictam. Generalis, ſeu illimitata eſt, quæ omnes, & ſingulæ injuriæ, violentiæ, hoſtilitates, & damna illata ſimpliciter, & abſolutè abſque ullâ exceptione reſpectu omnium perpetuæ traduntur oblivioni. Exemplum habes in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ *Art. 2.* ſpecialis verò, ſeu reſtricta, ubi vel certa damna, vel quædam perſonæ excipiuntur, & ab ea excluduntur. Stryck. *de Jur. ſenſ. Diſſert. 9. cap. 5. num. 14. & ſeqq.* ubi exempla affert.

V.

Dividitur III. in expreſſam, & tacitam. Expreſſa eſt, quæ verbis diſertis promittitur. Tacita, quæ paci ineſt, tametſi expreſſè nihil de eâ dictum ſit; cùm enim pax firma coaleſcere non poſſit, niſi præteritorum malorum aboleatur memoria, inimicitiæ deponantur, remittatur vindicta, ideo omni paci ſuâpte naturâ ineſt Amneſtia, licèt verbis expreſſa non ſit. Vitriar. *cap. ult. Quæſt. 7.*

VI.

Dividunt nonnulli IV. in perpetuam, & temporalem; nam injuriæ, ac offenſiones non ſemper oblivioni mandantur perpetuæ, ſed earum vindicatio quandoque ad tempus duntaxat ſuſpenditur, & differtur, velut accidit in induciis in plures annos contractis. Sed uti induciæ longiores pax non ſunt, ita nec talis ſuſpenſio, ac dilatio vindicationis vera Amneſtia eſt, imò tantum ab ea differt, quantum differt ſuſpenſio, ac dilatio debiti ab ejusdem remiſſione. Stryck. *ubi ſuprà num.* 41.

VII.

Cauſa efficiens Amneſtiæ eſt is, qui injurias, ac offenſiones in bello, ejúsve occaſione, ac intuitu ſibi, aut ſubditis illatas remittit, abolet, ac perpetuæ oblivioni mandat. Poſſunt autem illi demum easdem remittere, abolere, ac perpetuæ mandare oblivioni, qui jus belli, & pacis habent. Quàm parùm igitur Duces belli ſine ſpeciali mandato ſummi Imperantis pacem inire queunt, tam parùm injurias, ac offenſiones in bello, vel ejus intuitu illatas remittere, & abolere poſſunt.

VIII.

Subjectum Amneſtiæ ſunt perſonæ, quæ eâdem fruuntur; ubi Amneſtia generalis, ſeu illimitata ſecerni debet à ſpeciali, ſeu reſtrictâ. Generalis ad omnes extenditur: ſpecialis verò eas tantùm complectitur perſonas, quæ nominatim non ſunt exceptæ. Sic cùm Carolus II. Rex Angliæ Anno 1660. patrium occupaturus Regnum Angliam intraret, horrendas parenti, & ſibi illatas injurias indultâ Amneſtiâ, & promiſſâ impunitate omnes quidem delevit, exceptis tamen perſonis, quas Parlamentum tanto beneficio indignas judicaturum foret. Stryck. *cit. loc. num.* 17.

IX.

Objectum Amneſtiæ ſunt injuriæ, offenſiones, hoſtilitates, ac damna in bello, ejúsve intuitu illata, quæ omnia Amneſtia in perpetuum

petuum abolet, & ſepelit; tametſi enim aliàs remiſſis injuriis damna non aliter remiſſa eſſe intelligantur, quàm ſi eorum quoque expreſſa fuerit mentio facta, cùm remiſſio ſtricti juris, nec ultra verba extendenda ſit, omni tamen pace, niſi aliter convenerit, id actum cenſeri debet, ut, quæ bello data ſunt damna, remiſſa eſſe videantur; cùm in dubio bellantes ita contrahere voluiſſe cenſeantur, ut neuter injuſtitiæ damnaretur. Grot. *lib. 3. cap. 20.* §. *15.* ubi tamen

X.

Non ſatis expeditum eſt, utrùm civitas damna ſubditis ſuis ab hoſte illata, & pacis obtinendæ cauſâ remiſſa reſarcire teneatur? Affirmat Grot. *cit cap.* § *8.* & poſt eum Vitriar. *Quæſt. 10.* Quibus aſſentior; æquum enim eſt, ut damnum, quod unus ſociorum citra culpam ſuam ſocietatis cauſâ perpeſſus eſt, omnibus commune ſit, velut textus elegans eſt *in l. 52.* §. *4. ff. pro ſoc.* cujus hæc ſunt verba: *quidam ſagariam negotiatoriam coierunt: alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit, ſuámque pecuniam perdidit: ſervi ejus vulnerati ſunt, resq; proprias perdidit, dicit Julianus, damnum eſſe commune, idémque actione pro ſocio damni partem dimidiam agnoſcere debere tam pecuniæ, quàm rerum cæterarum, quas ſecum non tuliſſet ſocius, niſi ad merces communi nomine comparandas proficiſceretur. Sed & , ſiquid in Medicos expenſum eſt, pro parte ſocium agnoſcere debere, rectiſſimè Julianus probat. Proinde & ſi naufragio quid periit, cùm non aliàs merces, quàm navi ſolerent advehi, damnum ambo ſentient; nam ſicuti lucrum ita damnum quoque commune eſſe oportet, quod non culpâ ſocii contigit:* ergo etiam æquum eſt, ut damna privatis tempore belli ab hoſtibus illata omnibus civibus communia ſint, cùm omnes cives ejusdem Reipublicæ ſocii inter ſe ſint, & ejusmodi damna ſocietatis cauſâ contingant. Certè ſi civitas vi eminentis dominii pacis obtinendæ cauſâ res ſubditorum in hoſtem transferat, tenetur illa hoc damnum iis, qui ſuum amiſêre, vel ſtatim, ſi fieri poſſit, vel ſaltem ubi ſolvendo eſſe cœperit, ex publico reſarcire, & compenſare, cùm æquitas non patiatur, ut unus, vel alter jacturâ rerum ſuarum pacem redimat,

ſed ſicut illa bonum omnibus commune eſt, ita & damnum hoc, quo pax redempta eſt, omnibus commune eſſe debet: ergo etiam ſi civitas pacis obtinendæ cauſâ damna durante bello ſubditis ab hoſte illata vi eminentis dominii remittat, tenetur illa hæc, ſi fieri poſſit, ex publico reſarcire, & compenſare. Si autem alter bellum juſtum geſſerit, damna, quæ ſubditis hoſtilibus ipſe intulit, in partem ſolutionis cedunt: quod autem ſubditi pro ſua civitate ſolvunt, id ipſis ab eâdem reſtitui debet; quia tanquam fidejuſſores duntaxat tenentur, & bona eorum per modum pignoris tantùm ſunt obligata.

XI.

Sunt, qui illa damna, quæ ſubditi in commodum publicum perpeſſi ſunt, ſecernunt ab illis, ex quibus civitas nullam ſenſit, aut ſperare potuit utilitatem, veluti ſunt incendia, & expilationes. Prioris generis damna ſubditis à civitate quidem reſarcienda eſſe cenſent, poſterioris verò generis pro mero caſu fortuito habenda, & æquo animo à ſubditis ferenda eſſe contendunt. Sed meo judicio malè; nam obligatio ſubditis damna prioris generis compenſandi non in hoc tantùm fundatur, quòd civitas exinde utilitatem ſenſerit, ſed etiam, & quidem principaliter in eo, quòd ejusmodi damna ſubditi ſocietatis cauſâ acceperint, quæ, uti in privatis, ita & in publicis ſocietatibus inter omnes ſocios communia eſſe debent. Atque etiam damna poſterioris generis ſocietatis cauſâ contingunt; cùm ſocietas, quæ inter omnes ejusdem Reipublicæ cives contracta eſt, etiam bellum, quod civitas alteri infert, vel eidem ab altero infertur, reſpiciat; ergo & hæc damna communia eſſe debent. Deinde tametſi ex ejusmodi damnis ſubditorum civitas nullam ſentiat utilitatem, ſentit tamen ex eorum remiſſione, quia hoc quaſi pretio pax redimitur, quæ cùm bonum omnibus commune ſit, etiam damna illa, quæ vi eminentis dominii pacis obtinendæ cauſâ remittuntur, omnibus communia eſſe debent. Certè privati tam parùm abſque omni ſpe compenſandi tenentur remiſſione juris, quod adverſùs illum, qui bello injuſto damna ipſis intulit, ad ea reſarcienda habent, pacem comparare, quàm

quàm parùm eandem comparare tenentur rebus ſuis aliis in hoſtem translatis: ergo ſi hoc caſu ipſis compenſatio facienda eſt, etiam illo caſu facienda erit. Unde nihil ad rem facit, quòd ejusmodi damna pro meris caſibus fortuitis habenda ſint; nihilominus enim verum manet, quòd tota civitas ex eorum remiſſione commodum ſentiat. Accedit, quòd etiam damna, quæ caſu fortuito ſocietatis cauſâ contigerunt, inter omnes ſocios ex naturâ ſocietatis communia ſint.

XII.

Utitur quidem civitas jure ſuo, ſi pacis cauſâ damna ſubditis ſuis ab hoſte illata remittat. At exinde perperam infertur, eandem ad nullam ſubditis compenſationem teneri; nam etiam jure ſuo utitur, ſi pacis obtinendæ cauſâ res ſubditorum vi eminentis dominii in hoſtem transferat, & tamen, ſi verum amamus, negari non poteſt, eandem hoc caſu teneri iis, qui ſuum amiſerunt, ex publico compenſationem facere: ergo etiam compenſationem facere tenentur ſubditis propter damna illis ab hoſte illata, & pacis obtinendæ cauſâ remiſſa, tametſi remittendo jure ſuo uſa ſit civitas. Similiter ille, qui in extrema neceſſitate conſtitutus abſumit rem alienam, etiam jure ſuo utitur, nec tamen ab onere reſtituendi liber eſt, ſi transactâ neceſſitate reſtituere poſſit; quamvis enim in tali extremæ neceſſitatis caſu reviviſcat primæva rerum communio, non tamen reviviſcit abſolutè, ſed eatenus tantùm, quatenus ad evitandam talem neceſſitatem neceſſarium eſt: nec enim natura diviſioni bonorum, & diſtinctioni dominiorum ampliùs derogare cenſetur, quàm quatenus neceſſarium eſt, ut quis tantam neceſſitatem effugere poſſit, ad quod ſufficit, ſi reviviſcat, cum onere, transactâ neceſſitate reſtituendi, ſi reſtituere poſſit. Uti ergo jus abſumendi rem alienam in caſu extremæ neceſſitatis, non abſolutum, ſed conditionatum duntaxat eſt, cum obligatione, ceſſante neceſſitate, reſtituendi connexum, ita etiam jus pacis cauſâ remittendi damna ab hoſte ſubditis illata abſolutum non eſt, ſed tantùm conditionatum, annexam habens obligationem compenſandi,

ſi civitas compenſare poſſit. Deinde, qui primi in cœtum civilem coïerunt, aut eidem ex poſt acceſſerunt, omnino velle cenſentur, ut non minùs damna, quæ ſocietatis cauſâ contingunt, quàm commoda inter omnes ſint communia.

XIII.

Præterea ſi pax aliter coaleſcere non poſſit, quàm ſi damna ab hoſte ſubditis illata remittantur, ipſimet quidem ſubditi ex juſtitia legali illa remittere tenentur. At ex hoc denuo malè infertur, civitatem, ſi remittat, ad nullam compenſationem faciendam obligatam eſſe; nam etſi pax aliter coiri non poſſit, quàm ſi bona quorundam ſubditorum in hoſtem transferantur, tenentur illi ex juſtitia legali in talem translationem conſentire, & tamen hoc damnum ipſis ex publico reſarciri debet. Similiter ſi ſalus publica exigat, ut loco muniendi cauſâ ædes alicujus deſtruantur, tenetur is in demolitionem conſentire, & tamen omnes fatentur, hoc damnum eidem compenſandum eſſe. Item ſi civis opibus abundans Reipublicæ in gravi neceſſitate conſtitutæ ſuâ pecuniâ ſubvenire poſſit, tenetur is ad hoc ex juſtitia legali; quis autem dixerit, eidem, ſi ſubvenerit, nihil reſtituendum eſſe: ergo etiam in noſtro caſu ſubditis aliqua compenſatio facienda eſt; cùm enim pax commune bonum ſit, etiam illud, quo velut pretio pax redimitur, omnibus commune eſſe debet. Deinde quidquid ſit, hoc ſemper manet, quòd damna, quæ ſocietatis cauſâ contingunt, ab omnibus ſociis ſint agnoſcenda.

XIV.

Jure Gentium quidem hoſti hoſtem & in perſona, & in rebus lædere licet, adeò ut talis læſio à populis pacatis pro juſtâ habeatur. At imprimis hoc jus Gentium externum tantùm eſt; jure autem Naturæ ei, qui bellum injuſtum gerit, hoc licitum non eſt, ſed ſi læſerit, ei ad reſtitutionem omnium damnorum obligatus eſt, ac proinde ſi pacis obtinendæ cauſâ civitas vi eminentis do-

minii hanc obligationem remittat, æquum eſt, ut ſubditis, qui damna perpeſſi ſunt, ex publico fiat compenſatio. Deinde jus hoc Gentium non reſpicit cives inter ſe, qui, cùm ſocii ſint, ratio æquitatis exigit, ut communia habeant damna, quæ ſocietatis cauſâ contingunt.

XV.

Dices, jus, quod privati adverſùs hoſtem habent ad reſarcienda damna injuſtè illata, non magni æſtimari poſſe, cùm ſpes exigua ſit reſarcitionem obtinendi: ergo licèt civitas jus illud ſubditorum remittat, ad nullam tamen compenſationem tenetur. At primò ſemper redit, quòd damna, quæ ſocietatis cauſâ contingunt, ex naturâ ſocietatis inter omnes ſocios ſint communia, adeò ut in privatis ſocietatibus etiam illa damna ſocius pro parte agnoſcere debeat, quæ alter ſocius ex cauſâ ſocietatis propterea perpeſſus eſt, quia in latrones incidit, ubi tamen nulla ſpes eſt, reſarcitionem obtinendi: ergo etiam in propoſito damna erunt communia, licèt exigua ſpes ſit, reſarcitionem ab hoſte obtinendi. Deinde ſi jus hoc ſubditorum nullius æſtimationis eſt, cur bellantes tam ſolliciti ſunt, ut in omnibus pactionibus pacis imprimis remittantur damna durante bello utrinque data? Videntur ſanè per hoc non tantùm firmitati pacis, ac famæ, & exiſtimationi ſuæ, ut neuter injuſtum bellum geſſiſſe dicatur, ſed & ſecuritati conſcientiæ conſulere velle. Et licèt in conſcientia parùm tuti ſint, ſi metu injuſti belli, quod injuſtum eſſe ſciunt, porro proſequendi, remiſſionem datorum damnorum extorqueant; cùm talis metus jure Naturæ injuſtus ſit, utut jure Gentium externo pro juſto habeatur, plerumque tamen bellantes credere videntur, ſe remiſſione damnorum factâ ab obligatione reſarciendi liberos eſſe, alterius fortè opinionis futuri, ſi remiſſio facta nōn eſſet, ac proinde per ejusmodi remiſſionem ſpes omnis reſarcitionem obtinendi extincta eſt. Si verò bellum, quod reverà injuſtum erat, bonâ fide juſtum eſſe credant, talis damnorum remiſſio bellantes etiam in conſcientia ſecuros reddit, qui aliàs cognitâ ex poſt injuſtitiâ belli, vel res

ſubdi-

ſubditis ereptas, ſi extarent, vel earum conſumptarum nomine tantum reſtituere tenerentur, quatenus exinde locupletiores ſunt effecti. Taceo, quòd hoc argumento ad ſummum hoc evincatur, quòd civitas non teneatur damna ſubditis ab hoſte illata, & pacis obtinendæ cauſâ remiſſa ex toto reſarcire, non verò, quòd nulla prorſus eo nomine illis facienda ſit compenſatio.

XVI.

Forma Amneſtiæ conſiſtit in promiſſione perpetuæ oblivionis injuriarum, offenſionum, hoſtilitatum, ac damnorum in bello, ejúsve intuitu illatorum. Unde tria concurrere debent, ut injuriarum ac offenſionum oblivio Amneſtiæ nomen mereatur. I. Ut ſit perpetua; ſi enim, ùt ſuprà dictum eſt, injuriarum, ac offenſionum vindicatio pacto publico tantùm ad tempus ſuſpendatur, ac differatur, vera Amneſtia non eſt. II. Ut oblivio pacto expreſſo, vel tacito, aut aliàs ex gratiâ promiſſa ſit; ſola enim oblivio naturalis, quæ ex morbo, aliáve ſimili cauſâ naſcitur, Amneſtiæ nomine inſigniri haud poteſt. III. Ut ſit oblivio injuriarum, ac offenſionum in bello, ejúsve intuitu illatarum; ſi enim ſumma poteſtas injurias ab uno, alteróve privato extra bellum ſibi, aut ſubditis ſuis illatas remittat, remiſſio talis Amneſtia non eſt. Multò minùs Amneſtia vocari poteſt, ſi privatus injuriam ſibi ab altero factam, aut damnum datum oblivioni tradat.

XVII.

Effectus Amneſtiæ duplex eſt. Primus ſtat in eo, quòd injurias, offenſiones, hoſtilitates, ac damna in bello, ejúsve intuitu illata penitus aboleat, ita ut nec bellum eo nomine moveri, nec in judicio agi poſſit. Quòdſi bellum præceſſerint, referre videtur, utrùm inter ipſos Reges, aut populos interceſſerint, vel inter privatos. Illæ injuriæ, ac offenſiones, cùm non niſi bello vindicari poſſint, pace factâ non minùs condonatæ eſſe intelliguntur, ac quæ durante bello illatæ ſunt, ne aliàs pax non ſatis pax ſit, ſi veteres

veteres ad bellum cauſas relinquat. Hæ verò, niſi bello cauſam dederint, remiſſæ eſſe non cenſentur, cùm verendum non ſit, ne bellum recrudeſcat; quia privati judicio experiri, & debitam ex delicto pœnam perſequi poſſunt. Grot. *ſuprà cit. cap. 20. §. 17. & 18.*

XVIII.

Multò minùs pace factâ condonatum eſſe intelligitur, quod privatis ex cauſâ, quæ bellum anteceſſit, ob inæqualitatem rerum deberi cœpit, tametſi ejus dies belli demum tempore ceſſerit; cùm tale debitum non belli jure quæſitum ſit, ſed bello tantùm exigi vetitum, unde ſublato impedimento vim ſuam retinet. Grot. §. *16. & ibi.* Teſmar. Planè ſi Reſpublica hoſtilis ejusmodi debiti ſolutionem confiſcationis titulo extorſiſſet, debitor vi Amneſtiæ jure inter Gentes recepto liberatus eſſet, exigit tamen æquitas, ut hoc damnum belli jure illatum creditori à ſua civitate ex debitis viciſſim retorſionis jure confiſcatis, vel alio modo compenſetur, ut ex paulò antè dictis conſtat.

XIX.

Alter amneſtiæ effectus eſt, quòd ea, quæ bello immutata ſunt, in priſtinum ſtatum reſtituenda ſint, quem ante ſumpta arma habuerunt, vel habere debuerunt. Sic in pace Oſnabrug. *Art. 3.* §. *1.* hoc modo cautum legitur. *Juxta hoc univerſalis, & illimitatæ Amneſtiæ fundamentum univerſi, & ſinguli S. R. I. Electores, Principes, ſtatus &c. quibus occaſione Bohemiæ, Germaniæve motuum, vel fœderum hinc inde contractorum, ab unâ, vel alterâ parte aliquid præjudicii, aut damni quocunque modo, vel prætextu illatum eſt, quoad ditiones, & bona feudalia, ſubfeudalia, & allodiala, quàm quoad dignitates, immunitates, & privilegia, reſtituti ſunt plenariè in eum utrinque ſtatum in ſacris, & profanis, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus, ſed annullatis qui-*

buſcunque interim in contrarium factis mutationibus. Profluit hic effectus ex priori; nam injuriæ, & offenſiones perpetuâ oblivione ſepultæ in effectu perinde habentur, ac ſi nunquam fuiſſent factæ. Quidquid igitur earum intuitu immutatum eſt, in priſtinum ſtatum reſtitui debet; aliàs enim verbis quidem eſſent remiſſæ, ac abolitæ, non autem reipſa, cùm earum effectus perduraret.

XX.

Tenetur autem ſummus Imperans Amneſtiam etiam rebellibus ſubditis promiſſam ſervare, cùm fides data non tantùm juſto hoſti, ſed & rebellibus ſubditis ſervanda ſit, ſi cum ipſis quà rebellibus actum ſit; aliàs enim bello civili non aliter finis imponi poſſet, quàm per arma, & ruinas partium, ac cædes ſubditorum, quod ab omni ratione alienum eſt. Neque jus ex tali promiſſione ſubditis quæſitum vi eminentis dominii irritari poteſt; tametſi enim omnia ſubditorum jura eidem ſubjecta ſint, non aliter tamen ſummi Imperantes hoc alto, & eminenti dominio uti poſſunt, quàm ſi vel neceſſitas Reipublicæ exigat, vel talis utilitas, quæ proximè ad limites neceſſitatis accedit. At in propoſito neque Reipublicæ neceſſitas, neque talis utilitas ejus dominii uſum exigit, ſed potiùs contrarium; ſi enim pactiones omnes cum rebellibus ſubditis initæ ex poſt irritari poſſent, armis ſemel ſumptis in deſperationem conjicerentur, ac extrema tentarent, nec ea priùs deponerent, quàm ubi nullâ ampliùs ratione valerent reſiſtere. Grot. *lib. 3. cap. 19. §. 7.*

XXI.

Et quamvìs promiſſio Amneſtiæ injuſto rebellium armorum metu ſit extorta, ſummi autem Imperantes adverſùs actus metu injuſto extortos ſe ipſos in integrum reſtituere poſſint, declarando, ſe non teneri ſtare promiſſis, in propoſito tamen nequidem reſtitutio in integrum locum habet; quia ſummus Imperans ipſo jure

Naturæ

Naturæ tenetur procurare bonum communitatis civilis, cui tanquam caput præeſt: non patitur autem bonum commune, ut is adverſùs Amneſtiam rebellibus ſubditis promiſſam ſe ipſum in integrum reſtituat. Ex adverſo jus Naturæ non præcipit, ſed tantùm permittit, ut ſummi Imperantes adverſùs actus metu injuſto extortos ſe in integrum reſtituere poſſint. Lex autem permiſſiva legi præceptivæ in caſu colliſionis ſemper cedit, quia lex permittens ita demum permittere videtur, niſi aliud quid obſtet, uti rectè tradunt Grot. *lib. 2. cap. 16. §. 29. num. 1.* & Puffendorf. *lib. 5. cap. 12. §. 23.*

XXII.

Contraria Amneſtiæ ſunt modi, quibus injuriæ ac offenſiones oblivioni traditæ rurſus reviviſcunt. Ubi Amneſtia, quæ hoſti promittitur extero, ſeparari debet ab eâ, quæ rebellibus ſubditis ex gratiâ indulgetur. Illa toties reſolvitur, quoties pax rumpitur; nam primum, & præcipuum caput omnis pacis eſt Amneſtia: ergò pace ruptâ etiam Amneſtia ex parte Innocentis reſolvitur, licèt fortè in uno tantùm capite pax rupta ſit; quia, ut alibi diximus, ſingula pacis capita, per modum conditionis ſibi invicem mutuò ineſſe videntur, ac proinde pace vel in uno ruptâ, ex toto liberatur innocens. Hæc autem expirat quidem ſubditis in idem rebellionis ſcelus relapſis, ſi non aliter, quàm ſub hac expreſſâ conditione indulta ſit, ut in caſum relapſûs priorum injuriarum, ac offenſionum promiſſa oblivio ipſo facto ſublata ſit; ſi autem hæc conditio addita non ſit, vix eſt, ut veteres injuriæ reviviſcant, ita ut unà cum novis vindicari poſſint, cùm ejusmodi conditio reſervatoria maximè odioſa ſit, ac proinde remiſſioni injuriarum non aliter ineſſe videatur, quàm ſi verbis fuerit expreſſa. Stryck. *ſuprà cit. Diſſert. 9. cap. 4. num. 9.* Mev. *Part. 5. Deciſ. 371.* Planè ſi pax cum rebellibus ſubditis conventa, & eidem inter cœtera capita etiam Amneſtia inſerta ſit, hoc caſu idem dicendum eſſe arbitror, quod paulò antè dixi, ſi pax ab extero ſit rupta. Tametſi autem Amneſtia uno, vel altero modo ſublata

ſit,

ſit, veteres tamen injuriæ, ac offenſiones non aliter vindicari poſſunt, quàm ſi illi, qui eas intulerunt, aut quoquo modo ſe participes reddidêre, nondùm deceſſerint, de quo alibi.

§. III.

De Obſidibus, Pignoribus, & Aſſecuratoribus Pacis.

SUMMARIA.

I. *Unde obſides dicti ſint?*
II. *Vocari etiam ſolent pignora.*
III. *Accipitur vox obſidis, vel latè, vel ſtrictè.*
IV. *Deſcribuntur in ſenſu ſtricto ſumpti.*
V. *Dividuntur in publicos, & privatos.*
VI. *Quinam obſidem dare, & recipere poſſint?*
VII. *Obſides dari poſſunt omnes ſine ullo diſcrimine.*
VIII. *Subditi etiam inviti obſides dari poſſunt.*
IX. *Vaſallus, niſi ſimul ſit ſubditus, invitus dari non poteſt obſes.*
X. *Obſes publicus datur in cauſa publica.*
XI. *Quomodo Obſides differant à pignoribus, Fidejuſſoribus, & jure repreſſaliarum captis?*
XII. *Qui ipſe ſe Obſidem dedit, aut ab altero datus fidem de non fugiendo dedit, is fugere non poteſt.*
XIII. *Utrùm Obſes à civitate datus fugere poſſit, ſi nulla fides de non fugiendo data ſit?*
XIV. *Obſides non fiunt ſervi.*
XV. *Qui obſidem dedit, tenetur eidem damna reſarcire, quæ propterea perpeſſus eſt.*
XVI. *Poteſt quidem Obſes ab eo, cui datus eſt, quoquo modo cuſtodiri, non autem ob violatam à civitate fidem interfici.*
XVII. *Non poteſt Obſes in unam cauſam datus in aliam retineri.*
XVIII. *Quibus modis obligatio Obſidum rurſus tollatur?*
XIX. *Pignorum obligatio non tam odioſa eſt, ut Obſidum.*
XX. *Ad quid ſponſores pacis obligentur?*

I. Inter

I.

INter acceſſiones pacis primò ſunt obſides, quos Paulus ad Feſtum quaſi obſides dictos eſſe exiſtimat, eò quòd ob fidem præſtandam, & ſervandam dentur. Alii verò eos ab obſidendo appellatos eſſe arbitrantur; quia ab eo, cui traduntur, arctâ cuſtodiâ velut obſidentur.

II.

Vocari etiam ſolent pignora. Sic Cloeliam virginem unam ex obſidibus Regi Porſenæ datis Liv. *lib. 2. cap. 13.* pignus pacis appellat, & *lib. 22. cap. 22.* de obſidibus Hiſpanis, *id unum*, inquit, *pignus inclinatos ad Romanam ſocietatem omnium Hiſpaniæ populorum animos morabatur, ne ſanguine liberorum ſuorum culpa defectionis lueretur.* Germani quoque noſtri obſidem non tantùm vocabulo Geiſſel exprimunt, ſed & appellatione Pfandtsmann utuntur. Schilter *de Obſid. cap. 1. §. 2. num. 4.*

III.

Accipitur vox obſidis vel latè, vel ſtrictè. Latè accepta complectitur non tantùm illos, qui ſponte ſe obſides pro altero dederunt, aut ab altero traditi ſunt, ſed eos etiam, quos alius ipſemet ſumpſit. Sic C. Hoſtilius CXX. liberos Senatorum Arretinorum abripuit, & tanquam Obſides Romam deducendos C. Terentio tradidit. Liv. *lib. 27. cap. 26.* Sic etiam Joas Rex Iſraël poſt devictum Amaſiam Regem Filios Principum Regni Judæ obſides abduxit. *4. Reg. 14.* & *2. Paralipom. cap. 25.* ſtrictè autem vox obſidis accepta illos tantùm comprehendit, qui vel ſe ipſos ultrò obſides dederunt, vel ab aliis traditi ſunt, quos non ineptè conventionales appellare poſſumus; quia datio, & acceptio obſidis in ſpeciem conventionis incidit. Et in hac acceptione

IV.

Deſcribi poſſunt obſides, quòd ſint perſonæ, quæ in ſecuritatem fidei ſervandæ alteri traduntur, ita ut interim, donec fides liberata fuerit, ab eo detineri, & cuſtodiri poſſint.

V.

Dividuntur in publicos, & privatos. Publicos voco, qui in cauſa publica, privatos verò, qui in cauſa privata intercedunt. Sic Alexander III. Papa *in cap. 9. X. de Jurejur.* refert, Abbatem Tremenſem quoſdam ex Monachis obſides dediſſe creditori ſuo ſuper Summa octo millium ſolidorum, ita ut ſi ipſi deficerent, alii Monachi loco eorum in obſtagio ponerentur. Sic etiam Honorius III. *in cap. 11. X. de Arbitr.* mentionem facit alicujus compromiſſi, cujus ſervandi cauſâ obſides dati fuêre. At hi privati obſides ad præſens argumentum non pertinent.

VI.

Cauſa obſidis efficiens eſt dans, & recipiens. Dantem quod attinet, refert, utrùm aliquis ipſe ſeſe pro altero obſidem dare velit, vel alius. Se ipſum dare poteſt omnis, qui uſum rationis, & libertatem habet morandi, ubi velit, & agendi, quod velit. Alii obſides dare poſſunt non tantùm, ſi ſummi Imperantes, ſed & ſi inferiores ſint poteſtates, veluti Belliduces, etiam minores, cùm enim inducias breviores dare valeant, etiam pactas inducias datîs obſidibus firmare poterunt. Schilter. *cit. Diſſert. cap. 2. §. 7. num. 26. & ſeqq.* Recipere obſidem poteſt ille, qui alterum ad aliquid præſtandum, faciendum, vel non faciendum obſtrictum tenet, ubi enim nulla prorſus ſubeſt obligatio, fruſtra daretur, & reciperetur obſes. Non tamen neceſſe eſt, ut obligatio dationem obſidis præcedat; aliquando enim ipſi dationi obſidis promiſſio implicita eſt, ita ut dando Obſidem primùm nos obligemus ad aliquid, ad quod antea non tenebamur.

VII.

Poſſunt autem in genere Obſides dari omnes ſine ullo diſcrimine ſexûs, ætatis, aut dignitatis. Sic primò dari poſſunt non tantùm maſculi, ſed & fœminæ, velut ex Flor. *lib. 1. cap. 10. num. 7.* & Liv. *ſuprà cit. lib. 2. cap. 13.* apparet. Imò Tacit. *de Morib. German. cap. 8. num. 2.* putat, efficaciùs obligari animos civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque

que nobiles imperantur. Deinde dari poſſunt non tantùm, qui maturæ jam ſunt ætatis, ſed etiam impuberes, ùt rurſùs ex Liv. *cit. loc.* eluceſcit, ubi Cloelia, quam Rex Porſena obſidum, quos ipſa legere vellet, donare ſe dixit, productis omnibus impuberes elegiſſe dicitur. Denique ipſos Regum liberos haud rarò obſides datos fuiſſe legimus. Sic Phrahates partem prolis Vononem Auguſto firmandæ amicitiæ obſidem miſit. Tacit. *lib. 2. Annal. cap. 1. num. 2.* Sic etiam Franciſcus I. Rex Galliæ filios ſuos Franciſcum Delphinum, & Henricum Aurelianenſem Carolo V. Imperatori obſides dedit. Solet autem is, qui obſides imperat, quandoque certas perſonas exprimere, quæ dari debeant, vel non debeant. Poſterioris exemplum occurrit apud Liv. *lib. 38. cap. 11.* ubi Romàni inter conditiones pacis Ætolis etiam hanc præſcripſerunt: *Obſides XL. arbitratu Conſ. Rom. dato, ne minores XII. annorum, neu Majores XL. Obſes ne eſto Prætor, Præfectus equitum, ſcriba publicus, neu quis, qui ante Obſes fuerit apud Romanos.*

VIII.

Cœterùm qui ſubditi ſunt, etiam inviti dari poſſunt obſides, & quidem non tantùm, ſi hoſtis potentior certos ſibi dari poſtulaverit, ſed & ſi nullus adſit, qui ſponte hoc onus in ſe ſuſcipere velit; ſummo enim Imperio civili ineſt non tantùm jus in bona, ſed & in actiones ſubditorum, ac proinde ſummi Imperantes exigente neceſſitate, vel utilitate Reipublicæ non minùs arbitrium agendi vel non agendi, quàm bona ſingulis adimere poſſunt. Si tamen plures ſint, qui obſides dari queant, & nihil interſit, quis ex eis detur, æquiſſimum erit, rem ſorti committere, & ſi longiori fortè tempore detinendi ſint, ſubſtitutis novis veteres liberare; quin & operam dare tenetur civitas, aut ejus Rector, ut onus hoc extraordinarium, quantum fieri poteſt, aliunde repenſetur. Hoc modo ſi res temperetur, nemo ſubditorum jure conqueri poterit. Grot. *lib. 3. cap. 20.* §. *52.* & Puffendorf *lib. 8. cap. 2.* §. *6.*

IX.

Qui verò ſubditi non ſunt, propter imperii in eos defectum obſides inviti dari haud poſſunt. Unde ultro ſequitur, Vaſallum, niſi

niſi ſimul ſubditus ſit, non poſſe invitum à Domino directo obſidem dari; neque enim reverentia, & obſequium, quæ debet, huc uſque pertingunt; quamvìs fieri poſſit, ut Vaſallus ipſe pro Domino directo, licèt ejus ſubditus non ſit, ſe Obſidem dare teneatur, ſi nimirùm hoc in litteris inveſtituræ nominatim ſit expreſſum, velut aliquando contingit. Cujac. *ad lib. 2. Feud. Tit. 7.*

X.

Objectum eſt cauſa, in qua Obſes datur. Datur autem Obſes publicus in cauſâ publicâ, puta, pro pace tenendâ, firmandâ amicitiâ, ſervandis fœderibus, & aliis pactionibus publicis. Sic L. Cœlius Legatus Romanus M. Trebellium Fregellanum in Peneſtas miſit ad Obſides ab illis urbibus, quæ in amicitia cum fide permanſerant, accipiendos. Liv. *lib. 43. cap. 21.* Phrahates, ut ſuprà dictum, Filium ſuum Vononem Auguſto firmandæ amicitiæ obſidem miſit, fidei popularium diffiſus. Tacit. *lib. 2. Annal. cap. 1. num. 2.* Perſeus Marcio Legato Romano obſides dedit, nihil fraudis fore in colloquio. Liv. *lib. 42. cap. 39.* Plura exempla ſilentio prætereo.

XI.

Forma conſiſtit in differentia ſpecifica, quâ Obſides à pignoribus, Fidejuſſoribus, & jure repreſſaliarum captis diſtinguuntur. A pignoribus differunt in eo, quòd pignori dentur res, qui autem Obſides dantur, perſonæ ſunt; & quamvìs jure Naturæ etiam homines liberi oppignorari poſſint, non tamen vice verſâ res unquam tanquam Obſides dari queunt. A fidejuſſoribus verò differunt, quòd Obſides etiam inviti dari poſſint; Fidejuſſores autem non niſi ſuâ voluntate conſtituuntur. Deinde Fidejuſſores ſe non tradunt in cuſtodiam creditori, uti traduntur Obſides. Præterea obligatio Fidejuſſorum ad hæredes tranſitoria eſt, non verò obſidum, ùt infra dicemus. Illi denique qui jure repreſſaliarum capti ſunt, Obſides quidem dici poſſunt, ſi vox Obſidis latè ſumatur; non tamen ſunt obſides conventionales, de quibus ſolis in propoſito nobis ſermo eſt.

XII.

XII.

Effectus alius eſt ex parte Obſidis, alius ex parte ejus, qui obſidem dedit, alius denique ex parte ejus, cui obſes datus eſt. Ex parte obſidis eſt obligatio non fugiendi; Et quidem ſi quis ſuâ ſponte ipſe ſe obſidem tradiderit pro altero, res extra controverſiam eſſe videtur; quia dando ſe obſidem ipſo facto promittere intelligitur, ſe fugiturum non eſſe: multò minùs fugere poterit, ſi ab altero quidem etiam invitus traditus ſit, fidem tamen expreſſam de non fugiendo dederit, quò laxiùs habeatur; Si tamen is poſtea nihilominus arctiori commiſſus fuerit cuſtodiæ, promiſſio hæc promittentem haud ſtringit, utpote facta ſub conditione, aut modo, qui cauſæ finalis rationem habet, deficiente autem conditione, aut ceſſante cauſâ finali etiam ipſa evaneſcit promiſſio. Quare perinde habetur, ac ſi de non fugiendo nulla fides fuiſſet data.

XIII.

Quid ſi, ergo nulla fides de non fugiendo data ſit, ánne obſes à civitate datus tali caſu fugere poterit? Ita quidem exiſtimat Grot. *cit. Cap. 20. §. 54.* eò quòd animus civitatis non videatur fuiſſe, civem obligandi, ne aufugeret, ſed alteri tantùm dandi facultatem, qualis vellet cuſtodiæ. Ego tamen contrarium verius eſſe arbitror; qui enim obſidem dat, alterum de præſtando eo, quod præſtare tenetur, ſecurum reddere vult. Securum autem non redderet; niſi obſidem obligare vellet ad permanendum. Deinde civitas obſidem, quem dedit, fugâ elapſum recipere, & retinere non poteſt, ſed repoſcenti reſtituere tenetur, ut ipſe Grot. *cit. loc.* tenet, & rectè; qui enim obſidem dat, cum effectu dare intelligitur: Ergo non tantùm facultatem cuſtodiendi dare, ſed & obſidem ad perſiſtendum obligare velle cenſetur, donec id fuerit præſtitum, pro quo obſes datur; alìas enim utique eundem fugâ elapſum recipere, & retinere poſſet, nec repetenti reſtituere teneretur. Unde factum Clœliæ, quæ cuſtodes fruſtrata inter tela hoſtium Tiberim tranavit, defendi haud poteſt, licèt virtus in virgine laudanda ſit. Quare Romani eandem etiam tanquam pignus pacis Regi Porſenæ ex fœdere reſtituerunt. Liv. *Lib. 2. Cap. 13.* Atque huic ſententiæ præter

C c c Henni-

Hennigeſ. adſtipulantur etiam Budæus *in Select. Jur. Nat. & Gent. Exercit. ult.* §. *56.* Schilterus *ſuprà alleg. Diſſert. Cap. 7.* §. *1. num. 5.* Clariſs. Dn. Herz *de fid. pact. Cap. 2.* §. *4. num. 53.* Ubi tamen addit, nolle ſe laqueum conſcientiæ injicere obſidi, ſi in caſu vacillantis paulatim fidei ſuæ civitatis, à qua datus eſt, fugam maturè circumſpiciat, ſéque impendenti ſeverioris fati periculo ſubducat. Rectè, ſi obſidi mortis, vel talis mali periculum immineat, quod eidem Jure Naturæ inferri nequit; ſi verò loco laxioris cuſtodiæ, quâ hactenus gaviſus eſt, arctior duntaxat in poſterum cuſtodia metuenda ſit, nollem obſidi auctor eſſe, ut fugeret, maximè, ſi fugiendo gravioris mali periculo ſe exponeret. Sic obſides Tarentini è fuga retracti, & virgis cæſi, approbante populo de ſaxo dejiciebantur. Liv. *Lib. 25. Cap. 7.*

XIV.

Tametſi autem obſides fugere haud poſſint, non tamen ſervi fiunt; nec enim in ſervitutem, ſed in pignus traduntur, cujus dominium in creditorem neutiquam transfertur, cui conſequens eſt, quòd Jure Gentium & bona propria habere, & hæredibus teſtamento inſtitutis relinquere poſſint, licèt olim Jure Romano teſtari non poterant, ſed defunctorum bona in fiſcum cogebantur, niſi teſtandi licentiam vel expreſſè impetraverint, vel accepto uſu togæ Romanæ ut cives Romani ſemper egerint. *L. 11. ff. Qui Teſt. fac. poſſ. L. 31. & 32. ff. de Jur. fiſci.* Ratio in promptu eſt; quia ſcilicet obſides peregrini erant, quibus teſtari Jure Romano permiſſum non fuit. Hoc itaque jus Romanum de illis tantùm obſidibus intelligi debet, quos Romani acceperant, non quos ipſi aliis dederant. Schilter. *alleg. Diſſert. Cap. 9. per tot.*

XV.

Effectus ex parte obſidem dantis conſiſtit in obligatione, quâ is tum obſidi, tum ei, cui obſidem dedit, obſtringitur. Obſidi obligatur ad hoc, ut eidem damna, quæ ob id, quòd obſes datus ſit, perpeſſus eſt, reſarciat; nemini enim officium ſuum damnoſum eſſe debet. Ei verò, cui obſidem dedit, ad hoc tenetur, ut ne, fide ſuâ nondum liberatâ, obſidem dolo, aut machinatione liberet, ut

Phileas

Phileas Tarentinus fecit apud Liv. *Lib. 25. Cap. 7.* néve eundem fugâ fortè elapſum recipiat, & retineat, ſed repoſcenti reſtituat.

XVI.

Effectus denique ex parte ejus, cui obſes datus eſt, duplex occurrit. Primus ſtat in poteſtate obſidem quoquo modo cuſtodiendi, ne is aufugere poſſit; quia tamen ſervus non fit, ſed liber manet, utique humanitas dictat, ut in liberaliori cuſtodia ſervetur, & non fortè in vincula conjiciatur; & quamvìs civitas, quæ obſidem dedit, promiſſis non ſteterit, ſed fidem violaverit, obſes tamen Jure Naturæ interfici nequit; quia ob delictum alienum nemo, qui innocens eſt, puniri poteſt. Certè cùm dominium in vitam ſoli Deo ſit reſervatum, neque Civitas in vitam Innocentis obſidis, neque obſes ipſe ſuo conſenſu alteri in eandem jus dare potuit, licèt multi populi hac in parte hallucinati olim aliter ſenſerint, & ideo innocentes obſides propter ruptam à civitate fidem interfecerint, quod meritò aliis atrox viſum eſt. Unde Scipio apud Liv. *Lib. 28. Cap. 34. ſe non in obſides innoxios, ſed in ipſos, qui defeciſſent, ſæviturum, nec ab inermi, ſed ab armato hoſte pœnas expetiturum eſſe* dixit. Planè ſi obſes innocens non ſit, ſed grave delictum admiſerit, aut fidem à ſe datam in re magnâ fefellerit, is abſque injuria puniri poterit, mòdò ſumatur pœna delicto commenſurata. Cùm igitur is, cui obſides dantur, nihil præter cuſtodiæ jus in eos habeat, ideò multi nequidem obſides popoſcerunt, aut oblatos recipere voluerunt, ùt Paul. Diacon. *Lib. 3. Miſcell. Cap. 16.* refert.

XVII.

Alter effectus ex parte ejus, cui obſes datus eſt, conſiſtit in obligatione, obſidem impletâ conditione, & præſtito eo, propter quod datus eſt, reſtituendi, nec in unam cauſam datus in aliam retineri poterit; odioſa enim eſt obſidum obligatio, tum quia libertati inimica, tùm quia ſi inviti dentur, ex facto alieno venit, & ideo strictam recipit interpretationem. Planè ſi in aliâ cauſâ à civitate, quæ obſidem dedit, juſtitia fuiſſet denegata, vel malitioſè protracta, obſes quidem retineri poſſet, non tamen vi præcedentis dationis, & ex eâ natæ obligationis, ſed jure repreſſaliarum, quod

ipſum tamen ne fiat, Grot. *cit. Cap. 20.* §. *55.* caveri poſſe exiſtimat, ſi pactum adjiciatur de obſidibus reddendis, ubi id impletum erit, cujus nomine dantur. At vix hæc cautio ſufficiens eſſe videtur; licèt enim tale pactum non fuerit adjectum, tamen is, cui obſides dati ſunt, obligatus eſt, ut poſt impletam promiſſionem eos reſtituat, ac proinde pactum hoc de reddendis obſidibus non arctiùs eundem obſtringit, quàm is antea obſtrictus erat. Niſi ergò expreſſè conventum ſit de non retinendis obſidibus in aliam cauſam, quàm cujus gratiâ dantur, non ſatis illis cautum eſſe videtur, ut rectè advertit Ziegler. *ad cit.* §. *55.*

XVIII.

Contraria ſunt modi, quibus obligatio obſidum rurſus tollitur. Tollitur autem I. Si id impletum fuerit, propter quod dati ſunt. II. Lapſu temporis, ſi ſcilicet ad certum tempus dati ſint, ita ut eo elapſo non ampliùs teneantur. III. Morte obſidis; licèt enim fidejuſſoris obligatio morte ejus non expiret, ſed in hæredem tranſeat, aliud tamen obtinet in obligatione obſidis, quæ cum perſona ejus expirat, nec in hæredem tranſitoria eſt. Ratio diſparitatis ſtat in eo, quòd obligatio obſidis ſolam perſonam reſpiciat, cùm libertatem morandi, ubi velit, & agendi, quod velit duntaxat conſtringat; obligatio autem fidejuſſoris bona reſpicit, ac eò tendit, ut creditor, debitore principali non ſolvente, id, quod ſibi debetur, à fidejuſſore conſequatur. Si tamen obſes deceſſerit, priusquam id, ob quod datus eſt, fuerit impletum, civitas, quæ obſidem dedit, alteri, ſi petat, loco demortui alium dare tenetur. IV. Obligatio obſidis tollitur, ſi is danti ſuccedat, & debitor principalis fiat; obſides enim perinde, ùt fidejuſſores, accedunt obligationi alienæ, non propriæ, interim tamen alium pro ſe ſubſtituere tenentur, ubi id fuerit poſtulatum. Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 8.* §. *6.* V. Denique obſes liberatur, ſi obligatio principalis quocunque demum modo fuerit extincta; ſublato enim principali etiam perit acceſſorium. Sic ſi captivus, aut obſes ad inviſendos fortè propinquos, fide de redeundo datâ, in patriam dimiſſus ſit, & alius pro eo ſe tanquam obſidem obligaverit, ille autem, antequam rediret, deceſſerit, obſes pro eo datus liberatus erit; quia extincta eſt obligatio principalis, cùm

cùm mortuus non poſſit ampliùs reverti. Similiter ſi duo Reges fœdus perſonale inter ſe percuſſerint, eóque nomine obſides dederint, mortuo uno obſides haud ampliùs tenentur; cùm obligatio, quæ ex fœdere perſonali naſcitur, in ſucceſſorem non tranſeat, ſed cum perſona paciſcentis expiret; ſi autem fœdus ſit reale, obſes non liberatur, licèt Rex, qui fœdus iniit, deceſſerit; quia obligatio ex fœdere reali nata morte paciſcentis non expirat, ſed in ſucceſſorem tranſit, vel directè, ſi Regnum ſit patrimoniale, vel ſaltem indirectè, ſeu mediante civitate, ſi hæreditarium ſit, vel lineale. Grot. *cit. Cap.* §. *56.* & *57.*

XIX.

Secundò pactioni pacis accedere poſſunt etiam pignora, veluti ſi conventum ſit, ut urbs quædam pignoris jure retineatur, donec ſumptus in bellum facti ab altero fuerint refuſi, aut aliæ conditiones pacis impletæ. Eſt autem pignorum obligatio non tam odioſa, ut obſidum, & ideo pignora etiam ob aliud debitum retineri poſſunt, quàm propter quod data ſunt, ſecùs, ac ſuprà de obſidibus dictum eſt. Ratio diſparitatis ſtat in eo, quòd res natæ ſint, ut teneantur, non autem perſonæ. Grot. §. *59.*

XX.

Tertiò conventioni pacis accedere etiam ſolent aſſecuratores pacis, qui operam ſe daturos eſſe ſpondent, ut, quæ utrinque conventa ſunt, ſerventur, quam ſponſionem vulgò Guarantiam pacis appellant. Fit autem hæc ſponſio vel ab ipſis, qui pacem inter ſe pacti ſunt; ſi ex unâ, & alterâ parte plures ſint pacis ſocii, & conſortes, velut factum eſt in Pacificat. Oſnabrug. *Art. 17.* §. *5.* & *6.* & Monaſter. *Art. 16.* §. *115.* & *116.* vel à Tertio, ut priore ſæculo pacis inter Regem Galliæ, & Electorem Brandeburgicum initæ Guarantiam Rex Sueciæ ſuſcepit. Tenentur igitur ſponſores pacis operam dare, ut, quæ utrinque conventa ſunt, ſerventur, adeò ut perfidum tandem vi etiam armatâ ad ſervandas pacis Leges compellere queant, ſi monita, & alia leniora remedia non ſufficiant. Et quamvìs Guarantiæ ſponſor non videatur ſtricto jure obligatus eſſe, ut denuntiationem præmittat bellò, quod perfido pacis Violatori tan-

dem inferre vult; æquius tamen eſſe cenſeo, ut eidem ſaltem denuntiet, ſe ad extremum ea, quæ Guarantiæ ſponſorem decent, pro pace conſervandâ executurum eſſe. Ulteriùs autem ſponſoris officium ſe non extendit, quàm ut pacis ruptorem eò adigat, ut is Leges pacis adimpleat, damna illata reſtituat, & de non ampliùs in poſterum contraveniendo idoneam cautionem præſtet. Unde ſi pax rupta non ſit, ſed ex novâ cauſâ alteri bellum inferatur, ſponſor invaſo vi ſponſionis auxilium ferre non tenetur, licèt ſi injuſtè invaſum eſſe credat, eundem, ſi velit, juvare poſſit. Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 8. §. 7. in fine.*

§. IV.

De Neutralitate.

SUMMARIA.

I. *Affertur Synonimia Neutralitatis.*

II. *Deſcribitur Neutralitas.*

III. *Dividitur primò in ſimplicem, & pactitiam.*

IV. *Secundò in Generalem, & ſpecialem.*

V. *Tertiò in abſolutam, & reſtrictam.*

VI. *Quinam neutralitatem amplecti, vel paciſci poſſint?*

VII. *Qui neutri bellantium parti ſubjecti ſunt, inviti cogi non poſſunt, ut neutrarum ſint partium.*

VIII. *Utrùm Neutralitas potiùs, vel ſocietas armorum ſit eligenda?*

IX. *Quid poſtulet Natura veræ Neutralitatis?*

X. *Quid ſi neutralis, perpenſis omnibus, bellum ex parte unius juſtum, ex parte alterius injuſtum eſſe credat?*

XI. *Utrùm Neutrales ſalvâ Neutralitate merces, & res alias uni parti advehere, & vendere poſſint?*

XII. *Utrùm neutralis arma, cæterasq; res, quæ in bello uſum habere poſſunt, ſaltem alteri Neutrali advehere, & vendere queat?*

XIII. *Adducitur forma Neutralitatis.*

XIV. *Quod-*

XIV. *Quódnam ſit officium bellantium erga Neutrales?*
XV. *Utrùm aliquando locum in Solò Neutrali ſitum occupare liceat?*
XVI. *Quibus modis Neutralitas deſinat?*

I.

AFFine conventioni pacis eſt pactum de ſervandâ neutralitate, quæ & quies in turbis, quies in bello, declinatio bellicæ ſocietatis, medietas in bello, via media appellari ſolet. Bœcler. *Diſſert. Quies in turb.* Obrecht. ad Grot. *Lib. 3. Cap. 17.* §. *1.* Liv. *Lib. 32. Cap. 21. propè fin.* ubi Ariſthenes Prætor Achæorum ad ſuos perorans inquit; *quòd Cleomedon Philippi Legatus modò tanquam mediam, & tutiſſimam vobis viam conſilii, ut quieſceretis, abſtineretisq́ armis, oſtendebat, ea non media, ſed nulla via eſt; quid enim aliud, quàm præda victoris erimus?*

II.

Deſcribi poteſt Neutralitas, quòd ſit ſtatus, bello inter duos, pluréſve exorto, quieſcentium.

III.

Dividitur I. in ſimplicem, & pactitiam. Simplex dicitur, quæ nullâ ſuper hoc factâ pactione erga bellantes ſervatur. Pactitia verò, quæ in pactum deducta eſt; expedit enim quandoque cum utrâque parte bellum gerente fœdus inire, ita ut cum utriusque bonâ voluntate bello abſtinere, & communia humanitatis officia utrisque exhibere liceat. Grot. *cit. Cap. 17.* §. *3. num. 3.*

IV.

Dividitur II. in Generalem, & Specialem. Generalis eſt, quâ integer aliquis populus gaudet: Specialis verò, quæ certæ tantùm populi parti, veluti civitati alicui particulari conceditur, prout ſuperiore ſæculo civitati argentinenſi à Gallis approbante Cæſare conceſſam fuiſſe conſtat.

V. Dividi-

V.

Dividitur III. in abſolutam, & reſtrictam. Abſoluta eſt, quæ utramque partem bellantem in omnibus æquat: Reſtricta verò, quæ in uno, alteróve uni tantùm bellantium favet, in cœteris autem, jus æqualis amicitiæ erga utrumque obſervat, quod non niſi ſpeciali pacto fieri poteſt. Vitriar. *ad cit. Cap. 17. Quæſt. 4.*

VI.

Cauſa efficiens Neutralitatis ſunt, qui eam amplectuntur, vel paciſcuntur. Poſſunt autem eandem illi demum amplecti, vel paciſci, qui neutri bellantium parti ſubjecti ſunt; qui enim ſubditi ſunt, citra conſenſum ejus, cui ſubjecti ſunt, neutrales eſſe haud poſſunt. Sic ſtatus Imperii Romano-Germanici nequeunt in bello, quod Imperii nomine geritur, neutralitatem amplecti, vel paciſci, ſed cogi poſſunt, ut militem in matriculo Imperii, vel in comitiis aſſignatum mittant. Vitriar. *ubi ſuprà Quæſt. 6.*

VII.

Ex adverſo, qui neutri bellantium parti ſubjecti ſunt, inviti cogi haud poſſunt, ut neutrarum ſint partium, niſi quis ad amplectendam neutralitatem antea ſe obligáverit; ſecluſis enim pactionis, & fidei vinculis cuique liberum eſt, inter exterorum diſſidia quieſcere, vel uni bellantium parti accedere. Vitriar. *cit. Quæſt. 6.*

VIII.

Utrùm autem neutralitas potiùs, vel ſocietas armorum eligenda ſit? non facilè dixeris. Neutralitatem ſuadere poſſunt tranquillitatis, & pacis publicæ amor, bellorum incertus exitus, mala innumera, quæ bellum poſt ſe trahit. Diſſuadere verò odium, quod neutrales incurrunt, dum bellantibus plerúmique inviſi ſunt tanquam ignavi, vel callidi, periculum, ne partis potentioris, & victoris tandem præda fiant, ſpes auxilii in ſimili eventu, & ſi quæ plura ejusmodi ſunt. Certè neutralitas nec amicos facit, nec inimicos tollit. Mihi in hac quæſtione politicâ media arridet ſententia, quæ cenſet, neutralitatem non ſemper amplectendam, nec ſemper repudian-

pudiandam, ſed probè expendendum eſſe, quid magis expediat Reipublicæ; nam aliquando ſalus publica, tanquam ſuprema Lex, magìs imperat quietem, quàm armorum ſocietatem; aliquandò verò contrà magìs poſtulat, ut arma ſociemus cum eo, quem juſtam bellandi cauſam habere credimus, quàm ut ignavi quieſcamus, & cum noſtro periculo innocentem opprimi ſinamus, præſertim ſi priùs tentata ſit concordia, & æquas pacis conditiones alter ſuperbè recuſaverit.

IX.

Objectum neutralitatis ſunt ea, quæ illi, qui extra partes eſſe volunt, omittere, aut facere debent. Poſtulat autem natura veræ neutralitatis, ut nihil faciant, quo alteri parti favere, alteram odiſſe merito ſuo credantur, ſed utrique æquos ſe præbeant, non unam impediant, alteram ſublevent, unius legionibus commeatum ſuppeditent, alteri negent, uni ex agro ſuo milites conſcribere permittant, alteram partem prohibeant, uni tranſitum concedant, alteri denegent, ſed quod uni permittunt, & alteri permittant, quod uni negant, etiam alteri negent. Atque hoc expeditum eſſe videtur, ſi cauſa bellandi utrinque dubia ſit.

X.

Quòd ſi verò bellum perpenſis omnibus, ex parte unius juſtum, ex parte alterius injuſtum eſſe credat neutralis, tum nihil facere poterit, quo validior fiat is, qui improbam cauſam fovet, aut quo juſtum bellum gerentis motus impediatur, ùt rectè tenet Grot. *dict. Cap. 17. §. 3. num. 1.* à quo malè diſſentit Bœcler. *alleg. Diſſert. verſ. ſi quis porro neutrarum &c.* quia bello, quod aliquis injuſtum eſſe judicat, cooperari haud licet. Sed nec ei, qui juſtum, piúmque bellum gerit, aliquid permittere poteſt, quo is adjuvetur, alter verò dometur, niſi neutralitatem exuere, & ſeſe injuriâ laceſſito adjungere velit. Officium ergo neutralis in tali rerum ſtatu in hoc ſitum erit, ut neutri bellantium parti in præjudicium alterius aliquid concedat, ſed reſpectu utriusque negativè ſe habeat, & nudus ſpectator ſit, quod ei, qui à belligerantibus longiùs diſſitus eſt, haud difficile accidet; ſi verò confinis ſit, eum rectius facturum

 opinor,

opinor, ſi potiùs cum illo, qui juſtam bellandi cauſam habere creditur, arma ſua conjungat, quàm ut quieſcendo oppreſſæ innocentiæ teſtem duntaxat agat; imò ſi quis absque gravi damno ſuæ Reipublicæ innocentem ab injuria defendere poſſit, etiam ad hoc ex Lege charitatis obſtrictus erit.

XI.

Illud non ſatis expeditum eſt, utrùm neutrales ſalvâ neutralitate merces, & res ſuas uni parti advehere, & vendere poſſint? ſunt enim, qui belli rigorem, ſunt contrà, qui commerciorum libertatem defendunt. Mihi placet mediâ viâ incedere, & cum Grotio *Lib. 3. Cap. 1.* §. *5.* diſtinguere inter res; ſunt enim quædam, quæ in bello tantùm uſum habent, ut arma, & inſtrumenta bellica; ſunt, quæ in bello nullum habent uſum, ut quæ voluptati inſerviunt, ſunt denique quæ & in bello, & extra bellum uſum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves, & quæ navibus accedunt. Res primi generis ſalvâ neutralitate uni bellantium parti advehi non poſſunt, ſed hoſtium numero habetur, qui ad bellum neceſſaria hoſti ſubminiſtrat. Secundi generis res querelam non habent, quia nihil conferunt ad bellum. In tertio genere diſtinguendus erit belli ſtatus; nam ſi adverſùs illud periculum, quod ex ejusmodi rebus mihi imminet, me aliter tueri non poſſum, niſi eas intercipiam, neceſſitas mihi jus dat, illas intercipiendi, ſub onere tamen reſtitutionis, niſi cauſa alia accedat. Si verò rerum ſubvectio juris mei executionem impediverit, idque, qui advexit, facilè ſcire potuerit, ut ſi oppidum obſeſſum tenebam, aut portus clauſos, & jam deditio, vel pax expectabatur, tenebitur ille mihi de damno culpâ dato, & ad modum damni dati res quoque ejus capi, & dominium earum debiti compenſandi cauſâ quæri poterit. Si autem damnum nondum dederit, ſed dare voluerit, jus habeo, rerum retentione eum cogendi, ut de futuro obſidibus, pignoribus, vel alio modo mihi caveat. Ita Grot. quem ſequitur Vitriar. *Quæſt. 5.*

XII.

Alia quæſtio eſt, utrùm neutralis arma, cœteráſque res, quæ in bello uſum habere poſſunt, ſaltem alteri Neutrali advehere, & ven-

dere

dere queat? Puto, intereſſe, utrùm ſatis conſtet, quòd ejusmodi res ad hoſtem meum deventuræ ſint, vel utrùm periculum imaginarium tantùm, & non ſatìs certum ſit. Hoc caſu advehere, & vendere poteſt, nec mihi illas intercipiendi jus eſt; aliàs enim libertas commerciorum nimis reſtringeretur. Illo autem caſu, ſi aliter impedire nequeam, ne ejusmodi res ad hoſtem meum deveniant, rurſus neceſſitas mihi jus dat, illas intercipiendi, fruſtraque Neutralis, qui tales res alteri neutrali advehit, libertatem commerciorum prætendit; dominium tamen rerum interceptarum mihi vendicare haud potero, præſertim ſi advehens ignoret, quòd ad hoſtem meum ſint deferendæ. Vitriar. *Quæſt. 6.*

XIII.

Forma neutralitatis conſiſtit in eo, quòd Neutralis bello inter duos, plurésve exorto quieſcat, & nec unum, nec alterum bellantium adjuvet, ſed pacem cum utroque agat, ita tamen, ut ſi & illi inter ſe in pace viverent, major commerciorum libertas foret.

XIV.

Effectus Neutralitatis conſiſtit in officio tum Neutralium, tum Bellantium. Quódnam officium Neutralium ſit, ſuprà dictum eſt. Officium autem bellantium ſtat in eo, ut ne ullum actum hoſtilem vel in territorio, vel adverſùs perſonas neutrales, aut circa earum res exerceant, ac proinde non tantùm neminem eorum, qui medii in bello ſunt, offendere, vel capere, nec eorum bona, & res vaſtare, vel occupare poſſunt, ſed ne hoſtem quidem in loco neutrali exiſtentem violare, aut oppugnare permiſſum erit. Jure igitur Batavos, qui ad initium prioris ſæculi Hiſpanos jam in Portu Dobernienſium conſtitutos nondum ceſſabant infeſtare, ob hæc auſa criminati ſunt Britanni, nec aliud reperit Grot. *Lib. 14. Hiſtor.* quod pro Batavis ſuis diceret, quàm ut excuſando victoriæ impetum, culpam fateretur. Bœcler. *cit. Diſſert. verſ. ſicut autem &c.* Aliter fecêre Carthaginenſes, qui adverſùs Scipionem in portu Regis Syphacis nihil hoſtile tentârunt, ùt refert Liv. *Lib. 28. Cap. 17.*

XV.

Planè ſi moraliter certum ſit periculum, ne hoſtis locum aliquem in Solo pacato ſitum invadat, & inde irreparabilia alteri damna inferat, poteſt is eundem prævenire, & locum illum occupare, modò duo concurrant. Primum eſt, ut juſtum bellum gerat; qui enim impium bellum gerit, ne hoſtilia quidem, multò minùs amica loca ſub ullo prætextu occupare poteſt. Alterum eſt, ut hoc periculum non poſſit aliter evitari. Unde Domino priùs denuntiare oportet, ut ipſe locum illum cuſtodiat, oblatis etiam eum in finem ſumptibus, aut, ſi malit, eundem inutilem reddat ad recipienda præſidia, quorum unum ſi facere velit, & ita periculum ceſſet, locum neutralem occupare permiſſum haud eſt. Sed nec plus ſibi ſumere poteſt, qui talem locum occupavit, quàm præciſa exigat neceſſitas; quia malum hic eſt, quidquid vel minimum abit à neceſſitate. Quare ſufficere debet nuda loci cuſtodia, relictâ verò Domino jurisdictione, & reditibus, reddenda rurſus, ſimul atque neceſſitas illa ceſſaverit; & licèt fortè in ejus loci munitionem ſumptus quosdam feciſſet, ad eorum tamen refuſionem Dominus, niſi ipſe eos facturus erat, haud tenetur, nec obtentu factorum ſumptuum ultra neceſſitatem tali loco incumbere poteſt; quia illum muniendo non ejus meliorationem, ſed propriæ Regionis defenſionem ſpectavit. Confer. Grot. *Lib. 2. Cap. 2.* §. *10. & ibi* Vitriar. *Quæſt. 27. & 28.* Puffendorf. *Lib. 2. Cap. 6.* §. *8.*

XVI.

Contraria Neutralitatis ſunt Modi, quibus ea rurſus deſinit. Deſinit autem I. Bello cum pace commutato; Neutralitas enim ſuâpte naturâ bellum præſupponit; eo igitur finito etiam Neutralitas deſinit. II. Si, qui medius fuerat, uni bellantium parti ſe adjungat, vel eam quoquo modo adverſùs alteram juvet; facta tamen privatorum Neutralitatem non tollunt, niſi publicè imperata ſint, aut ſaltem probata dici poſſint, ſicut nec pacem aliter rumpunt.

CAPUT III.

De Jure Fœderum.

TErtium jus libertatis Naturalis eſt jus fœderum, quorum ſumma in Republica utilitas, ſumma neceſſitas eſt; nullam enim reperies civitatem adeò validam, quæ non aliquando aliorum extra ſe ope vel ad commercia, vel ad arcendas multarum externarum Gentium junctas in ſe vires indigere poſſit. Unde etiam à potentiſſimis populis, & Regibus fœdera appeti videmus. Conjungunt ſanè fœdera arctiori amicitiæ vinculo animos, augent potentiam, præſtant ſecuritatem, conciliant Magnificentiam, & Majeſtatem, metum incutiunt adverſariis, eosque à pruritu inferendarum injuriarum deterrent, & ut paucis multa dicam, & pacis, & belli temporibus inſerviunt. Fœderibus affines ſunt ſponſiones: unde præſens Caput in duos §. §. dividimus. Primus aget de Fœderibus: alter de ſponſionibus. Sit igitur

§. I.

De Fœderibus.

SUMMARIA.

I. *Deſcribuntur fœdera.*

II. *Dividuntur primò in ea, quæ nihil aliud continent, quàm quod juris eſt naturalis, & ea, quæ juri naturali aliquid adjiciunt.*

III. *Fœdera poſterioris generis vel ſunt æqualia, vel inæqualia: utraq; vel ad commercia pertinent, vel ad belli communitatem, vel ad res alias.*

IV. *Fœdera inæqualia promittuntur vel ex parte digniori, vel minùs dignâ, & hæc vel fiunt cum imminutione ſummi Imperii, vel ſine ejus imminutione.*

V. *Utrùm bellum etiam defenſivum prohibitum ſit, ſi in fœdere cautum fuerit, ne unus populus alterius injuſſu bellum gerat?*

VI. *Fœdera inæqualia, quæ ſine imminutione ſummi Imperii fiunt, continent vel onera tranſitoria, vel permanentia.*

VII. *Dividuntur ſecundò in perpetua, & temporalia.*

VIII. *Tertiò in defenſiva, offenſiva, & mixta.*

IX. *Quartò in realia, perſonalia, & mixta. Quænam ſint realia?*

X. *Quænam perſonalia? ubi refutantur illi, qui fœdera omnia cum Regibus contracta perſonalia eſſe contendunt.*

XI. *Quomodo obligatio fœderum in ſucceſſores tranſeat?*

XII. *Ut populus obligetur, ſufficit, quòd Rex probabilem rationem habuerit, fœdus tale contrahendi, licèt res ſperatum effectum ſortita non ſit.*

XIII. *Fœdus non obligat in caſu, quo illud ad publicam perniciem vergere incipit.*

XIV. *Fœdera realia etiam in eum tranſeunt, qui jure belli in Regnum ſucceſſit.*

XV. *Quinam tum proprio, tum alieno nomine fœdera contrahere poſſint?*

XVI. *Chriſtianis per ſe illicitum non eſt, etiam fœdera bellicæ ſocietatis cum infidelibus contrahere.*

XVII. *Si verò talia fœdera cum ſuis circumſtantiis conſiderentur, vix unquam licita erunt.*

XVIII. *Super quibus fœdera ſoleant iniri?*

XIX. *Adducitur forma fœderum intrinſeca, & extrinſeca.*

XX. *Qui ipſe domi periclitatur, auxilium fœdere promiſſum mittere non tenetur.*

XXI. *Uti nec, ſi nulla prorſus ſpes ſit boni exitûs;*

XXII. *Aut bellum, quod fœderatus gerit, injuſtum ſit.*

XXIII. *Valida eſt conventio, ut nulli fœderatorum cum hoſte communi ſeorſim pacem inire liceat.*

XXIV. *Si plures bellum gerant, utri potiùs opem ferre debeat, qui utrique fœderatus eſt?*

XXV. *Utrùm Rex poſt initum fœdus à ſubditis Regno pulſus auxilia in fœdere promiſſa petere poſſit?*

XXVI. *Utrùm fœdus, quo cautum fuit, ut utriusque ſocii ab utrisque tuti ſint, etiam ad futuros pertineat?*

XXVII. *Quibus modis fœdera rurſus diſſolvantur?*

I.

DEſcribi poſſunt fœdera, quòd ſint conventiones publicæ inter ſummos Imperantes quà tales in communem, vel alterius utilitatem initæ. Ajo, *quà tales*, non quòd fœdera pangantur vi Imperii, quod quis habet in ſubditos, ſed ut excludantur conventiones, quas ſummi Imperantes inſtar privatorum de negotiis privatis inter ſe celebrant, licèt ejusmodi conventiones jam ex eo etiam capite excluſæ ſint, quòd non poſſint accenſeri pactionibus publicis.

II.

Dividuntur I. in ea, quæ nihil aliud continent, quàm quod jam antea erat juris naturalis, veluti ſunt fœdera de ſimplici humanitate invicem exhibendâ, & noxâ non inferendâ, & ea, quæ juri naturali aliquid adjiciunt. Poſſent quidem fœdera prioris generis videri eſſe inutilia. At non ita eſt; nam primò, quæ ex ſolâ humanitate debentur, non debentur ex jure perfecto, niſi in pactum deducantur. Deinde apud multos exigua eſt juris naturalis reverentia, quæ autem pacto expreſſo promiſſa ſunt, ſi non ex amore juſtitiæ, ſaltem famæ cauſâ, quâ Regni ſtat authoritas, magìs ſervari ſolent. Porro, quæ juris naturalis ſunt, pacto magìs declarari, & determinari poſſunt. Denique datæ olim ſunt Gentes, & fortè etiamnum dantur, quæ in exteros prædas agere, nullo etiam indicto bello, pro licito habent, cum quibus tale fœdus inire non tantùm utile, ſed & neceſſarium eſt. Grot. *Lib. 2. Cap. 15. §. 5.*

III.

Poſterioris Generis fœdera vel ſunt æqualia, vel inæqualia. Æqualia dicuntur, quæ utrinque eodem modo ſe habent. Inæqualia verò, quæ ſe habent modo inæquali. Utraque vel ad commercia pertinent, vel ad belli communitatem, vel ad res aliàs. Æquales de commerciis pactiones variæ eſſe poſſunt, veluti ne

utrinque

utrinque ullum ſolvatur vectigal, aut ne majus ſolvatur, quàm in præſens, aut ne ſupra certam quantitatem, aut ne plus ſolvatur, quàm à civibus, & quæ ſunt ſimilia. Fœdera æqualia, quæ ad bellicam ſocietatem pertinent, ſunt e. gr. ut utrinque præſtentur paria auxilia militum, navium, aut alterius apparatûs bellici. Æqualia circa res alias ſunt e. g. ut neuter in confinio arcem exſtruat, vel hoſti alterius tranſitum concedat &c.

IV.

Fœdera inæqualia promittuntur vel ex parte digniori, uti ſi potentior auxilia promittat, nec reſtipuletur, aut majora ſaltem promittat, quàm alter. Ex parte verò minus dignâ, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quàm ab altero recipiat. Et hæc fiunt vel cum imminutione ſummi Imperii, vel ſine ejus imminutione. Cum imminutione ſummi Imperii conjunctum erat fœdus Romanos inter, & Pœnos in fine belli punici ſecundi initum, in quo cautum fuerat, ne Carthaginenſes in Africâ, néve extra Africam injuſſu populi Romani bellum gererent. Liv. *Lib. 30. Cap. 37.* Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi ipſa poteſtas belli gerendi in actu primo conſiderata Reipublicæ Carthaginenſium hoc fœdere adempta, & ad Romanos translata fuerit; ſed quòd liberum antea juris belli gerendi exercitium hâc conventione ſaltem reſtrictum, & modus habendi imminutus fuerit re ipſâ manente; non enim Carthaginenſibus interdictum fuit, ne omnino bellum gererent, ſed ne injuſſu populi Romani. Uti igitur Rex, qui in aditu Regni ſubditis ſuis promittit, quòd abſque eorum conſenſu nolit bellum gerere, propterea ipſam poteſtatem non communicat ſubditis, ita nec Reſpublica Carthaginenſis Romanis ipſam belli gerendi poteſtatem communicâſſe intelligitur. Confer. Hennigeſ. ad Grot. *cit. Cap. 15. §. 7.* Simile fœdus inter Romanos, & Philippum Macedoniæ Regem initum fuit; nam inter Leges, quas Romani eidem præſcripſerant, & hæc erat: *Bellum extra Macedoniæ fines ne injuſſu Senatûs gereret Philippus.* Liv. *Lib. 33. Cap. 16.* ubi tamen

V.

Quæri poteſt, utrùm vi talis fœderis, in quo ſcilicet conventum eſt, ne unus populus alterius populi injuſſu bellum gerat, prohibitum

hibitum duntaxat ſit, vim armatam inferre, vel etiam jam illatam repellere? utroque enim caſu bellum geri dicitur. Puto talem conventionem ita interpretandam eſſe, ut bellum inferre tantùm prohibitum eſſe intelligatur; non etiam illatum propulſare; nimis enim durum foret, libertatem naturalem adeò coarctare, ut nequidem adverſùs vim ſibi illatam ſe defendere licitum ſit. Hinc Carthaginenſes ad Conſules Romanos, *geſſimus*, inquiunt, *bellum, ſed laceſſiti, ſed coacti. Ad hoc fœderis veſtri caput negligendum vi, ac neceſſitate ſubacti ſumus.* Et ſanè Romanorum ſcopus non erat, Pœnos, & Macedones vicinorum injuriis exponere, aut propriis viribus iisdem ſecuritatem præſtare, ſed eos tantùm ita conſtringere, ne per bella fines ſuos dilatare, & vires augere poſſent. Aliter olim Latini ſenſiſſe videntur; cùm enim æqui latinum agrum invaſiſſent, oratores Latinorum à Senatu petiêre, ut aut mitterent ſubſidium, aut ſe ipſos tuendorum finium cauſâ capere arma ſinerent. Liv. *Lib. 2. Cap. 30.* Confer. Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 16.* §. *14.* & Puffendorf. *Lib. 5. Cap. 12.* §. *15.*

VI.

Fœdera inæqualia, quæ ſine imminutione ſummi Imperii fiunt, continent onera vel tranſitoria, ſeu talia, quibus ſimul & ſemel licet defungi, veluti ſtipendia alterius militibus ſolvere, ſumptus belli reſtituere, certam ſummam pecuniæ mulctæ loco numerare, mœnia, & arces diruere, locis quibusdam decedere, obſides, naves, arma tradere &c. vel permanentia, & duratura, ut Majeſtatem, & Imperium alterius conſervare, hoſtes eosdem habere, quos habet alter, non dare tranſitum, vel commeatum exercitui, cum quo alter bellum habet, non ædificare certis locis arces, non habere naves ultra definitum numerum, & ſi quæ ſunt ſimilia, de quibus videri poteſt Grot. *ſuprà cit. Cap. 15.* §. *7. num. 3.*

VII.

Dividuntur II. in perpetua, & temporalia. Perpetua ſunt, quæ vel diſertis verbis in perpetuum, vel ſaltem absque definitione certi temporis ſimpliciter panguntur. Temporalia verò, quæ vel ad certum tempus, vel ad expediendum certum, ac determinatum nego-

tium contrahuntur; finito enim negotio, cujus cauſâ inita ſunt, expirant. Fœdera commerciorum ſolent eſſe perpetua; Bellicæ ſocietatis verò plerumque ſunt temporalia.

VIII.

Dividuntur III. quæ bellicæ ſocietatis ſunt, in defenſiva, offenſiva, & mixta. Exempla ſuppeditat tum vetus, tum recens hiſtoria.

IX.

Dividuntur IV. in Realia, perſonalia & mixta. Realia in ſucceſſores tranſeunt; perſonalia verò cum perſona paciſcentis expirant. Sic fœdera, quæ cum populo libero ineuntur, omnia ſuâpte naturâ realia ſunt, quia ſubjectum eſt res permanens; idem enim ſemper populus manet, tametſi prioribus extinctis alii ſucceſſerint. *L. 78. ff. de Judic.* Imò etiamſi ſtatus popularis in Regnum mutetur, fœdus tamen perdurat; quia manet idem corpus, utut forma Reipublicæ mutata ſit, niſi fortè fœdus præſentis ſtatûs conſervationem pro fine ſuo habeat, velut ſi duo populi liberi tuendæ libertatis cauſâ fœdus inter ſe percuſſerint, quo caſu, ſi ſtatus popularis in Regium mutetur, fœdus utique expirat, cùm finis fœderis ceſſet. Deinde etiam fœdera cum Regibus contracta toties realia ſunt, quoties vel facta ſunt in bonum Regni, vel ex verbis, materia, aut cauſâ impulſivâ fœderis apparet, eam paciſcentium mentem fuiſſe, ut & in ſucceſſores tranſeant. Sic fœdus, quod expreſſis verbis vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel cum Rege, & ejus ſucceſſoribus factum eſt, reale eſſe patet. Grot. *Lib. 2. Cap. 16. §. 16. num. 1. & 2.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 9. §. 6. & 7.*

X.

Si verò fœdus commodum perſonæ ipſius Regis directè reſpiciat, veluti ut ipſe in poſſeſſione Regni defendatur, tunc fœdus ſaltem reſpectu ipſius utique perſonale eſt, nec eo mortuo ad ejus ſucceſſorem extenditur. In dubio autem, ſi in utramque partem pares ſint conjecturæ, fœdera favorabilia, ùt quæ pacis, vel commerciorum, aut ſe tuendi cauſâ facta ſunt, realia eſſe creduntur;

odioſa

odioſa verò, ut ſunt bellica fœdera offenſiva, cenſentur eſſe perſonalia. Interim in conſuetudinem jam abiit, ut fœdera etiam indubiè realia, mutato Rege, verbis ſaltem generalibus renoventur. Falluntur igitur, qui fœdera cum Regibus contracta omnia contendunt eſſe perſonalia, nulla realia, eò quòd jurejurando, velut firmamento innitantur; juramenti autem vis perſonam jurantis non egrediatur; tametſi enim fœdera juramento firmari ſoleant; tamen & ſine eo paciſcentes obligant, ac proinde juramentum obligationi juſtitiæ, quæ ex conventione naſcitur, tantùm ſuperaddit obligationem Religionis, quæ licèt perſonam jurantis non egrediatur, illa tamen in ſucceſſores tranſire poteſt. Vid. Grot. *cit.* §. *16. num. 2. & ſeqq.* & Puffendorf. *dict. Cap. 9.* §. *7. & 8.*

XI.

Tranſit autem fœderum obligatio in ſucceſſores vel directè, vel indirectè. Directè, ſi Regnum ſit patrimoniale, licèt fortè is, qui ex voluntate defuncti expreſſâ, vel præſumptâ in ejusmodi Regnum ſucceſſit, cœterorum bonorum hæres non exiſtat, ſed illa ad alios devenerint, modò fœdus Regni cauſâ contractum ſit. Indirectè autem obligatio ex fœdere reali nata in ſucceſſorem tranſit, ſi Regnum ſit hæreditarium, vel lineale; quælibet enim communitas non minùs, quàm perſonæ ſingulares, jus habet ſe obligandi per ſe, vel majorem ſui partem, quod unam cum Imperio per neceſſariam conſequentiam transfertur in Regem, utpote ad exercendum Imperium omnino neceſſarium. Si igitur Rex cum altero Regni cauſâ fœdus contrahat, non tantùm ipſe, ſed & civitas, cui tanquam caput præeſt, obligatur, à qua deinde obligatio in ſucceſſorem derivatur, quippe qui ab ea jus Imperii accepit. Confer. Grot. *Lib. 2. Cap. 14.* §. *10. & 11.*

XII.

Non tamen hæc poteſtas populum obligandi, quæ unà cum Imperio in Regem tranſit, infinita eſt; cùm tam immenſa poteſtas ad conſervandam, vel promovendam felicitatem Reipublicæ neceſſaria haud ſit, ſed nec eò usque reſtringenda erit, ut fœdus tunc demùm ratum ſit, ſi utiliter initum fuerit; nam ad tales Anguſtias Impe-

rantem redigere, ipſi Reipublicæ periculoſum foret. Quare nec cenſendus eſt populus hoc voluiſſe, cùm regnum deferret. Sufficit igitur, ſi Rex probabilem fœdus tale contrahendi habuerit rationem, licèt res ſperatum non ſit ſortita effectum; hoc enim ſi ſit, quod & in dubio ob auctoritatem Imperantis præſumitur, jam populus obligatur, eóque mediante ſucceſſor, ùt populi Caput. Grot. *cit. Cap. 14. §. 12. num. 1. & 2.*

XIII.

Planè ſi talis incidat caſus, ut fœdus à Rege contractum ad publicam omnino perniciem vergere incipiat, ita ut ſi caſus hic ab initio fuiſſet comprehenſus, fœdus injuſtum, & illicitum foret, in ejusmodi rerum eventu non teneretur ſucceſſor fœderi ſtare, ſed declarare poſſet, illud non ultrà obligare; quia non aliter juſtè fieri potuit, quàm cum exceptione talis caſûs, cum qua proinde etiam factum eſſe cenſetur, ne aliàs Rex, qui fœdus hoc percuſſit, injuſtitiæ, & iniquitatis accuſetur. Grot. *cit.* §. *12. num. 4.*

XIV.

Tranſeunt autem fœdera realia etiam in eum, qui jure belli in Regnum ſucceſſit, per ea, quæ *ſuperiore Cap.* §. *1. Num. XVIII.* dicta ſunt.

XV.

Cauſa efficiens fœderum duplex eſt, principalis, & inſtrumentalis. Principalis ſunt illi, qui ea proprio nomine pangunt, uti ſunt Reges, Optimates, & in regimine Populari populus: Inſtrumentalis verò, qui illa nomine alieno contrahunt, uti ſunt Tutores, & Curatores Regni, item Legati, & Miniſtri. Ubi

XVI.

Quæritur, utrùm Chriſtianis licitum ſit, fœdera inire cum infidelibus? Quæſtio hæc tantùm procedit de fœderibus bellicæ ſocietatis, tum defenſivis, tum offenſivis; quin enim Chriſtiani cum infidelibus fœdera pacis, tum reducendæ, tum ſtabiliendæ, item commerciorum inire poſſint, nemo prudens dubitaverit. Sic Jacob percuſſit fœdus cum Laban. *Gen. 31. verſ. 44.* & Salomon cum Hi-

ramo Tyriorum Rege. *3. Reg. Cap. 5. verſ. 12.* Poſſunt autem fœdera bellicæ ſocietatis iniri cum infidelibus vel contra alium infidelem, vel contra fidelem. Contra infidelem cum infideli fœdus bellicum contrahere per ſe, & intrinſecè illicitum non eſt. Sic Abraham fœdus pepigit cum Eſcol, & Aner Gentilibus contra quatuor Reges, qui Sodoma diripuerant. *Gen. 14. verſ. 13.* Sic etiam Machabæi fœdus habuerunt cum Romanis, quod *1. Machabæor. Cap. 15.* renovârunt. Si enim ſub Principe infideli adverſùs infidelem militare intrinſecam pravitatem non continet, neque fœdus bellicum cum infideli adverſùs infidelem per ſe, & intrinſecè illicitum erit: atqui illud intrinſecam pravitatem non continet; Sic enim Julianus Imperator, quamvis eſſet Apoſtata, ſub ſe Chriſtianos milites habuit, quibus cùm dicebat, *producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei*, ùt inquit Divus Ambroſius in *Can. 94. Cauſ. 11. Quæſt. 3.* Sic & Thebea Legio ſub impiis Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano militabat, ſub quibus etiam coronam Martyrii accepit: Ergò neque fœdus bellicum cum infideli adverſùs infidelem per ſe, & intrinſecè illicitum erit. Majus dubium eſſe videtur de fœdere Bellicæ ſocietatis cum infideli adverſùs fidelem. At nec hoc per ſe, & ſuâpte naturâ illicitùm eſſe arbitror; vel enim tendit ad auxilium ab infideli adverſùs fidelem habendum, vel ad auxilium infideli adverſùs fidelem ferendum. Neutrum ſuppoſitâ juſtâ cauſâ, & ſecluſis circumſtantiis per ſe illicitum eſt; aliàs ſi fidelis in latrones Religioni Chriſtianæ addictos incideret, non poſſet is auxilium infidelium implorare, nec infideli in tali periculo conſtituto auxilium ferre, quod ſanè nemo dixerit: Ergo &c. Deinde poteſt fidelis, ſi juſtam bellandi cauſam habeat, adverſùs fidelem uti non tantùm auxilio hominum, ſed & brutorum: Ergò abſtrahendo à circumſtantiis etiam uti poteſt auxilio infidelium. Porro per ſe illicitum non eſt, ſententiam pro fideli contra alium fidelem latam, ſi juſta ſit, etiam per infideles executioni mandare; qui autem fœdus bellicum cum infideli adverſùs fidelem contrahit, aliud non intendit, quàm ut ſententia, quam tanquam ſupremus Princeps in propria cauſa pro ſe tulit, conjunctis infidelium viribus executioni mandetur: Ego ſi illa ſententia juſta ſit, hoc per ſe, & ſuâpte naturâ illicitum non eſt. Quare probabilius eſſe cenſeo,

 quòd

quòd nequidem fœdera bellica ſocietatis cum infideli adverſùs fidelem inita intrinſecam pravitatem contineant. Confer. Molin. *de J. & J. Tract. 2. Diſp. 112. num. ult.* Suarez. *de Bello Diſp. 13. Sect. 7. num. 25.* Layman. *Lib. 2. Theolog. Moral. Tract. 3. Cap. 12. num. 6. in fin.*

XVII.

Interim ſi ejusmodi fœdera cum ſuis circumſtantiis conſiderentur, vix unquam licita erunt; quia plerumque ſalus æterna multarum patitur animarum, & Religio Chriſtiana ingens ex ejusmodi fœderibus incurrit periculum, & detrimentum. Meritò ſanè omnes Chriſtianos Principes ab ejusmodi fœderibus absterrere deberet triſte Franciſci I. Galliarum Regis exemplum, quem cum Imperatore Turcarum contra Carolum V. & Romanum Imperium fœdus pepigiſſe, teſtatur *Receſſ. Imper. de Anno 1544.* §. *3. & 4.* Hic igitur, ut indubitata fert Hiſtoriarum fides, moriens exclamavit: *Perii, heu perii, quia fœderatus eſſe volui hoſti Chriſtiani nominis.* Cùm verò Cardinalis Guiſius ſolatium Regi ex ſacris paginis afferre conaretur, repoſuit is: *Omnis via mihi ad miſericordiam clauſa eſt, qui ut æmuli mei vel gloriam infuſcarem, vel injurias vindicarem, fœdus pepigi cum Turca, & Chriſtianorum capita tanquam armenta ad Mahometanam ſervitutem vivus, vidensq́; paſſus ſum abigi.* Utrùm has voces Regi expreſſerit deſperatio, vel dolor, & pœnitentia, aperiet illa dies, quâ omnium conſcientiæ nudabuntur. Interim poſteritas ejus tota extincta eſt. Henricus Filius in publico ſpectaculo triſte orbi factus eſt ſpectaculum. Nepotes dolor, bellum, venenum, aut ſica ſuſtulit, ut una, eadémque ætas Gentem Valeſiam viderit & ſummam, & propter fœdus cum Turca initum nullam. Schönborner *Lib. 4. Politicor. Cap. 36.*

XVIII.

Objectum fœderum ſunt ea, ſuper quibus illa iniri ſolent. Solent autem, ùt ex ſuprà dictis conſtat, ſuper diverſi generis rebus iniri, puta de officiis humanitatis ſibi invicem exhibendis, de noxâ non inferendâ, de libertate commerciorum, de arcibus in confinio non exſtruendis, de auxilio in bello ferendo &c.

XIX.

XIX.

Forma fœderum duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca ſtat in differentia ſpecifica, quâ tum à conventionibus ſummorum Imperantium privatis, tum à ſponſionibus diſtinguuntur. Quomodo differant à pactionibus Imperantium privatis, initio hujus §. dictum eſt. A ſponſionibus verò differunt in eo, quòd fœdera pangantur juſſu ſummæ poteſtatis, ſponſiones autem à Miniſtris, Ducibus, vel Legatis fiant ſine mandato ſummæ poteſtatis de rebus ad eam pertinentibus. Forma extrinſeca conſiſtit in modo contrahendi fœdera. Contrahebantur autem apud Romanos per Feciales cum hac precatione: *Ut, per quem populum fiat, quò minùs Legibus dictis ſtetur, eum ita Jupiter feriat, quemadmodum à Fecialibus porcus feriatur*, velut diſcimus ex Liv. *Lib. 9. Cap. 5.* ubi porro ſubjungit, fœderibus non niſi nomina Fecialium utriusque populi, ſponſionibus verò omnium eorum, qui ſpoponderunt, inſerta fuiſſe.

XX.

Effectus fœderum conſiſtit in obligatione ſervandi ea, quæ ſocio promiſſa ſunt. Sic vi fœderis bellicæ ſocietatis fœderatus auxilia, quæ pollicitus eſt, fœderato mittere tenetur; nam, ùt inquit Divus Ambroſius *de offic. Cap. 36. qui non repellit injuriam à ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Rectè ait: *ſi poteſt*; ſi enim, qui auxilia promiſit alteri, ipſe bello implicitus ſit, ita ut ſine evidenti pernicie ſuæ Reipublicæ promiſſa auxilia mittere nequeat, is mittere non tenetur; quia Imperans nemini magìs obligatur, quàm ſuæ Reipublicæ, ac proinde non aliter auxilia alteri promittere potuit, quàm ſub hac exceptione, niſi pro defenſione Reipublicæ ſibi commiſſæ ipſe copiis ſuis indigeat. Hác excuſatione uſi ſunt Carthaginenſes; licèt enim obſeſſos hortati ſint, ut obſidionem forti animo paterentur, brevì Carthagine ventura auxilia, poſtea tamen ſupervenêre eorum Legati, magìs obſeſſis ſolatium, quàm auxilium, quia domeſtico bello Pœnos impediri, nec de Imperio, ſed pro ſalute dimicare nuntiabant. Curt. *Lib. 4. Cap. 2. & 3.* Grot. *Lib. 2. Cap. 16. §. 27. num. 1.* Bœhmer. *Part. Special. Lib. 2. Cap. 1. §. 41. Lit. P. ad fin.*

XXI. De-

XXI.

Deinde, ut alibi jam dictum eſt, neque ſocius ſocio tenetur, ſi nulla prorſus ſpes ſit boni exitûs; ſocietas enim boni, non mali cauſâ contrahitur: Si autem ſpes aliqua, utut dubia ſit, ſocius ſe excuſare non poteſt, ſed vi fœderis defenſivi ad tuendum ſocium omnino adſtrictus eſt; aliàs fœdus bellicum vix unquam obligaret; quia bellorum exitus ſemper incerti eſſe ſolent. Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 25.* §. *4. & ibi* Teſmar.

XXII.

Præterea omnia fœdera, quæ auxilium ad bellum ſpondent, hanc tacitam in ſe continent conditionem, ſi bellum fuerit juſtum; quia ad bellum injuſtum, tanquam rem illicitam, nulla dari poteſt obligatio, ac proinde licèt inter duos fœdus hiſce generalibus verbis initum fuiſſet, ut eosdem hoſtes, eosdémque amicos haberent, ad bella tamen illicita fœdus hoc ſe non extenderet.

XXIII.

Solet haud rarò fœderibus bellicæ ſocietatis diſertis verbis inſeri, ut nulli fœderatorum cum hoſte communi ſeorſim pacem inire liceat, ſed ut omnes fœderati bellum conjunctis viribus, eòusque continuare teneantur, donec æquæ, & tutæ pacis conditiones omnibus fuerint propoſitæ. Hanc conventionem, eò quòd majus bonum morale impediat, non eſſe obligatoriam, putat Huber *de Jur. Civit. Lib. 3. Sect. 4. Cap. 3. num. 8.* At falſò; nam hæc conventio non obligat ad aliquid illicitum, cùm bellum, ſuppoſitâ ejus juſtitiâ, eò usque continuare, donec omnibus fœderatis æquæ, & tutæ pacis conditiones fuerint oblatæ, illicitum non ſit: Ergo valet. Deinde quamvìs pax, per ſe loquendo, majus bonum morale ſit, quàm bellum; ſecùs tamen eſt in propoſito, quippe cum crimine perfidiæ conjuncta. Denique licèt promiſſio Deo facta non ſit obligatoria, ſi majus bonum morale impediat, aliud tamen dicendum de promiſſione homini factâ, quæ obligatoria eſt, tametſi majus bonum morale impediat. Dn. P. Schmalzgrueb. *ad Tit. de Jurejur.* §. *6. num. 14.* Adde Thomaſ. *in Not. ad Huber. cit. loc.*

XXIV.

Quæri ſolet, ſi plures bellum gerant, utri potiùs opem ferre debeat, qui utrique fœderatus eſt? ℞. Intereſſe, utrùm cum extraneis bellum gerant, vel inter ſe. Si cum extraneis, vel uterque fovet bellum injuſtum, vel uterque fovet bellum juſtum, vel unus fovet bellum juſtum, alter injuſtum. Si uterque foveat bellum injuſtum, neutri opem ferre poteſt; quia ad bella injuſta nulla datur obligatio. Si uterque gerat bellum juſtum, porro refert, utrùm ipſius promittentis præſentia requiratur, vel non. Illo caſu, cùm præſentia ſit individua, ac proinde utrique præſens auxiliari haud poſſit, ratio poſtulat, ut præferatur is, cum quo fœdus eſt antiquius, niſi fœdus poſterius cum deditione, & translatione Imperii conjunctum ſit. Hoc autem caſu utrique in milite, aut pecuniâ auxilia mittenda ſunt. Si denique unus bellum juſtum, alter injuſtum foveat; Illi, non etiam huic auxilium mittendum erit. Quòdſi ipſi fœderati inter ſe bellum gerant, illi mittendum erit auxilium, qui cauſam juſtam fovet, niſi cum eo, qui cauſam fovet injuſtam, fœdus eſſet antiquius, ſimúlque in eo expreſſim conveniſſet, ne adverſùs ipſum auxilium mittatur; tunc enim neutri mitti poterit. Ita Grot. *Lib. 2. Cap. 18. §. 13.*

XXV.

Quæri etiam poteſt, ſi Rex, cum quo fœdus ictum eſt, poſtea à ſubditis Regno pulſus ſit, utrùm alter auxilia eidem in fœdere promiſſa mittere teneatur? Puto intereſſe, utrùm fœdus diſſertis verbis ad defenſionem Perſonæ Regis, ejúsve familiæ conceptum ſit, vel in utilitatem Regni. Illo caſu certum eſt, quòd fœderatus Regi expulſo ad recuperandam poſſeſſionem Regni vi fœderis auxilium mittere teneatur. Hoc autem caſu admodùm dubium eſſe videtur, utrùm Rex expulſus vi fœderis auxilium ab altero poſtulare queat; tametſi enim jus Regni penes ipſum maneat, auxilium tamen adverſùs ſolos hoſtes externos eidem promiſſum eſſe cenſetur; de hoc autem caſu planè non fuit cogitatum. Interim nec fœdus obſtat, quò minùs, ſi velit, legitimo Regi ad recuperandam poſſeſſionem Regni auxilium ferre poſſit; quia invaſores Regno-

rum ſub fœdere cum legitimis Imperantibus inito neutiquam comprehenduntur; Tametſi enim ejusmodi fœdus cum Rege, & ejus ſucceſſoribus factum eſſe ponatur, appellatione tamen Regis, & ſucceſſoris non venit invaſor, utpote cujus cauſa odioſa eſt, ſed is demùm hiſce vocabulis intelligitur, qui jus Regni habet. Et hoc eſt, quod Nabidi dicebat T. Quintius apud Liv. *Lib. 34. Cap. 32. Amicitia, & ſocietas nobis nulla tecum, ſed cum Pelope Rege Lacedæmoniorum juſto, ac legitimo facta eſt.* Grot. *cit. Lib. 2. Cap. 16.* §. *17. & 18.* Puffendorf. *Lib. 8. Cap. 9.* §. *9.*

XXVI.

Dubium quoque eſt, utrùm fœdus, quo cautum fuit, ut utriusque ſocii ab utrisque tuti ſint, ad eos duntaxat pertineat, qui jam tempore icti fœderis ſocii erant, vel etiam ad eos, qui poſtea primùm in ſocietatem aſſumpti fuêre? Diſceptatum olim hâc ſuper re fuit inter Romanos, & Carthaginenſes poſt oppugnatum ab Annibale Saguntum, velut patet ex Liv. *Lib. 21. Cap. 18. & 19.* Verius videtur, ejusmodi fœdus ad eos tantùm pertinere; qui jam tempore icti fœderis ſocii erant; quamvìs enim aliàs ſociorum appellatione etiam illi veniant, qui poſt fœdus ictum in ſocietatem aſſumuntur, ratio tamen poſtulat, ut in propoſito hanc vocem ad eos reſtringamus, qui jam tempore fœderis percuſſi ſocii erant, ne aliàs fœdus ruptum eſſe intelligatur, quod odioſum eſt. Accedit, quòd in dubio præſumendum non ſit, naturalem facultatem, arma iis inferendi, qui injuriam feciſſe creduntur, temerè abdicatam eſſe, quod ſanè fieret, ſi & futuri ſocii hoc fœdere eſſent comprehenſi. Igitur ſalvò fœdere, quod cum C. Luctatio Conſule ictum fuerat, Pœni Saguntinis bellum inferre potuerunt. Ex adverſo etiam Romani ſalvo fœdere ex jure naturali, quod abdicatum non erat, Saguntinorum defenſionem ſuſcipere potuerunt, cùm Saguntini apud utrosque eo loco fuerint, quaſi nihil de ſociis conveniſſet. Negari tamen nequit, quin hoc modo plerumque ad rupturam fœderis perveniatur; quia plagæ, quas alieno nomine quis infligit, pari ſenſu afficiunt, quàm quas infligit nomine proprio. Grot. *cit. Cap. 16.* §. *13.* & Puffendorf. *alleg. Cap. 9.* §. *10.*

XXVII.

Contraria fœderum ſunt modi, quibus ea rurſus diſſolvuntur. Diſſolvuntur autem vel reſpectu unius, vel reſpectu utriusque partis. Reſpéctu unius ſolvitur fœdus, ſi pars altera id violaverit; nam hoc caſu pars innocens, ſi velit, à fœdere diſcedere poteſt; cùm ſingula fœderis capita conditionis vim habeant: Si autem nihilominus fœderi ſtare velit, etiam alter, qui fœdus perfidè rupit, eidem ſtare tenebitur, cùm nemo contra obligationem faciendo ſe obligationi eximere poſſit. Planè ſi expreſſim convenerit, ut, licèt fortè in uno capite fœderi non fuerit ſatisfactum, illud tamen in reliquis capitibus firmum perſiſtat, innocens à fœdere diſcedere haud poſſet, quamvis tali caſu non teneatur præſtare id, quod capiti ab alterâ parte neglecto reſpondebat. Puffendorf. *ubi ſuprà* §. *11*. Reſpectu utriusque partis ſolvitur fœdus I. mutuâ voluntate; nihil enim tam naturale eſt; quàm eo modo quid diſſolvi, quo colligatum eſt. *L. 35. ff. de R. J.* II. Morte unius paciſcentium, ſi fœdus ſit perſonale, modò, ex utrâque parte tale ſit; ſi verò ex unâ parte reale, ex alterâ perſonale ſit, non niſi morte ejus ſolvitur, ex cujus parte perſonale eſt. III. Ceſſante negotio, cujus cauſâ fœdus contractum eſt. Sic ſi certi belli cauſâ fœdus ſit initum, bello finito, & pace reductâ fœdus expirat; quia ceſſat finis ejus. IV. Extinguitur lapſu temporis, ad quod fœdus contractum eſt, nec tacitè renovatum eſſe cenſetur, niſi tales ſint actus, qui nullam aliam interpretationem recipere poſſint: e. g. ſi quis elapſo jam fœderis termino auxilium ab altero vi fœderis poſtulet, & is non ignarus finiti temporis illud præſtet; aliàs enim pro benevolentiæ magìs, quàm renovati fœderis indiciis habentur, cùm nova obligatio tanquam onus non facilè præſumatur. Puffendorf. *dict.* §. *11*. Grot. *alleg. Cap. 15.* §. *14*.

§. II.

De Sponſionibus.

SUMMARIA.

I. *Quando ſumma Poteſtas ſponſionibus ſuorum Miniſtrorum obligetur?*

II. *Romani injuſtè ſponſionem Caudinam improbârunt.*

III. *Sponſores tenentur omnem diligentiam moraliter poſſibilem adhibere, ut, quod ſpoponderunt, ſumma poteſtas ratum habeat.*

IV. *Quid ſi ſponſio ſub expreſſâ conditióne ratihabitionis ſit facta?*

V. *In quid teneantur ſponſores, ſi ratihabitionem ſponſionis non potuerint obtinere?*

I.

AFFines fœderibus ſunt ſponſiones, ſeu conventiones publicæ, à Miniſtris, Belliducibus, vel Legatis ſine mandato ſummæ Poteſtatis de rebus ad eam pertinentibus initæ. Ubi certum quidem eſt, ſummam poteſtatem ejusmodi conventionibus Miniſtrorum directè neutiquam obligari, cùm ſine ſuo conſenſu nemo ex pacto alterius obligari poſſit; indirectè tamen occaſione ejusmodi ſponſionis fieri poteſt, ut ſummus Imperans obligetur, & quidem primò, ſi eandem poſtea ratihabuerit, quæ ratihabitio non tantùm verbis, ſed & facto fieri poteſt, modò hoc ita comparatum ſit, ut ad aliam, quàm approbationis cauſam referri nequeat; ſolum autem etiam ſcientis ſilentium non videtur ſufficere, cùm ex ſilentio, niſi ſignum aliquod externum acceſſerit, vix de animi ſenſu conſtare poſſit, præſertim ſi ſponſio verbis negativis concepta eſſet, uti erat pactio Romanorum cum Aſdrubale, ne Pœni amnem Iberum tranſirent. Liv. *Lib. 21. Cap. 18. & 19.* Secundò indirectè ſummus Imperans ex ſponſione ſui Miniſtri obligatur, ſi ex eâ commodum ſenſerit; iniquum enim foret, commodum ex ſponſione ſentire, & eandem de reliquo improbare. Confer. Grot. *ſuprà cit. Cap. 15. §. 17. num. 2. & 3. & Lib. 3. Cap. 22. §. 3.*

II.

Non poſſum igitur probare eorum opinionem, qui populum Romanum ex ſponſione Caudinâ nullo modo obligatum fuiſſe arbitrantur; nam ex ſponſione Poſthumii exercitum, qui inter duos ſaltus clauſus à Samnitibus deleri poterat, recepit ſalvum: Ergo non potuit absque injuſtitia eandem improbare, vel ſi volebat improbare, tenebatur exercitum in priores loci anguſtias reſtituere, velut Pontius Samnitium Imperator Romanis rectè objecit, cujus verba

verba referre non piget : *Samniti populo omnes, quos in poteſtate habuit, aut pro iis pax debetur. Si populum Romanum ſponſionis ad furculas Caudinas factæ pœnitet, reſtituat legiones intra ſaltum, quo ſeptæ fuerunt ; nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto ſint : recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt. Redeant in caſtra ſua. Quidquid pridie habuerunt, quàm in colloquium eſt ventum, habeant. Tum bellum, & fortia conſilia placeant : tum ſponſio & pax repudietur. Eâ verò fortunâ in iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum : nec populus Romanus Conſulum ſponſionem, nec nos fidem populi Romani accuſemus.* Liv. *Lib. 9. Cap. 11.* Thomaſ. *de ſponſion. Romanor. Caudin.* §. *88. in fin. & ſeqq.*

III.

Sponſores autem tenentur omnem diligentiam moraliter poſſibilem adhibere, ut, quod ſpoponderunt, ſumma Poteſtas ratum habeat, & præſtet. Huic obligationi in ſponſione Caudina ſatisfecêre quidem Tribuni ; quia diligentiam, quæ ab ipſis poſtulari poterat, adhibebant, ut Romanis pacem cum Samnitibus ſervandam perſuaderent, apertè profeſſi, non exſolvi Religione populum deditione ſuâ, niſi omnia Samnitibus, qualia apud Caudinum fuiſſent, reſtituerentur : cœteri autem ſponſores fidem ſuam non liberârunt ; nam Quæſtores, Legati, & Veturius Calvinus Poſthumii Collega authoritate ejus commoti ſolùm dicebant, ſe in Senatûs eſſe poteſtate ; Poſthumius verò non tantùm Romanis ſuaſit, ut ſponſionem non ſervarent, ſed & adverſùs Tribunos prolixam habuit orationem. Vid. Liv. *dict. Lib. 9. Cap. 8. 9. & 10.* Confer Thomaſ. *cit. Diſſert. à* §. *65. usque ad 82.*

IV.

Planè ſi ſponſio ſub expreſſâ conditione ratihabitionis facta eſſet, ſponſor neque ad obtinendam ratihabitionem niſi ad hoc diſertis verbis ſeſe obligâſſet, neque ratihabitione non ſecutâ ad aliquid teneretur ; cùm deficiente conditione ſponſio penitus evaneſcat.

V.

Si verò ſine conditione ratihabitionis purè ſit facta, neque per ullam ſponſorum diligentiam ejus ratihabitio à ſummâ poteſtate obtineri poſſit, in quid ſponſores tum teneantur, non ſatis expeditum eſt. Puto intereſſe, utrùm fortè poteſtatem publico nomine contrahendi præſetulerint, atque ita alterum deceperint, vel non. Illo caſu dubium non eſt, quin ex damno per dolum dato ad reſtitutionem teneantur. Hoc autem caſu porro refert, utrùm in caſum facti non ſecuti pœna adjecta fuerit, vel non. Si ſponſioni ſtipulatio pœnalis ſubjecta ſit, ſponſor, improbatâ ſponſione, ad pœnam ſaltem tenetur; quippe quæ facto non ſecuto, ſola in obligatione eſt. Si verò nulla pœna adjecta fuerit, ulteriùs intereſt, utrùm ſponſor rem in eum ſtatum, in quo ante ſponſionem erat, reſtituere poſſit, vel non. Illo caſu rem in priſtinum ſtatum reſtituere tenetur. Hoc autem caſu, quia impoſſibilium nulla datur obligatio, morali neceſſitate itur ad id, quod ſponſor facere poteſt. Sic in ſponſione Caudina ſponſores non poterant exercitum Romanum, quem ſuâ ſponſione liberaverant, in ſaltus Caudinos rurſus obſeſſum ſiſtere. Quare in tali cauſu primùm obligata ſunt ſponſoris bona ad id, quod intereſt, &, ſi ea non ſufficiant, corpus ad ſervitutem, nec eundem juvat, quòd omnem operam dederit, ut id, quod ſpopondit, fieret; cùm natura hujus negotii multò ſtrictiorem inducat obligationem; nam qui contrahendo aliquid ex ſuâ parte præſtat, ut Samnites exercitum Romanum apud Furculas Caudinas clauſum, & obſeſſum dimittendo, hic viciſſim reipſâ ſibi aliquid præſtari vult. Grot. *Lib. 2. Cap. 15.* §. *3. num. 3. &* §. *16.* Tenetur igitur hoc caſu ſumma Poteſtas ſponſores alteri dedere, velut à Romanis ſponſores pacis Caudinæ Samnitibus dediti ſunt, quamvìs ab iis non fuerint accepti, ùt conſtat ex Liv. *cit. Lib. 9. Cap. 10.*

CAP.

CAPUT IV.

De Jure Legatorum.

QUartum Jus libertatis naturalis eſt Jus Legatorum mittendorum; cùm enim negotia, quæ inter ſummas poteſtates tractanda ſunt, per literas non ſatis benè expediri poſſint; præterea ſummis Imperantibus plerumque incommodum, imò ſæpè minùs tutum ſit, ut colloquii cauſâ vel unus ad alterum proficiſcatur, vel ambo in tertio loco conveniant, ideo aliud non ſupereſt, quàm ut ea per Legatos expediantur. Willenberg. ad Grot. *Lib. 2. Cap. 18. Quæſt. 1.* Wicquefort. *de l' Ambaſſadeur Lib. 1. Sect. 1. verſ. Les Princes &c.* Dividemus autem hoc caput itidem in duos §. §. quorum primus de Legatis; alter de eorum immunitate, & inviolabilitate aget. Sit igitur

§. I.

De Legatis.

SUMMARIA.

I. *Vocabulum Legati aliter olim accipiebatur à Romanis, aliter accipitur hodie.*

II. *Vocatur etiam orator, item Nuntius Regius, Nuntius publicus.*

III. *Deſcribitur Legatus.*

IV. *Dividitur primò in Legatum primi, & ſecundi ordinis.*

V. *Secundò in Ordinarium, & Extraordinarium.*

VI. *Per ſe loquendo ille demum Legatum mittere poteſt, qui ſummam habet poteſtatem.*

VII. *Unde ſubditi per ſe, & ex naturâ rei jus Legationis non habent.*

VIII. *In bellis civilibus interdum ipſa neceſſitas utrique parti dat jus mittendi Legatos.*

IX. *Pyratæ, Prædones, ac Latrones, niſi civitatem conſtituant, jus Legationis non habent.*

X. *Qui*

X. *Qui extra Rempublicam vivunt, nec ſuperiorem recognoſcunt, ex jure Naturæ jus legationis habent, non autem ex jure Gentium.*

XI. *In ſtatu mixto quisque pro ea ſummi Imperii parte, quam habet, Legatum mittere poteſt.*

XII. *Quamvìs Rex à ſubditis Regno ſit pulſus, jus tamen Legatos mittendi retinet.*

XIII. *Utrùm Rex bello publico captus, non autem Regno exutus Legatum mittere poſſit?*

XIV. *Uſurpator alieni Imperii, quem talem eſſe conſtat, jus Legationis non habet.*

XV. *Qui Regnum feudi jure tenet, Legatum etiam ad Dominum directum mittere poteſt.*

XVI. *Legatus non poteſt alium ſubdelegare.*

XVII. *Utrùm Proreges, & Præſides Provinciarum jus Legationis habeant?*

XVIII. *Ad quos Jure Gentium Legatus mittatur?*

XIX. *Legati ab eo, ad quem miſſi ſunt, admitti debent, niſi juſta ſubſit rejiciendi cauſa:*

XX. *Quæ eſſe poteſt vel ex perſonâ Mittentis, vel ex perſonâ Miſſi, vel ex eo, ob quod mittitur.*

XXI. *Quæ Legatis expedienda committuntur, varia ſunt.*

XXII. *Adducitur forma Legati tum intrinſeca, tum extrinſeca.*

XXIII. *Legati obligant ſummam Poteſtatem, à qua miſſi ſunt, niſi limites mandati publici exceſſerint.*

XXIV. *Quibus modis officium Legati expiret?*

I.

VOcabulum Legati aliter olim accipiebatur à Romanis, aliter accipitur hodie. A Romanis non tantùm Duces exercitûs, aut certarum Regionum, ſed & qui à ſubjectis Civitatibus ad S. P. Q. R. miſſi fuerant, nomine Legati inſigniebantur, velut paſſim ex Livio, & Jure Romano apparet. Hodie autem hoc nomen illis tantùm

tantùm tribuitur, qui ab eo, qui ſummum Imperium habet, ad alium ſummum Imperantem mittuntur.

II.

Vocatur alio nomine Orator. *L. 7. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. R. J. de anno 1566. §. 35.* ibi : Und wiewohl unſer Orator &c. Item *de anno 1594. §. 2.* Et apud Liv. *Lib. 1. Cap. 24. & 32.* Nuntius Regius, Nuntius publicus populi Romani. Noſtro autem idiomate appellatur Geſandter, Abgeſandter, Pottſchaffter, ita tamen, ut per vocabula, Geſandte, Pottſchaffter, plerumque ſoli Legati primi ordinis, per Verbum autem Abgeſandte, Legati tantùm ſecundi ordinis intelligantur. Vitriar. ad Grot. *Lib. 2. Cap. 18. Quæſt. 2.*

III.

Deſcribi poteſt Legatus, quòd ſit Miniſter publicus ab eo, qui ſummam poteſtatem habet, ad alium ſimili poteſtate præditum ad commiſſa ſibi negotia nomine committentis expedienda miſſus.

IV.

Dividitur I. ut pauló ántè inſinuavi, in Legatum primi, & ſecundi Ordinis. Primi Ordinis dicitur, qui cum Charactere repræſentativo : Secundi Ordinis veró, qui ſine Charactere repræſentativo miſſus eſt. Utrùm autem aliquis cum, vel ſine Charactere repræſentativo miſſus ſit, ex tenore literarum credentialium colligi debet. Legatus primi ordinis Gallis l' Ambaſſadeur, ſecundi ordinis verò l' Envoyé vocatur.

V.

Dividitur II. in Ordinarium, & Extraordinarium. Ordinarius dicitur, qui ad tempus non breve, nec in cauſâ ſpeciali, ac determinatâ, ſed generaliter miſſus eſt, ut ſunt Reſidentes, qui apud exteros promiſcuè rem Domini ſui gerunt. Extraordinarius verò, qui ad breve tempus in cauſâ ſpeciali, ac determinatâ miſſus eſt. Willenberg ad Grot. *cit. loc. Quæſt. 3.* Rechenberg *Philoſoph. Civil. Part. 2. Cap. 9. §. 20.* Coccej. *Jur. Publ. prud. Cap. 23. §. 36.*

VI.

Cauſa efficiens Legati eſt mittens. Poteſt autem per ſe loquendo ille demum Legatum mittere, qui ſummam habet poteſtatem; cùm enim jus mittendi Legatum directè ex naturali profluat libertate, per ſe conſequitur, illud ex naturâ rei non alii competere poſſe, quàm ei, qui ſuperiorem non recognoſcit. Unde rectè Wicquefort. *cit. Lib. 1. Sect. 2. in princ.* ait: *qu'il ne' y a point de plus illuſtre marque de la ſouveraineté, que le droit d' envoyer, & de recevoir des Ambaſſadeurs.*

VII.

Qui igitur in conditione parendi poſiti ſunt, per ſe, & ex naturâ rei jus legationis neutiquam habent. Poſſunt quidem ſubditi unum, vel plures ad Principem ſuum ablegare; At qui ita miſſi ſunt, non Legati, ſed Deputati vocantur, ac proinde nec jure Legatorum gaudent ex jure Gentium, ſed jure civium proprio reguntur, cùm jus Gentium diverſas Gentes, non membra ejusdem Reipublicæ inter ſe reſpiciat. Hinc colonis Romanorum captivos repetentibus à Senatu denuntiatum fuit, ut, qui eam ob cauſam miſſi fuerant, properè ex urbe, ab ore, atque oculis populi Romani faceſſerent; nec enim jure Legationis, utpote quod externo, non civi comparatum ſit, eos tegendos fore. Liv. *Lib. 6. Cap. 17. ad fin. & Cap. 18.*

VIII.

Planè in bellis civilibus ipſa neceſſitas interdum locum facit juri mittendi Legatos, ut ſi in ſtatu populari populus ita diviſus ſit, ut dubium exiſtat, utrâ ex parte ſtet jus Imperii, aut ſi in ſtatu Regio, jure admodùm controverſo, duo de ſucceſſione Regni decertent; nam hiſce caſibus una gens ad tempus quaſi pro duabus Gentibus habetur. Grot. *cit. Cap. 18. §. 2. num. 3.* Et quamvìs Wicquefort. *dict. ſect. 2. pag. 11.* hoc non ultra communicationem duarum partium inter ſe extendendum eſſe putet, neſcio tamen, utrùm non fortè exempla extent in contrarium.

IX.

Porro nec pyratæ, prædones, aut Latrones, niſi civitatem conſtituant, ex jure Gentium jus Legationis habent: Unde Tiberius, cùm ad eum Tacfarinas Legatos miſiſſet, indoluiſſe fertur, quòd deſertor, & prædo hoſtium more ageret. Tacit. *Lib. 3. Annal. Cap. 73.* Legimus tamen, nonnunquam etiam latrones miſiſſe Legatos, receptósque eos eſſe, ut apud Curt. *Lib. 7. Cap. 6.* ubi XX. millia latronum, cum quibus Alexander congreſſus, & inter promptiſſimos dimicans, ſagittâ ictus fuerat, poſtero die ad Regem Legatos miſêre, quos ille protinus admitti juſſit. At hoc non nititur jure Gentium, quippe quod ad eos non pertinet, qui Gens non ſunt, ſed ideò admiſſi fuêre; quia hoc vel ſuaſit utilitas, vel quædam extorſit neceſſitas. Si autem civitatem conſtituant, ut Algerienſes, Tripolitani &c, quamvìs in exteros prædas agant, dubium non eſt, quin ex jure Gentium jus Legationis habeant; nam & olim apud multos populos jus naturæ ex parte quaſi obliteratum fuit, ut prædas agere, atque ex rapto vivere pro licito haberent; interim tamen etiam exteris jus reddebant, ſaltem ſecundùm pacta cum quibusque inita, aut ſecundùm mores. Vid. Grot. *Lib. 3. Cap. 3. §. 2. num. 1.*

X.

Legatum igitur per ſe loquendo ex Jure Gentium ille demum mittere poteſt, qui ſupremam in civitate poteſtatem habet; *in civitate*, inquam; tametſi enim Patresfamilias, qui extra omnem Rempublicam vivunt, cùm ſuperiorem non recognoſcant, non minùs jus mittendi Legatos, quàm fœderum pangendorum habeant, velut Abrahamum, qui non niſi Paterfamilias erat, cum Eſcol, & Amer fœdus pepigiſſe conſtat ex *Geneſ. 14. verſ. 13.* hoc tamen in jure duntaxat Naturæ, non etiam in Jure Gentium fundatum eſt, utpote quod, ut paulò antè dixi, ad Gentes tantùm pertinet, familia autem, quia non eſt cœtus perfectus, Gentem non conſtituit.

XI.

Quòdſi ſumma civilis poteſtas in partes ſciſſa ſit, ita ut diverſæ ejus portiones diviſim penes diverſos reſideant, quisque pro ea

ſummi Imperii parte, quam habet, Legatum mittere poterit, quia eatenus ſuperiorem non recognoſcit. Sic ſi unus jus vectigalium, alter verò jus puniendi haberet, poſſet ille ratione vectigalium, hic verò pœnæ cauſâ Legatum mittere, ac poſtulare, ut delinquens profugus vel dedatur, vel puniatur.

XII.

Cœterùm quamvìs Rex à ſubditis Regno ſit pulſus jus tamen Legatos mittendi is retinet, quia non eo ipſo, quòd poſſeſſionem Regni amiſerit, etiam jus Regni amiſit. Aliud dicendum videtur de eo, qui bello publico victus, & Regno exutus eſt; tametſi enim bellum fortè fuerit injuſtum, aut victor in hoc modùm debiti exceſſerit, ac per ſe conſequens ſtando in Jure Naturæ victus, & Regno privatus unà cùm Jure Imperii etiam Jus Legationis retineat, non tamen id retinet ſpectato Jure Gentium externo, quo tale bellum, & factum à populis pacatis pro juſto habetur. Et hoc modo Grot. *Lib. 2. Cap. 18. §. 2. num. 2.* intelligendum eſſe puto.

XIII.

Si autem Rex bello publico quidem captus, non autem Regno exutus ſit, mihi dubium non eſt, quin is, poſtquam Gentibus cultioribus diſplicuit, ut capti ſervi fierent capientium, jus mittendi Legatos retineat; quia retinet ſummam poteſtatem, nec victoris ſubditus fit; interim tamen vix eſt, ut hoc jus permittatur exercere, ſed ex conſenſu vel expreſſo, vel præſumpto captivi Regis Proceres ſaltem in Regnis non patrimonialibus non minùs jus Legationis exercere, quàm curam, & adminiſtrationem Regni in ſe ſuſcipere ſolent. Sic, ut Guicciardin. *Lib. 16. Hiſtor.* refert, Franciſcus I. Madriti in captivitate detentus, Matri, & Regni Proceribus denuntiari juſſit, ut, quaſi mortuus eſſet, curàm Regni haberent: Unde & tres Legati Madritum miſſi ſunt, qui cum Carolo V. de liberatione Franciſci I. tractarent. Wicquefort. *Sect. 3. pag. 35.*

XIV.

Uſurpator igitur alieni Imperii, quem talem eſſe conſtat, Jus Legationis non habet, nec, ſi defacto mittat, Legati ab eo miſſi recipi,

cipi, ſed rejici debent, niſi Reſpublica ob id grave pateretur damnum; tunc enim neceſſitati cedi poſſe videtur. Talis notorius uſurpator erat infamis ille Regis Parricida Olivier Cromwell, qui poſtquam Regium caput ſecuri carnificis ſubjecerat, ſub nomine Protectoris alienum invaſit Imperium; & tamen, ô tempora! ô mores! non tantùm Gallia Legatum ab eo miſſum cum tantis recepit honoribus, ut nequidem Legato ſummi Chriſtianitatis Monarchæ majores exhiberi potuiſſent, verùm etiam Cardinalis Mazarinus expulſum legitimum Regem nec ad conſpectum, nec ad colloquium admiſit. Wicquefort. *cit. Sect. 3. pag. 27.*

XV.

Habent autem Reges jus mittendi Legatos non tantùm, ſi Regnum ſit allodiale, ſed etiam, ſi feudi jure teneatur, adeò ut & ad Dominum directum ſuos mittere poſſint Legatos; nam, ut alibi oſtenſum eſt, Imperium non deſinit eſſe ſummum ob id, quòd ab altero in feudum recognoſcatur. Aliud dicendum, ſi quis non tantùm Vaſallus, ſed & ſubditus foret; tametſi enim is ſimul Regnum ſupremo obtineret jure, ac quà talis Legatos etiam ad dominum directum mittere poſſet, quà ſubditus tamen per ſe loquendo, & ex naturâ rei, nec ad Dominum directum, nec ad alios poſſet ablegare. Wicquefort. *Sect. 2. pag. 24. & 25.* Add. Grot. *cit. Cap. 18. §. 2. num. 2.*

XVI.

Illud ſatis expeditum eſt, quòd Legatus non poſſit alium ſubdelegare, tum quia non habet ſupremam in civitate poteſtatem, ſed ex numero ſubditorum eſt, tum quia electa eſt perſonæ induſtria, quæ non continuò in ſubſtitutum cadit. Si tamen Legatus ab eo, à quo miſſus eſt, expreſſam accepiſſet facultatem alium ſubdelegandi, is haud dubiè alium loco ſui ſubſtituere poſſet, qui tamen ſubſtitutus ſuam poteſtatem, & authoritatem non haberet à Legato, ſed ab eo, qui Legatum miſit. Exemplum habemus in Legato Regis Hiſpaniæ Comite de *Pagnaraude*, qui vi ſpecialis poteſtatis ſibi à Rege ſuo conceſſæ propter abſentiam alios loco ſui ſubſtituit Legatos. Wicquefort. *ſæpè cit. Sect. 3. verſ. cette Ambaſſade &c. pag. 35.*

XVII.

Sed nec Proreges, & Gubernatores Provinciarum, niſi hoc ipſis ab eo, qui ſummam poteſtatem habet, fuerit conceſſum, Jus Legatos mittendi habent: legimus quidem, & ab his ſæpè Legatos miſſos eſſe; at illi Miniſtri publici quidem erant, Legati autem propriè loquendo non erant, licèt hoc nomen ipſis fortè fuerit tributum, & idem honor exhibitus, qui aliàs Legato deberetur. Sic Legatus Regis Galliæ ad Helvetos *Caſati*, qui non niſi à Gubernatore Mediolanenſi litteras credentiales habebat, pro Legato noluit agnoſcere; tantúmque effecit, ut *Caſati* in generali Cantonum conventu nequidem ad audientiam fuerit admiſſus. Wicquefort. *Alleg. Sect. 3. verſ. Les Vice Rois &c. & verſ. ſur quoy &c. pag. 32. & ſeqq.*

XVIII.

Mittitur autem Jure Gentium Legatus per ſe loquendo non niſi ad eum, qui ſummam in civitate poteſtatem habet, ac proinde uſurpator, quem talem eſſe conſtat ægrè ferre haud poteſt, ſi nulli ad eum mittantur Legati; Interim tamen aſſerit Wicquefort. *dict. Sect. 3. pag. 27.* Cromwellum ſub nomine Protectoris vix ſummum invaſiſſe Imperium, & continuò omnes Reges terræ coram hoc idolo ſe proſtraviſſe. Aliud dicendum de eo, quem non conſtat, uſurpatorem eſſe; nam in re controverſâ populi pacati ſequuntur poſſeſſionem; cùm ad eos non pertineat judicare, quisnam juſtiorem habeat cauſam. Sed nec ad ſubditos vel ſuos, vel alienos per ſe loquendo Jure Gentium mittitur Legatus. Miſère quidem Romani ad ſuos Belliduces. At jam ab initio monuimus, apud Romanos hoc vocabulum latiùs, quàm hodie fit, acceptum fuiſſe. Miſerunt etiam ad Annibalem Saguntum obſidentem, ut patet ex Liv. *Lib. 21. Cap. 9. propè fin.* At hoc propter inſtans periculum obſeſſæ civitatis factum.

XIX.

Ut Legati ab eo, ad quem miſſi ſunt, admittantur, Jure Gentium cautum eſt; unde, cùm Annibal Legatos Romanorum non admiſiſſet, Hanno Senator Carthaginenſis in eum hiſce invehitur verbis:

verbis: *Legatos ab ſociis, & pro ſociis venientes bonus Imperator veſter in caſtra non admiſit. Jus Gentium ſuſtulit.* Liv. *cit. Lib. 21. Cap. 10.* quod tamen ita intelligendum eſt, niſi juſta ſubſit rejiciendi cauſa; ſæpè enim legimus, Legatos non fuiſſe admiſſos. Qui igitur ex juſtâ cauſâ rejicit Legatum, non violat Jus Gentium; quia non omnes admitti præcipit, ſed tantùm vetat, ſine juſtâ cauſâ rejici.

XX.

Poteſt autem juſta rejiciendi cauſa eſſe vel ex perſona ejus, qui mittit, vel ejus, qui mittitur, vel denique ex eo, ob quod mittitur. Ex perſona mittentis rejici Legatus poteſt, ſi is, qui mittit, callidâ Legationis ſimulatione ſæpè antehac deceperit, & eodem modo fraus metuenda ſit. Ex perſona ejus, qui mittitur, admiſſio negari poteſt, ſi is ob perfidiam, illatam contumeliam, grave crimen in ejus, ad quem mittitur, territorio commiſſum, aliámve juſtam ob cauſam inviſus ſit. Ex eo denique, ob quod mittitur, Legatus rejici poteſt, ſi cauſa mittendi ſuſpecta ſit, aut tempori non conveniat, ut ſi non ad agendum negotium, quod profitetur, ſed ad populum concitandum, ſpeculandum, explorandúmve, vel ad tempus protrahendum, eáque morâ rebus Domini ſui conſulendum, & alteri, ad quem mittitur, nocendum, ablegatum fuiſſe, prudenter credi poſſit. Grot. *ſæpiùs cit. Cap. 18.* §. *3. & ibi.* Willenberg. *Quæſt. 12.* ac Vitriar. *Quæſt. 10.* Adde Wicquefort. *Sect. 13.* ubi plura adducit exempla.

XXI.

Objectum Legatorum ſunt ea, quæ ipſis expedienda committuntur; poſſunt autem varia committi. v. g. ut nomine mittentis, Filiam ejus, ad quem mittuntur, in matrimonium petant, vel cum eo fœdus ineant, aut contra hoſtes ſuos ejus auxilium implorent, ut matrimonio, coronationi, ſepulturæ aſſiſtant, ut propter ſuſceptum Regimen, aut recuperatam valetudinem gratulentur. Ita Rex Babylonis Merodach per Legatos de valetudine gratulatus eſſe legitur Regi Ezechiæ. *Iſaiæ 39.* ut tranſitum petant. Ita Iſraël ad poſtulandum tranſitum innoxium nuntios miſit ad Seon Regem Ammoni-

Ammonitarum. *Num. 21.* ut propter mortem condoleant. Ita David Legatos miſit ad Regem Ammonitarum ſuper morte Patris conſolandum. *2. Reg. 10.* & ſi quæ alia ſunt.

XXII.

Forma Legatorum duplex eſt, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ Legatus diſtinguitur à reliquis Miniſtris publicis, quæ in eo ſita eſt, quòd omnis ille ſit, & dicatur Miniſter publicus, qui ad negotia publica nomine ſummi Imperantis pertractanda adhibetur. Legatus autem ille demum eſt, qui ad ejusmodi negotia expedienda nomine ſummi Imperantis ad alium ſummum Imperantem miſſus eſt, ac proinde vocabula Miniſtri publici latiùs patent, quàm vox Legati; nam qui in aula Principis ſui ex ejus mandato negotia publica etiam cum exteris pertractat, Miniſter publicus eſt, Legatus autem non eſt. Forma autem extrinſeca conſiſtit in eo, quòd Legatus vel cum, vel ſine charactere repræſentativo, vel ad tempus ad certum, ac determinatum negotium vel in perpetuum ad rem promiſcuè Domini ſui agendam mittatur.

XXIII.

Effectus Legatorum ſtat in eo, quòd ſummam poteſtatem, à qua miſſi ſunt, obligent, modò limites mandati publici non exceſſerint, etiamſi fortè quid fecerint contra mandatum arcanum; nam, ut alibi dictum eſt, vi mandati publici legans ſe obſtringit ei, ad quem legatum mittit, ad ratihabenda ea, quæ vi mandati generalis Legatus acturus eſt, vi mandati autem arcani Legatum obſtringit ſibi, ut non agat, niſi ex præſcripto ſibi ſoli cognito, vel ſi ſecùs ageret, ut teneatur ad id, quod intereſt. Grot. *Lib. 2. Cap. 11. §. 12.* Puffendorf. *Lib. 3. Cap. 9. § 2.*

XXIV.

Contraria ſunt modi, quibus officium Legati exſpirat. Exſpirat autem I. morte mittentis. II. Morte ejus, ad quem miſſus eſt Legatus. *Il eſt certain*, inquit Wicquefort. *Lib. 1. Sect. 30. pag. 440. que les meſmes cauſes, qui font ceſſer le pouvoir dans les particulieres, font*

ſont auſsi expirer la commiſſion d' un Miniſtre dans les affaires publiques. Le pouvoir de l' Ambaſſadeur ceſſe, lorsque le Prince, qui l' employé, n' eſt plus en eſtat d' agir, ou que celui, auprés du quel il eſt employé, n' eſt plus en eſtat, de faire negocier avec luy, c' eſt à dire, par la mort de l' un, ou de l' autre. III. Morte ipſius Legati. IV. Revocatione mittentis. V. Finito negotio, cujus cauſâ miſſus eſt Legatus. VI. Lapſu temporis, quod in Legatis ordinariis ubique ferè triennium eſt, modò mittentis conſenſus adſit; nam ſine ejus permiſſione Legatus ex loco legationis diſcedere haud poteſt. Quòd ſi Legatus ab eo, ad quem miſſus eſt, ex finibus ſuis juſſus ſit diſcédere, negotiatio quidem ceſſat, at non propterea is deſinit eſſe Legatus; quia characterem Legati præter mittentem, qui eundem impoſuit, adimere nemo poteſt. Vid. Wicquefort. *Lib. 1. Cap. 30.*

§. II.

De Immunitate, & Inviolabilitate Legatorum.

SUMMARIA.

I. *Inviolabilitas Legatorum non deſcendit ex ipſo jure Naturæ.*

II. *Sed ex Jure Gentium univerſali.*

III. *Hâc inviolabilitate fruuntur primò perſonæ Legatorum.*

IV. *Secundò comites Legatorum.*

V. *Quid ergo obtineat, ſi unus ex comitibus Legati delinquat?*

VI. *Utrùm Legati in ſuos Comites juriſdictionem habeant?*

VII. *Tertiò hâc immunitate fruuntur bona mobilia, quæ Legatus in loco Legationis habet.*

VIII. *Bona autem immobilia, quæ Legatus fortè in territorio ejus ad quem miſſus eſt, habet, nullâ ex Jure Gentium fruuntur immunitate.*

IX. *Quartò hâc immunitate gaudent etiam ædes Legatorum.*

X. *Sed eatenus tantùm, quatenus eas inhabitant.*

XI. *Non tamen propterea habent jus aſyli.*

XII. *Utrùm ergo ædes Legatorum vi intrari, & delinquentes, qui eò confugerunt, extrahi poſſint?*

XIII. *Jus Gentium Legatos ſecuros reddit etiam à vi, qua aliàs juſta foret.*

XIV. *Quomodo immunitas Legatorum differat ab eâ, quâ gaudent Tympanotribæ, & Buccinatores?*

XV. *Qui Legatum etiam ab hoſte miſſum, & admiſſum lædit, Jus Gentium violat.*

XVI. *Utrùm Jus Gentium de non violandis Legatis etiam illos obliget, per quorum fines tranſeunt?*

XVII. *Quando immunitas Legatorum ceſſet?*

XVIII. *Utrùm etiam ceſſet, ſi Legatus in loco Legationis delictum committat?*

I.

Legatos ſanctos, & inviolabiles eſſe, ex monumentis omnium ſæculorum conſtat. Ex quonam autem jure hæc Legatorum ſanctimonia deſcendat, non æquè expeditum eſt. Puffendorf. *Lib. 2. Cap. 3.* §. *23.* eam ex ipſo jure Naturæ arceſſendam eſſe exiſtimat, eò quòd Legati perſonæ ſint neceſſariæ ad pacem conciliandam, ſervandam, aut arctiùs per fœdera, & pacta adſtringendam, quam ipſum jus naturæ modis omnibus honeſtis amplecti jubet: Ergo, inquit, idem jus caviſſe quoque cenſetur ſecuritati perſonarum, ſine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit. At malè; nam primò Legati non pacis tantùm pangendæ, conſervandæ, aut arctiùs adſtringendæ, ſed aliorum etiam negotiorum peragendorum gratiâ ablegari ſolent: Ergo non omnium Legatorum inviolabilitas ex Jure Naturæ deduci poteſt. Deinde Legati non ſunt medium ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium ad conciliandam, multò minùs ad conſervandam, aut arctiùs adſtringendam pacem; cùm hæc & ſine interventu Legatorum abſolutè coaleſcere poſſet, ſi mediante Rege, vel populo bello non implicito ab utraque parte bellantium res literis ageretur, tametſi ſine dubio per Legatos negotium pacis longè commodius tractetur. Multò magis pax, & amicitia ſine Legatis conſervari, aut per pacta, & fœdera arctiùs adſtringi poteſt.

II. Nos

II.

Nos igitur inviolabilitatem Legatorum Juri Gentium univerſali in acceptis referendam eſſe arbitramur, quod manifeſtò probant teſtimonia peritorum. *Si quis Legatum hoſtium pulſâſſet*, inquit Pomponius in *L. ult. ff. de Legation. contra Jus Gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur; quia ſancti habentur Legati.* Apud Liv. *Lib. 1. Cap. 14.* Laurentes propter Legatos ſuos à propinquis Regis Tatii pulſatos, *Jure Gentium* egiſſe dicuntur. De Legatis Tarquinii, qui Romæ proditionem concitaverant, idem *Lib. 2. Cap. 4.* ait: *quamquam viſi ſunt commiſiſſe, ut hoſtium loco eſſent, jus tamen Gentium valuit. Lib. 4. Cap. 32.* Mamercus in concione hoſtibus ſcelus imputat Legatorum *contra Jus Gentium* interfectorum. *Lib. 5. Cap. 4. ad fin.* cædes Legatorum impium facinus eſſe dicitur *contra Jus Gentium* admiſſum. *Lib. 8. Cap. 5.* Legatum *Jure Gentium* tutum eſſe, & quæ ſimilia paſſim apud ſcriptores occurrunt, ex quibus apparet, inviolabilitatem, & ſanctimoniam Legatorum non niſi Juri Gentium adſcribi.

III.

Subjectum immunitatis, & inviolabilitatis ſunt primò perſonæ Legatorum, ſive ſint primi, ſive ſecundi ordinis, ſive ordinarii, ſive extraordinarii, adeò, ut nequidem jure Talionis ab eo, ad quem miſſi ſunt, offendi poſſint, tametſi mittens Legatos ejusdem contra Jus Gentium antea violâſſet; nam primò Jus Gentium non tantùm mittentis cavet dignitati, ſed & ejus, qui mittitur, ſecuritati. Deinde, qui Legatum admittit, hoc ipſo, quòd admittat, eidem ſecuritatem polliceri cenſetur: Ergo licèt mittenti nulla fiat injuria, cùm is prior jura Legationis violaverit, fit tamen injuria Legato. Denique æquitas non patitur, ut innocens propter delictum alterius puniatur. Sic licèt à Carthaginenſibus in Legatis Romanorum Jus Gentium violatum eſſet, Scipio tamen, *ſe nihil nec inſtitutis populi Romani, nec ſuis moribus indignum in Legatis Carthaginenſium facturum eſſe* dixit, & Legatis dimiſſis bellum paravit. Liv. *Lib. 30. Cap. 25.* Grot. *Lib. 2. Cap. 18. §. 7.* Qui autem propter Legatos ſuos malè habitos mittentis Legato audientiam tantùm

tùm denegat, vel aulam interdicit, nihil facit contra Jus Gentium, cùm talia perſonam Legati non lædant, ſed ſolùm tangant mittentem.

IV.

Secundò huc pertinent Comites Legatorum; nam & hi Jure Gentium ſancti, & inviolabiles ſunt, quoniam ſine illis legatio ex dignitate mittentis obiri haud poteſt, & ideò in *L. 7. verſ. item ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* hâc Lege teneri dicitur non modò, qui legatos, ſed & qui comites eorum injuriâ affecerit. Quamvìs igitur aliquis ex comitibus legati gravius aliquod delictum commiſerit, ab eo tamen, ad quem miſſus eſt legatus, niſi ab hoc eidem fuerit deditus, puniri haud poteſt. Unde haud dubiè infamis ille Regis Parricida Cromwellus Jus Gentium violavit, dum Fratrem Legati Portugenſis propter commiſſum homicidium Securi carnificis percuſſit. Wicquefort. *Lib. 1. Sect. 28. verſ. c' eſt pourquoy &c. pag. 419. & ſeqq.*

V.

Quòdſi legatus delinquentem dedere nolit, refert, utrùm ipſe eundem punire & poſſit, & velit, vel non poſſit, aut poſſit quidem, ſed non velit. Illo caſu ad reum dedendum obſtrictus haud eſt. Hoc autem caſu querela ad mittentem deferenda erit, cum poſtulato, ut eum vel puniat, vel dedat; neutrum ſi faciat, alieni delicti ſe participem reddit. Vid. Grot. *Lib. 2. Cap. 21.* §. 4. Unde

VI.

Quæri poteſt, utrùm legati in ſuos comites jurisdictionem habeant, ita ut eos, ſi delinquant, punire poſſint? Puto delicta leviora, quæ pœnam duntaxat leviorem merentur, ſeparanda eſſe à gravioribus, quæ pœnam merentur capitalem. Leviora comitum delicta legati haud dubiè coërcere poſſunt; quia hoc ad finem legationis obtinendum omnino neceſſarium eſt, conceſſo autem fine

etiam

etiam ea conceſſa eſſe intelliguntur, ſine quibus finis obtineri non poteſt. Pœnam autem capitalem propter graviora delicta legatus de ſuis comitibus ſumere nequit, niſi à mittente hoc ipſi expreſſè fuerit conceſſum; quia tanta poteſtas non videtur ad munus legationis ritè obeundum eſſe neceſſaria, cùm reos vel domum remittere, vel dedere poſſit: imò licèt legato jus vitæ, & necis in ſuos domeſticos ſit conceſſum, ſententiam tamen capitalem non aliter executioni mandare poteſt, quàm ſi is, apud quem agit, hoc permittat. Confer. Ziegler. *de Jurib. Majeſt. Lib. 1. Cap. 32.* §. *ult.*

VII.

Tertiò huc pertinent bona mobilia, quæ legatus in loco legationis habet, utpote quæ propter contractum æs alienum nec in ſolutum, nec pignoris cauſâ capi poſſunt: Et quidem abs judicibus ordinariis id fieri non poſſe, ſàtis certum eſſe arbitror, cùm legatus unà cum rebus ſuis, quas ſecum habet, ab eorum jurisdictione omnino exemptus ſit. Nec refragatur Jus Romanum, quod legatum ſubjicit judicio loci, ubi tempore legationis contraxit; quia non ad legatos Regum, ac liberarum Gentium, ſed ad legatos tantùm provinciales, & Municipales pertinet. Major difficultas eſſe videtur, utrùm non ſaltem manu Regiâ capi poſſint? Sed & hoc negandum eſſe exiſtimo, cùm omnis coactio à legato abeſſe debeat, tam quæ res ei neceſſarias, quàm quæ perſonam tangit, ut plena ei conſtet ſecuritas. Certè legati Jure Gentium hac in parte perinde habentur, ac ſi non exiſterent in territorio ejus in cujus aula morantur: Ergo idem dicendum erit de rebus eorum mobilibus, quas ſecum habent, tanquam perſonæ acceſſionibus. Deinde ideo Gentibus placuit, ut vaſa, aliæque res mobiles legatorum ſanctæ eſſent; quia legatus munus legationis ſuæ absque ejusmodi rebus ex dignitate mittentis, cujus perſonam refert, obire haud poteſt: Ergo creduntur voluiſſe, ut ob æs alienum nequidem manu regiâ capi poſſint. Si igitur legatus in loco legationis ſuæ debita contraxerit, ipſe amicè imprimis compellandus erit, &, ſi ſolvere detrectet, is, qui miſit, ac ſi hic juſtitiam deneget,

ad poſtremum repreſſaliæ adhiberi poſſunt. Neque metuendum eſt, quòd hâc ratione nemo voliturus ſit cum legatis contrahere; nam nec Reges vi Imperii ad ſolvendum cogi poſſunt, & tamen inveniuntur, qui cum Regibus contrahunt. Grot. *Lib. 2. Cap. 18. §. 9. & 10.*

VIII.

Bona autem immobilia, quæ legatus fortè in territorio ejus, ad quem miſſus eſt, ſita habet, nullâ ex Jure Gentium fruuntur immunitate; quia ratio, ob quam conſenſu Gentium rebus mobilibus, quas Legatus in loco legationis habet, tributa eſt immunitas, in rebus immobilibus ceſſat, utpote quæ ne minimam quidem cum legationis munere connexionem habent; tametſi enim immunia, & ſancta non ſint, ſed jurisdictioni, & legibus loci ſubjecta, legatus tamen ex dignitate mittentis legationis munere fungi poteſt. Cùm igitur nulla prorſus fuerit neceſſitas, ut à Gentibus bonis etiam legatorum immobilibus indulgeretur immunitas, ideo nec indulta eſt; quia Juris Gentium non ſunt, niſi ea, quæ quædam extorſit neceſſitas.

IX.

Quartò huc etiam pertinent ædes legatorum, utpote quibus tanta debetur veneratio, quanta deberetur, ſi ipſi ſummi Imperantes, à quibus miſſi ſunt legati, easdem inhabitarent. Ratio eſt; quia legatus refert perſonam mittentis, & ideo non tantùm mittentium inſignia portis ædium præfigere, ſed ad deſignandam eorum præſentiam ubique propemodùm une chaiſe d' état habere ſolent. In protectione igitur Juris Gentium etiam ædes ſunt legatorum; velut conſtat ex edicto Statuum Hollandiæ, & Friſiæ occidentalis, cujus verba, cùm præſentem immunitatis materiam optimè declarent, referre non piget, quæ ita ſonant: *Que perſonne, de quelque Nation, eſtat, qualité, ou condition, qu' elle puiſſe eſtre, n' offenſe, endommage, injurie de parole, de fait, ou de mine, les Ambaſſadeurs, Reſidents, Agents, ou autres Miniſtres des Roys Princes, Republi-*

publiques, ou autres, ayant la qualité de Miniſtres publics, ou leur faſſe injure, ou inſulte, directement, ou indirectement, en quelque façon, ou maniere, que ce puiſſe eſtre, en leurs perſonnes, Gentilshommes de leur ſuite, valets, Maiſons, Caroſſes, & autres choſes, qui leur puiſſent appartenir, ou dépendre d' eux, à peine d' encourir nôtre derniere indignation, & d' eſtre punis corporellement, comme violateurs du Droit de Gens, & perturbateurs du repos public &c. Wicquefort. *Lib. 1. Sect. 27. pag. 384.*

X.

Non poteſt autem hæc ædium immunitas ulteriùs extendi, quàm quatenus legatus inhabitat, ac proinde ſi is partem duntaxat domûs, aliam autem partem ſubditus illius, ad quem legatus miſſus eſt, inhabitaret, Jus Gentium non violari credo, tametſi ſubditus, ex eâ domûs parte, quam ipſe inhabitat, auctoritate Judicis per apparitores citaretur; nam ædes legatorum non niſi propter eorum perſonas immunitate fruuntur: Ergo eatenus tantùm gaudent, quatenus inhabitant. Accedit, quòd hoc caſu una domus quaſi pro duabus habeatur. Exemplum affert Wicquefort. *Sect. 28. §. 416.*

XI.

Cœterùm quamvìs ædes legatorum inviolabiles ſint, non tamen propterea ex jure Gentium jus aſyli habent nam primò, ſi omnia ejus juris capita percurramus, deprehendemus, quòd ea quædam extorſerit neceſſitas, non quidem intrinſeca, & naturalis, ſed extrinſeca, & quaſi civilis. Nulla autem neceſſitas exigit, ut ædes legatorum jus aſyli habeant; quia munus legationis nihilominus ex dignitate mittentium obire poſſunt: Ergo &c. Deinde cujusvis Reipublicæ intereſt, ut, qui eandem criminibus ſuis turbant, condignâ afficiantur pœnâ, ut alii exemplo hoc abſterreantur, & ita pax, tranquillitas, ac ſecuritas publica conſervetur. Si autem domus legatorum quibusvis ſceleratis eò confugientibus aſylum præberent, multa, & gravia crimina cum maximo Reipublicæ præjudicio

judicio manerent impunita. Quare cùm ad conſervandam, & promovendam convenientem ſocietatem, & communicationem Gentium inter ſe neutiquam neceſſarium ſit, ut ædes legatorum jus aſyli habeant, credibile non eſt, quòd Gentes cum tanto ſalutis, ſecuritatis, ac tranquillitatis publicæ incommodo in illud conſenſerint. Grot. *ſæpè cit. Cap. 18. §. 8. num. 2. & ibi* Vitriar. *Quæſt. 18.* Wicquefort. *cit. Sect. 28.*

XII.

Non tamen ex hoc continuò inferri poteſt ædes legatorum intrari, & delinquentes, qui eò confugerunt, vi extrahi poſſe; ſed intereſſe arbitror, utrùm legatus paratus ſit, reum exhibere, vel non. Illo caſu domus ejus intrari, & delinquens citra violationem Juris Gentium ex eâ extrahi non poteſt. Hoc autem caſu ex mandato ſummi Imperantis etiam vi adhibitâ, ſi opus ſit, inde abripi poteſt, modò nec legato, nec ejus domeſticis, niſi aliud fortè exigat defenſionis neceſſitas, ulla inferatur violentia; habent enim ſummi Imperantes jus puniendi omnes in ſuo territorio delinquentes, niſi illi ſpeciali jure ſint exempti. At, qui poſt commiſſum crimen ad ædes legatorum confugiunt, nec ratione perſonæ ſuæ, ut ſuppono, nec ratione loci ſunt exempti, cùm ædes legatorum Jure Gentium aſyli jure haud gaudeant: Ergo habent jus illos puniendi, ac per conſequens in uſu, & exercitio hujus ſui juris à legatis impediri haud poſſunt, vel ſi impediantur, uti fit, ſi reos exhibere nolint, illud vi etiam adhibitâ, ſi neceſſe ſit, defendere queunt. Sic cùm Franciſci I. ad Venetos legato quidam ab eo corrupti omnia prodidiſſent arcana, & re detectâ ad ædes ejusdem confugiſſent, Senatus quosdam miſit, qui legatum rogarent, ut proditores hóſce extraderet: cùm autem, qui miſſi fuerant, non tantùm à Domeſticis legati aditu prohiberentur, verùm etiam vis illis inferretur, Senatus duo tormenta minora navi advehi curavit. Wicquefort. *dict. Sect. 28. in princ.*

XIII.

Objectum immunitatis eſt extera jurisdictio, & vis; nam imprimis Jus Gentium Legatos, & eorum comites unà cum bonis mobilibus, quæ ſecum habent, ſimpliciter, & abſolutè eximit à jurisdictione ejus, ad quem miſſi ſunt, deinde adverſùs omnem vim non tantùm injuſtam, ſed & quæ aliàs ex ſe juſta foret, eos ſecuros, & tutos reddit. Ratio eſt; quia Legati referunt perſonam mittentis, qui, licèt in alieno territorio exiſtat, ejus tamen loci jurisdictioni haud ſubjicitur; cùm non deſinat propterea eſſe ſummus Imperans; ſi autem talis manet, non poteſt alterius jurisdictioni ſubjectus eſſe; quia implicat eſſe ſubditum, & tamen retinere ſummum Imperium, ac proinde nec ejus Legatus jurisdictioni loci ſubjicitur, cui porrò conſequens eſt, eundem non tantùm contra vim injuſtam, ſed &, quæ aliàs ex ſe juſta foret, ſecurum, & tutum eſſe; aliàs ſanè Legati munere legationis ad utilitatem mittentis ſæpè fungi haud poſſent; cùm facilè foret, actionibus eorum ſpeciem delicti affingere, & ita vim, quæ ipſis infertur, hoc prætextu excuſare. Adde Grot. *ſæpè cit. Cap. 18. §. 4. num. 4.* & Caſs. *de Jur. & Jud. Legat. Sect. poſter. num. 5. & pluribus ſeqq.*

XIV.

Forma immunitatis, quæ competit Legatis, conſiſtit in differentiâ ſpecificâ, quâ diſtinguitur ab eâ, quâ gaudent Tympanotribæ, & Buccinatores, qui & ipſi Jure Gentium ſancti, & inviolabiles ſunt, ſi ab hoſte mittantur ad hoſtem, velut pluribus exemplis firmat. Wicquefort. *Lib. 1. Sect. 3. verſ. Les Generaux &c. pag. 36. & ſeqq.* Quæ differentia ſita eſt in hoc, quòd immunitas Legatorum fundetur in eo, quòd referant perſonam mittentis, cujus Majeſtatem ſibi quodammodo communicatam habent, id, quod de Buccinatoribus, & Tympanotribis dici nequit. Deinde immunitas Legatorum multò amplior eſt, quàm ejusmodi

hominum, qui non officio Procuratorum funguntur, ſed nudi Nuntii ſunt.

XV.

Effectus hujus immunitatis conſiſtit in obligatione non lædendi Legatos, adeò, ut qui eos læſerit, Jus Gentium violáſſe, dicatur. Et hoc procedit non tantùm, ſi Legatus ab amico, verùm etiam ſi ab hoſte ſit miſſus, & admiſſus: qui enim Legatum ab hoſte miſſum admittit, hoc ipſo eidem ſecuritatem promittere cenſetur. Unde Cicero Verrin. 3. Juris Legatorum tam ſanctum, & venerabile nomen eſſe dixit, ut non modò inter ſociorum jura, ſed & hoſtium tela incolume ſervetur. Quod præprimis locum habet, ſi Legatus ab hoſte ſit miſſus ad proponendas pacis conditiones; ſemper enim bellantes ad pacem propenſi eſſe debent, quæ ſine interventu Legatorum commodè iniri haud poteſt. Grot. *ubi ſuprà* §. 6.

XVI.

Utrùm autem Jus Gentium de non violandis Legatis etiam obliget illos, per quorum fines tranſeunt? non ſatis expeditum eſt. Puto intereſſe, utrùm petierint, & impetraverint veniam tranſeundi, vel non. Illo caſu eos non minùs, quàm ad quos miſſi ſunt Legati, de iis non lædendis obligatos eſſe arbitror; quia eadem videtur eſſe ratio; ideo enim is, qui Legatum ad ſe miſſum admittit, eidem plenam ſecuritatem præſtare tenetur; quia in Legato agnoſcit perſonam, & Majeſtatem mittentis, & admittendo eidem ſecuritatem polliceri cenſetur: atqui etiam is, qui legato, quem talem eſſe ſcit, tranſitum per fines ſuos concedit, in eo perſonam, & Majeſtatem mittentis agnoſcit, & concedendo veniam tranſeundi eidem ſecuritatem promittere cenſetur: Ergo &c. Hoc autem caſu porro referre exiſtimo, utrùm is, per cujus fines non acceptâ veniâ tranſit Legatus, juſtam habeat cauſam denegandi tranſitum, vel non. Si juſtam cauſam habeat, veluti ſi ab hoſte

ad

ad hoſtem fuerit miſſus, vel ſaltem aliàs prudenter præſumi poſſit, legationem in damnum, & injuriam ejusdem tendere, Legatus præſidium Juris Gentium non habet. Sic Q. Fulvius Flaccus claſſis Romanæ Præfectus Legatos Regis Philippi ad Annibalem, & ab hoc ad illum miſſos captivos retinuit. Liv. *Lib. 23. Cap. 34.* Grot. §. *5. num. 1.* Si vero nullam juſtam cauſam habeat denegandi tranſitum, veluti ſi Legatus ab amico ad amicum ejus, per cujus fines tranſit, ſit miſſus, res admodum dubia eſt. Plerique quidem cum Grotio *dict.* §. *num. 2.* putant, hoc caſu, ſi malè tractetur Legatus, ſolam amicitiam, & dignitatem mittentis, aut ejus, ad quem miſſus eſt, violari. At cùm Jus Gentium permittat, ut Gentes inter ſe per Legatos communicare poſſint, id autem ſæpè non aliter fieri queat, quàm ſi illi per aliorum fines tranſeant, cenſentur Gentes etiam voluiſſe, ut, niſi juſta ſubſit prohibendi cauſa, tranſire poſſint, & publicâ ſecuritate non minùs gaudeant, quàm apud eum, ad quem miſſi ſunt; aliàs enim libertas illa invicem communicandi facilè impediri poſſet, ac proinde ſi Legatus ab eo, qui utriusque partis amicus eſt, intra fines ſuos malè tractetur, non tantùm amicitia, & dignitas mittentis, tametſi fortè veniam tranſitûs petere neglexerit, ſed & Jus Gentium violatum eſſe videtur; nam ut rectè inquit Wicquefort. *Lib. 1. Sect. 29. pag. 434. in fin. princ.* Il faut diſtinguer entre *le droit de Gens*, & *la foy publique*; parceque ce ſont en effet des choſes fort differentes. Qui Legatum, cui tranſitum conceſſit, violat, non tantùm Jus Gentium, ſed & fidem publicam violat; qui autem Legatum, quem talem eſſe ſcit, ab amico ad amicum miſſum, & non impetratâ veniâ per ſuum territorium tranſeuntem lædit, fidem publicam quidem non violat, Jus tamen Gentium violare videtur.

XVII.

Contraria ſunt modi, quibus immunitas Legatorum ceſſat. Ceſſat autem I. ſi Legatus contra expreſſum interdictum ejus, ad

quem miſſus eſt, venerit; ſæpè enim denuntiari ſolet, ne mittantur Legati, alioqui eos pro hoſtibus fore, ut Ætolis à Romanis denuntiatum eſt. Liv. *Lib. 37. Cap. 49.* & Romanis à Samnitibus, ſi quod adiiſſent in Samnio concilium, eos haud inviolatos abituros eſſe. Idem *Lib. 10. Cap. 12.* Modò ex juſta cauſa fuerit negata admiſſio; aliàs enim Legatum ſecuritate publicâ gaudere arbitror, tametſi is contra interdictum venerit, cùm ei, ad quem legatio tendit, liberum non ſit, utrùm is Legatum admittere velit, vel non, ſed ſi cauſa rejiciendi non ſit, eum admittere teneatur. Schönborner. *Lib. 3. Polit. Cap. 27. verſ. Quid de iis, quibus interdictum &c.*

XVIII.

Ceſſat II. Si Legatus in loco Legationis delictum committat; ubi tamen intereſt, utrùm illud leve tantùm ſit, vel atrox. Si leve, diſſimulandum eſt; nam etſi ab eo, qui Legatum miſit, tale delictum in alieno territorio fuiſſet admiſſum, illud ex Legibus amicitiæ diſſimularetur. Si atrox; porro refert, utrùm directè tendat adverſùs Statum publicum, aut vitam, & dignitatem ſummi Imperantis, vel non. Hoc caſu Legatus ad eum, qui miſit, remittendus eſt, cum poſtulato, ut eum vel puniat, vel dedat; quamvìs enim nonnulli exiſtiment, Legatum propter ejusmodi delictum ab eo, ad quem miſſus eſt, puniri poſſe, huic tamen ſententiæ accedere haud poſſum; nam, ut ſæpè dictum, Legatus apud eum, ad quem miſſus eſt, perſonam mittentis refert, ac per conſequens tam parùm in loco legationis puniri poteſt, quàm parùm ipſe mittens puniri poſſet, ſi in alterius territorio ejusmodi delictum admiſiſſet, qui ſanè jurisdictioni, & animadverſioni alterius non ſubjicitur, cùm delinquendo Majeſtatem non amittat. Unde hoc caſu Legatum nequidem apprehendi, & in vincula duci poſſe arbitror; quia perinde habetur, acſi in territorio non exiſteret. Illo autem caſu tametſi Legatus ob allegatam rationem non magìs puniri queat, quàm poſteriori, multi tamen cenſent, eum ut hoſtem tractari, & interfici poſſe, modò crimen ſit manifeſtum; hoſtis enim eſt, qui adverſùs Statum publi-

cum, aut vitam, & dignitatem ſummi Imperantis aliquid attentat; hoſtem autem interficere Jure Gentium permiſſum eſt. Ex adverſo alii non plus conceſſum eſſe arbitrantur, quòd exigat defenſionis neceſſitas, adeò, ut ſi imminenti periculo aliter obviam iri nequeat, quàm ſi arreſto detineatur, & interrogetur Legatus, is quidem domi ſuæ detineri, & ab eo, ad quem miſſus eſt, vel ejus nomine à Conſilio Statûs, non autem à judicibus ordinariis interrogari poſſit, remittendus poſtea ad mittentem cum poſtulato, ut illum vel puniat, vel dedat; quanquam ſummi Imperantes jam ultra ſæculum adverſùs ejusmodi proditores tanto rigore non ſint uſi, ſed contenti fuerint, ut juberent, talem Legatum finibus excedere, aut, quod humanius eſt, mittentem rogarent, ut eundem revocare velit. Planè in eo omnes conſentiunt, quòd Legatus interfici poſſit, ſi ipſe vim armatam intentet, uti Fabii fecerunt. Liv. *Lib. 5. Cap. 36.* Conferri hac ſuper re poſſunt Grot. *ſæpè cit. Cap. 18.* §. *4.* Wicquefort. *Sect. 29. verſ. Il ſemble &c. pag. 432.* Vitriar. *Quæſt. 11. & 12.* Thomaſ. Jurisprud. Divin. *Lib. 3. Cap. 9. num. 50. & mult. ſeqq.*

PARS QUINTA.
DE SUBDITIS.

JUs publicum Univerſale, ut initio ſtatim diximus, non tantùm Imperantes dirigit in ordine ad ſubditos, & exteros; ſed etiam ſubditos in ordine ad Imperantes. De ſummis Imperantibus, & eorum juribus tum reſpectu ſubditorum, tum exterorum hactenus diſſeruimus. Exigit ergo lex methodi, ut jam de ſubditorum juribus, & obligationibus agamus, Sit igitur

CAPUT I.
De Subditorum Juribus.

§. I.
De vario Subditorum ſtatu.

SUMMARIA.

I. *Vox ſubditi ſumitur vel latè, vel ſtrictè.*

II. *Deſcribitur ſubditus.*

III. *Regulariter in numero ſubditorum ſunt omnes, qui in territorio ſummi Imperantis domicilium habent.*

IV. *Qui autem bona tantùm in alieno territorio poſſident, non continentur numero ſubditorum.*

V. *Utrùm etiam Liberi, Parentes, Maritus, vel Uxor ſummi Imperantis in claſſem ſubditorum referendi ſint?*

VI. *Subditorum alii ſunt immediati, alii verò mediati.*

VII. *Item alii in ſolâ parendi conditione conſtituti; alii verò in partem*

tem adminiſtrationis Reipublicæ aſſumpti, aut omnino ipſius ſummi Imperii participes, aut ſaltem certa jura libertatis naturalis ſibi reſervârunt.

VIII. *Alii porro nobiles, alii ignobiles; non tenentur autem exteri prærogativam nobilitatis ex neceſſitate juris agnoſcere.*

IX. *Subditi aut naſcuntur, aut poſtea fiunt.*

X. *Adducitur forma ſubditorum.*

XI. *Item effectus, qui ſtat in obligationibus.*

XII. *Deſinit primò quis eſſe ſubditus, ſi domicilium in territorium alienæ Reipublicæ transferat, quod liberum eſt.*

XIII. *Poteſt tamen hoc Lege publicâ prohiberi.*

XIV. *Non aliter ſubditi habent libertatem, ſine impetratâ veniâ emigrandi, quàm ſi non peculiari vinculo ſint obſtricti.*

XV. *Aut niſi diſceſſus vergat in præjudicium Reipublicæ.*

XVI. *Utrùm gregatim etiam diſcedere liceat?*

XVII. *Secundò deſinit quis eſſe ſubditus, ſi propter delictum alteri ſit deditus, & ab eo receptus; ſi autem receptus non ſit, probabilius civis manet.*

XVIII. *Tertiò deſinit quis eſſe ſubditus, ſi ex civitate ejiciatur.*

XIX. *Recenſentur reliqui modi, quibus aliquis ſubditus eſſe deſinit.*

I.

VOx ſubditi ſumitur vel latè, vel ſtrictè. Latè ſumpta complectitur omnes, qui in territorio ſummi Imperantis commorantur, ſive ibi domicilium habeant, ſive non, ac proinde etiam peregrini, & advenæ, quamdiu in alieno territorio exiſtunt, hoc ſenſu ſubditorum numero continentur; cùm ſummi Imperantes eos non aliter cenſeantur velle admittere, quàm hac Lege, ſi interim ſe ejus poteſtati ſubjiciant. Excipiuntur Legati ab exteris miſſi, qui non fiunt ſubditi temporanei ejus, ad quem miſſi ſunt; nam Legatus refert perſonam mittentis, qui licèt in alieno territorio exiſtat, ſubditus tamen non fit, cùm ubicunque demum exiſtat, ſummam in ſuos retineat poteſtatem. Strictè accepta eos tantum comprehendit, qui in territorio domicilium habent, in qua acceptione

II. Sub-

II.

Subditus ad noſtrum propoſitum deſcribi poteſt, quòd ſit perſona ſummæ poteſtati civili ad fidem, obſequium, & reverentiam obſtricta. Si verò deſcriptionem ſubditi in genere deſideres, locò *ſummæ poteſtati civili* poni debet, *poteſtati publicæ*; licèt enim etiam ſervi Dominis, & Liberi parentibus ad fidem obſequium, & reverentiam obſtricti ſint; quia tamen poteſtas Dominica, & patria poteſtates publicæ haud ſunt, ſed tantùm privatæ, ideo Dominorum, & parentum propriè, & ſtrictè loquendo ſubditi dici nequeunt.

III.

Debent autem ſummo Imperanti fidem, obſequium, & reverentiam omnes, qui in ejus territorio domicilium habent, niſi ſpeciali jure ſint excepti, veluti ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ licèt pars ſint, & quidem nobilior Reìpublicæ politicæ, poteſtati tamen civili ſubjectæ haud ſunt *Cap. 10. X. de conſtit.* Non tamen præciſè neceſſe eſt, ut aliquis in territorio ſummi Imperantis habeat conſtitutum domicilium habitationis, ſed ſufficit quandoque domicilium originis, quippe quod eò usque retinetur, donec in alio territorio conſtitutum fuerit domicilium habitationis. Unde Filius, qui relictis Laribus paternis exteras viſitat Regiones, ſubditus eſſe non deſinit ejus, qui in loco originis ſummum habet Imperium. Mev. *Part. 3. Deciſ. 71.* & *Part. 5. Deciſ. 161.*

IV.

Qui igitur bona tantùm in alieno territorio poſſident, ſubditorum numero haud continentur; quamvìs enim bona ejus territorii Imperio ſubjecta ſint, perſonæ tamen ſubjectæ non ſunt, licèt fortè bona illa à Domino territorii in feudum recognoſcerentur; cùm Vaſallus Domino directo ad fidelitatem quidem, & reverentiam, non autem extra cauſas feudales ad obſequium ſit obſtrictus, niſi non tantùm juramentum fidelitatis, ſed & ſubjectionis eidem præſtitiſſet, quo caſu is ſubditorum numero omninò accenſeri debet.

V. Quæri

V.

Quæri ſolet; utrùm etiam Liberi, Parentes, Maritus, vel Uxor ſummi Imperantis ad claſſem ſubditorum referendi ſint? Affirmativa mihi veriſſima eſſe videtur, cùm in civitate, per ſe loquendo, exceptis perſonis Eccleſiaſticis, inter Imperantes, & ſubditos medium non detur: atqui Liberi, parentes, conjux Regis, vel Reginæ non ſunt Imperantes: ergo referri debent ad ſubditos. Certè poteſtas patria, vel Maritalis ſuâpte naturâ non excludit Regiam: ergo licèt Liberi ſubſint poteſtati patriæ, & uxor poteſtati Maritali, ex eo tamen inferri haud poteſt, quòd non etiam ſubſint Patris, vel Mariti poteſtati Regiæ. Sed nec repugnat, ùt alibi jam diximus, Reginam ſubeſſe Marito quoad regimen familiæ, educationem liberorum, & alia officia matrimonii; præeſſe verò quoad Gubernationem politicam Reipublicæ. Porrò filius, ſi Rex ſit, non cenſetur ampliùs eſſe pars familiæ paternæ, & licèt quà filius, ac perſona privata parentibus pietatem, & obſervantiam debeat, non debet tamen quà Rex, & perſona publica. De Fabio maximo Plutarchus *in Apophtegm. Roman.* refert, quòd ſenectute ingraveſcente filium conſulem, cùm is in magna hominum frequentia publico fungeretur officio, conſcenſo equo adiverit; cùm autem filius miſſo lictore eum ex equo deſcendere juſſiſſet, reliquis pudore affectis, deſiluit ex equo, & contentiore, quàm ætas ferret, impetu accurrit ad filium, eúmque amplexus, *rectè*, inquit, *ſapis*, *ſentiens, quibus præſis*, *& quantam imperii Majeſtatem adeptus ſis.* Deinde quis neſcit, Annam Reginam Angliæ quà Reginam Marito tanquam ſubdito imperâſſe. Quis tam peregrinus in hiſtoriis, ut ignoret, Reges quandoque de Liberis, & Uxoribus pœnas ſumpſiſſe? Planè quin conjux conjugem, aut etiam parentes Regio eximere poſſit imperio, dubitandum haud eſt; at illi per ſe exempti haud ſunt, & ideo nec Rex, aut Regina eos, niſi de hoc aliunde conſtet, eximere voluiſſe præſumi poſſunt. Atque huic ſententiæ etiam ſubſcribit Bœhmer *lib. 3. cap. 1. §. 22.*

VI.

Sunt autem ſubditorum alii immediati; alii verò mediati. Immediati dicuntur, qui ſummo Imperanti immediatè ſub-

jecti ſunt; mediati autem, qui immediatè alteri ſubſunt, & eo medio demum ſummo Imperanti ſunt ſubjecti. Sic in Imperio noſtro Romano-Germanico Status Cæſari immediatè, ſubditi verò Statuum eidem mediatè ſunt ſubjecti; nec enim tolerari poteſt illa quorundam Proteſtantium doctrina, quòd Status non ſint veri Imperatoris ſubditi, ſed fœdere duntaxat inæquali eidem connexi, cujus contrarium manifeſtò evincunt tum Conſtitutiones Imperii, tum juramentum non tantùm fidelitatis, ſed & ſubjectionis, quod Cæſari præſtant. Unde miror, quâ fronte viri cæterà docti talia in publicum effutire ſint auſi; ajunt quidem, eos ignorantiam profiteri, qui ex formula juramenti ſubjectionem Statuum concludere velint; at veriùs illi, ſi non ignorantiam, ſaltem malevolum ſuum in Auguſtiſſimum Imperii Caput affectum profitentur; dandum eſt Cæſari, quod Cæſaris eſt, & Statibus, quod Statuum eſt, injurioſus eſt non modò in Cæſarem, ſed & in totum Romanum Imperium, quisquis juribus Imperatoris detrahit, ut Status quà tales ad ſupremum, & Regium evehat faſtigium; cùm hoc non niſi ad diſſolvendum nexum inter Caput, & Membra, & turbandam pacem, ac publicam Imperii tranquillitatem ſervire poſſit. Relinquatur Statibus illæſa in perſonas, & res ſui territorii poteſtas, ſeu ſuperioritas territorialis; at contrà relinquatur etiam Cæſari illæſum, quod obtinet in Status, & eorum ſubditos, ſummum Imperium. Cæſari detrahere, & Statibus adjicere vel Statibus detrahere & Cæſari adjicere, utrúmque peccatum eſt.

VII.

Deinde ſubditorum quidam in ſolâ parendi conditione poſiti ſunt, ita ut præter obſequii gloriam nihil ipſis relictum ſit; alii verò ab eo, qui ſummam in civitate poteſtatem habet, in partem adminiſtrationis Reipublicæ aſſumpti, qui inferiorum quidem habitâ ratione perſonæ publicæ ſunt, reſpectu autem ſummi Imperantis privati, & ſubditi; alii porro ipſius ſummi Imperii ſunt participes, ut in ſtatu Ariſtocratico Optimates, & in Democratico omnes, qui jus ſuffragii habent, qui tamen ſi conſiderentur ut ſinguli, ex numero ſubditorum ſunt; denique alii vel ab initio conſtitutæ civitatis, vel poſtea certa jura libertatis naturalis ſibi reſervârunt,

runt, ut accidit in Regnis limitatis, qui licêt majori fruantur libertate, quàm alii, non tamen propterea ex claſſe ſubditorum ſe eximere poſſunt. Unde patet, varios dari gradus ſubditorum, nec ex eo, quòd aliqui ad infimam, vel ei proximam claſſem referri nequeant, ſtatim inferri poſſe, eos ſubditos non eſſe.

VIII.

Porro ſubditorum alii ſunt Nobiles, alii Ignobiles; quamvìs enim naturâ omnes homines æquales ſint, ſummi tamen Imperantes quibusdam ſpecialem, etiam ad poſteros tranſitorium valorem imponere poſſunt, vi cujus cœteris præferantur, quam prærogativam omnes quidem ejusdem Reipublicæ ſubditi, non autem etiam exteri agnoſcere tenentur, utpote quibus extra territorium imponentium exiſtentibus tam parùm imperari poteſt, ut valorem perſonæ impoſitum agnoſcant, quàm parùm ipſi juberi poſſunt, ut agnoſcant valorem nummo impoſitum. Quòd ſi ergo is, cui ſummus Imperans prærogativam nobilitatis tribuit, etiam in alieno territorio pro nobili habeatur, id benevolentiæ tantùm, non verò neceſſitati juris erit adſcribendum. Bœhmer *Part. ſpecial. lib. 3. cap. 1. §. 35. & ſeqq.*

IX.

Cœterùm ſubditi aut naſcuntur, aut poſtmodum fiunt. Ex nativitate ſubditi ſunt liberi ex ſubditis nati; qui poſtea ſubditi fiunt, vel in ſervitutem civilem migrant ex ſtatu libertatis naturalis, ut illi, qui primi in civitates coaluerunt, vel ex ſtatu ſubjectionis civilis, & quidem vel volentes, ut nubendo, domicilium conſtituendo, vel inviti, ut qui jure belli, vel alienatione alterius ſubjiciuntur imperio.

X.

Forma ſubditorum vel generalis eſt, vel ſpecialis. Generalis ſtat in differentia ſpecifica, quâ tum à ſubditis temporariis, tum à vaſallis quà talibus diſtinguuntur, quæ ex ſuprà dictis colligitur.

Specialis verò eſt, quâ ſubditi inter ſe ab invicem differunt, quæ ex eorum diverſo ſtatu deſumi debet.

XI.

Effectus conſiſtit in obligationibus ſubditorum, quibus ſummo Imperanti obſtringuntur, de quibus in *ſeqq. cap.* agemus.

XII.

Contraria ſunt modi, quibus aliquis rurſum ſubditus eſſe deſinit. Deſinit autem primò, ſi domicilium ſuum in territorium alienæ Reipublicæ transferat; quivis enim non tantùm cum conſenſu ſummi Imperantis, ſed per ſe loquendo, veniâ etiam non impetratâ, domicilium ſuum mutare, & aliò transferre poteſt, quam libertatem illi, qui in civitatem coaluere, vel eidem poſtea acceſſerunt, in dubio ſibi reſervâſſe intelliguntur; cùm facilè aliquid ſupervenire queat, ut rebus eorum non ampliùs expediat, vetus domicilium porro retinere, in quod civitas, vel is, qui ſummum in civitate imperium habet, etiam conſenſiſſe cenſetur, cùm plerumque nihil ejusdem interſit, etiamſi unus, vel alter diſcedat, quippe quorum diſceſſus ex adverſo aliorum adventu compenſari ſolet. Unde JCtus in *l. 12. §. 9. ff. de captiv. poſtlim reverſ. de ſua civitate cuique conſtituendi liberam facultatem eſſe* dixit.

XIII.

Quin tamen lege publicâ prohiberi poſſit, velut multorum etiam populorum legibus prohibitum eſſe conſtat, ne ſubditi non impetratâ veniâ diſcedant, dubium non eſt; tametſi enim ſint, qui talem legem, eò quòd naturali adverſetur libertati, invalidam eſſe arbitrentur, multùm tamen illi falluntur; cùm libertas mutandi domicilium non ſit juris naturæ præceptivi, ſed tantùm permiſſivi, quod lege humanâ mutari poteſt. Sic & in aliis naturalem ſubditorum libertatem à Legiſlatore humano vel omnino ſublatam, vel ſaltem reſtrictam fuiſſe videmus, prout exigebat neceſſitas, vel ſalus, & incolumitas Reipublicæ.

XIV.

Deinde non aliter ſubditi libertatem habent, non impetratâ veniâ emigrandi, quàm ſi non peculiari inſuper vinculo ſint obſtricti. Sic qui ad officium publicum ab Imperante aſſumpti ſunt, illud invito eo deſerere, & diſcedere haud poſſunt. Sic etiam glebæ adſcripti, & proprii homines tam parùm non impetratâ veniâ diſcedere queunt, quàm parum ſervi jugum ſervile poſſunt excutere.

XV.

Porro libertas emigrandi ex regula naturalis æquitatis ita temperanda eſt, ut ſubditis tum demum diſcedere liceat, ſi diſceſſus non vergat in præjudicium Reipublicæ; ſi enim ſocietatis civilis interſit, ut civis non diſcedat, Imperans diſceſſum prohibere poteſt, ne Reſpublica detrimentum capiat. Sic ſi magnum contractum ſit æs alienum, intereſt Reipublicæ, ut cives non diſcedant, niſi parati ſint, in præſens partem ſuam exſolvere. Sic etiam ſi fiduciâ multitudinis bellum ſit ſuſceptum, intereſt Reipublicæ, præſertim ſi obſidio immineat, ut ſubditi non diſcedant. Grot. *lib. 2. cap. 5. §. 24. num. 2.*

XVI.

Quòdſi non unus aut alter tantùm ſubditorum, ſed plures gregatim, antiquis relictis ſedibus, emigrare velint, etiam hoc naturaliter licitum eſſe exiſtimat Puffendorf. *lib. 8. cap. 11.* §. 4. ſi enim, *inquit*, ſingulis pro arbitrio migrare licet, cur non idem liceat pluribus, quibus ſedem fortunarum eodem tempore transferre commodum eſt? Rectè; at non aliter ſingulis migrare licet, quàm ſi diſceſſus non vergat in præjudicium Reipublicæ: ergo nec pluribus gregatim aliter diſcedere licet, quàm ſi talis diſceſſus ſit innoxius; ſecus rectè prohibetur. Sic cùm poſt Cannenſem cladem Juvenes quidam nobiles Italiam deſerere vellent, à P. Scipione ſtricto ſuper capita conſultantium gladio prohibiti, & poſtea apud Cenſores cauſam dicere juſſi ſunt. Liv. *lib. 22. cap. 53.* & *lib. 24. cap. 18.* Et de tali caſu intelligi poſſe videtur Grot. *cit. loc.* ubi

ait, ex neceſſitate finis, quæ jus facit in moralibus, ſatis expeditum eſſe, quòd gregatim diſcedi nequeat; cùm aliàs, ſi id liceret, civilis ſocietas ſubſiſtere haud poſſet.

XVII.

Secundò aliquis deſinit eſſe ſubditus, ſi propter delictum commiſſum alteri ſummo Imperanti deditus, & ab eo receptus ſit; ſi enim receptus non ſit, probabilius eſt, eum manere ſubditum, & civem. Acriter hac ſuper re olim diſputatum fuit apud Romanos in Hoſtilio Mancino, quem Numantini ſibi deditum non acceperunt. Publius Mutius Scævola negavit, deditum, nec receptum civem manere ſiquidem quem ſemel populus juſſiſſet dedi, perinde ex civitate expuliſſe videretur, ac ſi ei aquâ, & igni interdiceret, ùt patet ex *l. ult. ff. de Legat.* Ex adverſo Brutus, quem ſequitur Cicero in Topicis, contendebat, eundem civem manere, eò quòd neque deditio, neque donatio ſine acceptione intelligi poſſit. Hanc rationem Grot. *lib. 2. cap. 21.* §. *4. num. 7.* quidem improbat, cùm actus donationis perfectionem non habeat, niſi ex duorum conſenſu, dedere autem in propoſito nihil aliud ſit, quàm civem alterius populi poteſtati permittere, ita ut de eo ſtatuat, quod voluerit, ipſam autem ſententiam veriorem eſſe exiſtimat, eò quòd jus civitatis non amittatur ipſo facto, ſed decreto aliquo, aut judicio, niſi lex aliqua factum velit haberi pro re judicata, quod hìc dici non poſſit. Grotio adſtipulantur Vitriar. *ibid. Quæſt. 8.* & Willenberg. *Quæſt. 7.* Item Puffendorf. *lib. 8. cap. 11.* §. *9.* Contrariam verò Publii Mutii Scævolæ ſententiam amplectuntur Ziegler. Van der Muelen. Obrecht ad Grot. *cit. loc.* Item Hennigeſ. ad eundem Grot. *cit. lib. 2. cap. 15.* §. *16.* ad verba: *corpus ad ſervitutem*; quid enim, *inquit* Ziegler. aliàs opus fuiſſet, lege latâ cavere, ut Mancinus civis Romanus haberetur, neque deditio ei fraudi foret? Mediam viam ingreditur Kulpis ad Grot. *dict. cap. 21.* §. *1. Litt. C.* qui voluntatis quæſtionem eſſe ait, utrùm civitas dedendo aliquem ſimpliciter ejicere, vel tantùm alteri exequendi poteſtatem facere voluerit? Illo caſu priorem, hoc verò poſteriorem ſententiam veram eſſe aſſerit. Rectè omnino; at quid in dubio præſumendum? Mihi, ùt dixi, pars mitior, & benignior præferenda eſſe videtur, ut

civi-

civitas non aliter civem ſuum dedendo eundem excludere velle cenſeatur, quàm ſub conditione, ſi ab eo, cui deditio fit, fuerit receptus, quod & populus Romanus ſenſiſſe videtur; cùm enim dubium motum fuiſſet, utrùm deditus, nec receptus civis maneret, idque maximè quæſitum eſſet in Hoſtilio Mancino, qui ſponſionis Numantinæ auctor fuerat, quibusdam exiſtimantibus manere, aliis contra non manere, Populus Romanus controverſiam hanc decidit lege latâ, ut Mancinus civis Romanus eſſet, neque deditio ei fraudi foret, *ut eſſet*, inquam, quod præcipuè P. Rutilius Tribunus plebis negaverat, qui eundem per deditionem civem Numantinum, & ita peregrinum factum eſſe aſſerebat, non ut denuo in civem Romanum reciperetur. Unde & poſtea Cicer. pro Cæcin. *quem pater patratus dedidit, ſi non eſt ab hoſte receptus, retinet integram cauſam, & jus civitatis.*

XVIII.

Tertiò deſinit aliquis eſſe ſubditus, ſi ex civitate ejiciatur; dum enim civitas aliquem pro membro ſuo non ampliùs vult agnoſcere, & finibus ſuis expellit, remittit ipſi obligationem, quâ antea eidem obſtrictus erat, unde in ejusmodi exules civitati nullum jus remanet. Non autem aliter aliquis ex civitate ejici poteſt, quàm ſi talem pœnam delicto ſuo ſit promeritus. Puffendorf. *cit. cap. 11. §. 6. & 7.*

XIX.

Quartò deſinit aliquis eſſe ſubditus, ſi ex benignitate ſummæ poteſtatis à ſubjectione eximatur, vel civitas diſſolvatur, aut ejus pars alienetur, vel pro derelicta habeatur, aut in caſu ſummæ neceſſitatis ſe hoſtis poteſtati ſubjecerit, de quibus omnibus jam alibi dictum eſt.

§. II.

De juribus ſubditorum.

SUMMARIA.

I. *Jura, quæ ſubditi adversùs ſummum Imperantem habent, vel generalia ſunt, vel ſpecialia.*

II. *Pro-*

II. *Proponitur delicata quæſtio, utrùm ſubditi etiam jus habeant ſummos Imperantes quandoque rursùs deponendi, & exauthorandi?*
III. *Depoſitio alia eſt propriè, alia verò impropriè dicta.*
IV. *Depoſitio propriè dicta in Regnis patrimonialibus locum non habet.*
V. *Neque in Regnis electivis & ſucceſſoriis depoſitio propriè dicta locum habet.*
VI. *Confirmatur hæc ſententia ex ſacris Litteris.*
VII. *Quid ſi Rex omnem prorſus Reipublicæ curam abjiceret?*

I.

JUra quæ ſubditi adverſùs ſummum habent Imperantem, vel generalia ſunt, vel ſpecialia. In genere eundem ſibi obſtrictum tenent, ut ne ipſis inferat injuriam, ut res, poſſeſſiones, & perſonas eorum contra vim internam, & externam defendat, ut juſtitiam ſine reſpectu perſonarum adminiſtret, ut curam ſalutis publicæ gerat &c. ſpecialia verò profluunt ex pacto vel in aditu Regni, vel poſtea cum ſubditis inito, quæ ſatis expedita ſunt.

II.

At non æquè expeditum eſt, utrùm ſubditi etiam jus habeant, ſummos Imperantes quandoque, præſertim ſi pacta publica violent, rurſus deponendi, & exauthorandi? Mallem ſanè in re tam arduâ calamum ſuſpendere, niſi omnes propemodùm juris publici ſcriptores quæſtionem hanc moverent; antequam autem meam aperiam ſententiam

III.

Præmitto, depoſitionem aliam eſſe propriè, aliàm impropriè dictam. Depoſitio propriè dicta eſt, quæ ſummum Imperantem Regiâ privat poteſtate. Impropriè dicta verò, quæ uſurpatorem Regiæ poteſtatis, poſtquam eâ excidit, è Solio, quod adhuc defacto tenet, deturbat & regalibus exuit inſignibus, velut accidit, ſi quis regnum ad certum tempus, aut ſub lege commiſſoria ſibi delatum, poſtquam tempus elapſum eſt, aut caſus in delatione Regni expreſſus evenit, porro retinere conetur, & ideo à populo in ordinem redigatur. Quo præmiſſo

IV.

IV.

Dico I. Depoſitio propriè dicta in regnis patrimonialibus locum non habet, ac proinde Reges, qui ſummam poteſtatem pleno, & abſoluto proprietatis jure tenent nullo caſu à ſubditis eâ privari, & exui poſſunt; ſi enim ſubditi ejusmodi Reges ullo caſu Regiâ poteſtate privare, & exuere poſſent, tunc poſſent ſub prætextu ſe defendendi ab injuriis, & oppreſſionibus; nam alius titulus non videtur eſſe aſſignabilis. Certè in pœnam illatarum injuriarum Imperium illis abrogari haud poteſt, tum quia ſummi Imperantes pœnæ humanæ non ſubjacent, tum quia repugnat, ſuperiores puniri à ſubditis. Eſt autem in Statu Monarchico populus non tantùm diſtributivè, ſed etiam collectivè ſumptus Regi ſubjectus: atqui ſub prætextu defenſionis non poſſunt ſubditi Regem ſuum jure regnandi patrimoniali privare; vel enim periculum graviſſimas etiam impoſterum ſuſtinendi injurias; & afflictiones moraliter certum eſt, vel non. Si non ſit moraliter certum, Rex ſub ſpecie defenſionis ſummâ poteſtate exui haud poteſt; ut enim defenſio juſta ſit, neceſſaria eſſe debet, talis autem non eſt, ſi de animo nocendi morali certitudine nobis non conſtet. Et ſanè ſi ob periculum incertum ſtatim alter jure ſuo, quo eum in perniciem noſtrám abuſurum fore metuimus, privari poſſet, nemo ampliùs ſecurus foret, ac proinde periculum incertum nequit nobis jus dare, alterum jure ſuo privandi. Si verò periculum moraliter certum ſit, tunc vel toti imminet populo, vel non. Si non toti immineat populo, ſed tantùm aliquibus, aut ejus parti, ut ut inſigni, tam parùm Regi ſub prætextu defenſionis ſummum abrogari poterit Imperium, quàm parùm priori caſu poteſt; nam imprimis illi, quibus nullum imminet periculum injuriæ, ſe utique defendere non poſſunt; ubi enim nulla eſt offenſio, etiam nulla eſt defenſio, & cùm ob injuriam uni ſive privato, ſive parti civitatis integranti imminentem reliqui obligatione ſuâ erga Principem non ſolvantur, nequidem ſub prætextu defendendi ſuos concives Regem ſummâ poteſtate exuere poſſunt. Illi autem, quibus imminet periculum injuriæ, vel ſe duntaxat ſubtrahere volunt Regis ſui imperio, vel eundem penitus Regiâ poteſtate privare. Neutrum

poſſunt; non primum: ſi enim partes integrantes ſub prætextu defenſionis ab injuriis Imperantium eorum imperio ſe ſubducere, & ita à reliquo corpore ſeparare poſſent, nulla civilis ſocietas ampliùs poſſet ſubſiſtere, niſi Rex animo verè hoſtili integram populi partem omnino perdere vellet; tunc enim ipſo facto imperium in talem partem abdicare cenſeretur, cùm ut alibi dictum eſt, voluntas imperandi, & perdendi nequeat ſimul conſiſtere. Alterum verò multò minùs poſſunt, partim quia extra caſum modò allatum ſubditis nequidem permiſſum eſſe videtur, ut vi reſiſtant, tantum abeſt, ut Regem ſuâ poteſtate poſſint exuere, partim quia licèt permiſſum eſſet reſiſtere, non tamen ultrà id eſſet permiſſum, quàm inevitabilis defenſionis neceſſitas exigeret, quæ utique nequaquam poſtulat, ut tali caſu Rex omni ſuâ poteſtate privetur. Quòd ſi denique periculum toti immineat populo, tunc Rex vel quoad bona duntaxat externa vim inferre parat, vel univerſum populum vult perdere. Illo caſu populus Regi ſuo nequidem reſiſtere poſſe videtur, cùm ejusmodi bona Principis poteſtati ſubjecta ſint, & ſi is hac in parte exceſſerit, illa recuperari, aut compenſari poſſint. Leſſ. *de J. & J. lib. 2. cap. 9. Dubit. 4. num. 11.* P. Suarez. *in defenſ. fidei &c. lib. 6. cap. 4. num. 5.* ergo multò minùs hac ex cauſa eundem ſummâ poteſtate privare poteſt. Hoc autem caſu, ùt ſuprà jam dictum eſt, Rex ipſo facto ſe imperio abdicâſſe cenſetur. Si ergò populus adverſùs tam immanem ſævitiam ſe defendendo talem Tyrannum Regali purpurâ exuat, depoſitio hæc tantùm impropriè dicta erit. Unde à primo ad ultimum populus nullo caſu Regem ſuum ſub prætextu defenſionis jure regnandi patrimoniali privare poteſt, ac per conſequens depoſitio propriè dicta in Regnis patrimonialibus locum non invenit.

V.

Dico II. Neque in Regnis electivis, & ſucceſſoriis depoſitio propriè dicta locum habet; ſi enim de hiſce Regnis aliud dicendum eſſet, tunc ideo, quia populus deferendo imperium cenſeretur ſibi pro tali eventu, quo Rex graviſſimas eidem eſſet illaturus injurias, facultatem eundem deponendi reſervâſſe: atqui hoc dici nequit; nam primò potuit populus imperium transferre non reſer-

vatâ ſibi hac poteſtate; ergo hoc ipſo, quòd expreſſè non reſervaverit, præſumi debet, noluiſſe eandem ſibi reſervare, tum quia in materia odioſa, qualis præſens eſt, ſtricta obtinet interpretatio tum quia in propoſitò contra populum facienda eſt interpretatio, utpote qui in delatione imperii mentem ſuam meliùs exprimere potuiſſet, ac proinde ſibi imputare debet, quòd non apertiùs locutus ſit. Deinde ejusmodi depoſitiones ſummorum Imperantium plerumque magnos tumultus, & armorum ſtrepitus ciere, ac bella civilia poſt ſe trahere ſolent; cùm enim definitum non ſit, quanta debeat eſſe afflictio, & oppreſſio populi, ut ad abrogandum Regi ſuo imperium decurrere poſſit, non poteſt non hæc res tumultibus, ſummæ confuſioni, & concuſſioni, Reipublicæ eſſe obnoxia: ergo non cenſetur populus in delatione Imperii ſibi ullo caſu poteſtatem Regem deponendi reſervâſſe; cùm illa interpretatio, quæ maxima ſecúm affert incommoda, ſemper fugienda, & vitanda ſit. Porro mala, quæ depoſitiones Regum poſt ſe trahunt, longè majora ſunt illis, quæ populus ſub Rege oppreſſore ſufferre cogitur: ergo non cenſetur in delatione imperii ſibi reſervâſſe poteſtatem talem Regem deponendi; quia mali minoris vitandi cauſâ nemo majus elegiſſe prudenter præſumi poteſt.

VI.

Confirmatur hæc ſententia ex ſacris Litteris, & quidem primò ex *1. Reg. 8. v. 11. & ſeqq.* ubi, cùm Samuel populo Iſraëlitico Regem petenti, jus Regis, tale ſcilicet, quale tunc temporis à Regibus Ammonitarum, Moabitarum, & Philiſtinorum uſurpabatur, prædixiſſet, ſubjungit: *& clamabitis in die illâ à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa* &c. ſupponit ergò Samuel, aliud remedium oppreſſo populo reliquum non fore, quàm ut ad Deum clamare poſſit. Deinde ex Epiſtola Divi Pauli *ad Roman. cap. 13. & 1.* Divi Petri *cap. 2. verſ. 14. & ſeqq.* ubi ſubditi Regibus ſuis, tanquam Miniſtris Dei, obedientiam, reverentiam, & obſervantiam præſtare jubentur, quod præceptum etiam de eo caſu, quo Reges poteſtate ſuâ abuſi ſubditos affligunt, intelligendum eſſe veterum Chriſtianorum oſtendit exemplum, qui, licèt diriſſima tormenta, afflictiones, ſpolia, & exilia ab Ethnicis

perpeſſi ſint Imperatoribus, nunquam tamen ſe adjunxerunt illis, qui eos Regali Solio, & vitâ privârunt. Tametſi igitur Rex populum ſibi ſubditum duriſſimo jugo premat, propterea tamen is deponi haud poteſt, ſed à Divina tantùm Providentia expectandum erit remedium, poteſt Deus, ſi ita ei placeat, ſubitò mutare cor Regis, ſi autem id non faciat, cogitandum, bonorum patientiam nondum ſatis eſſe probatam, nec malorum iniquitatem ſatis punitam, interim ut Seneca in Medea *verſ. 195.* ait:

Æquum atque iniquum Regis Imperium feras.

VII.

Planè ſi Rex omnem Reipublicæ curam abjiceret, & neque adverſùs externos hoſtes civitatem defenderet, neque per executionem legum internam tueretur tranquillitatem, nec ſeriò, & ſæpiùs, licèt admonitus, ullam ſui officii partem impleret, ita ut ſi res porro ita procederent, totum Reipublicæ corpus manifeſto periculo interitûs expoſitum foret, hoc caſu Regem, ſi non ipſo facto imperio ſe abdicâſſe cenſetur, quod potiùs dicendum eſſe arbitror, à populo, vel qui populum repræſentant, à Regni Proceribus, ſuppoſito, quòd aliud medium ab imminente interitu ſe liberandi non ſuperſit, ſaltem deponi poſſe exiſtimarem; neque enim credibile eſt, quòd populus deferendo ſummum Imperium facultatem ſe defendendi ab interitu voluerit abdicare: ergo ſi aliter ſe defendere nequeat, quàm Regem talem deponendo, poterit eundem deponere. Certè ſi pars populi ſe aliter ſervare non poſſit, quàm ſi ſe alterius imperio ſubjiciat, poteſt illa ſe Regis ſui Imperio ſubtrahere, & alteri ſubjicere: ergo etiam ſi totus populus ſe aliter ſervare nequeat, quòd ſi ſe alterius imperio ſubjiciat, poteſt is ſe Regis ſui imperio ſubtrahere, & alteri ſubjicere, atque ita Regem ſuum deponere, ſeu ſummâ poteſtate exuere.

CAPUT

CAPUT II.

De obligationibus ſubditorum.

§. Unicus.

SUMMARIA.

I. *Præcipuæ ſubditorum obligationes ſunt ad obedientiam, ad patientiam, & ad fidelitatem.*

II. *De obligatione ad obedientiam.*

III. *Tenentur ſubditi etiam improbis Imperantibus obedientiam præſtare, niſi id, quod imperant, ſine crimine exequi haud poſſint.*

IV. *De obligatione ad patientiam.*

V. *De obligatione ad fidelitatem.*

I.

PRæcipuæ ſubditorum obligationes ſunt tres: Prima eſt ad obedientiam: Secunda ad patientiam: Tertia ad fidelitatem, de quibus breviter dicemus.

II.

Primò igitur ſubditi obligantur ad obedientiam, cùm jus imperandi ſine obligatione parendi dari haud poſſit. *Neceſſitate*, inquit Doctor Gentium *ad Roman. 13. verſ. 5. ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Et Princeps Apoſtolorum *Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 13. ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

III.

Tenentur autem ſubditi Imperantibus non tantùm, ſi probi ſint, ſed &, ſi improbi, obedientiam præſtare; tametſi enim improbi ſint, propterea tamen non amittunt jus imperandi: ergò ex parte ſubditorum perdurat obligatio parendi, niſi fortè, quod imperant, tale ſit, ut id ſine crimine exequi haud poſſint; tunc enim Deo magìs, quàm hominibus obedire oportet. *Act. 5. verſ. 29.*

IV.

Secundò obligantur ad patientiam; licèt enim ſummi Imperantes ſubditis injuriam inferant, reſiſtere tamen haud poſſunt, ſed,

ne diſſolvatur ordo imperandi, & parendi, eam æquo animo ferre tenentur. *Tolerandum eſt patienter*, inquit Æneas Sylv. *de ort. & Auth. Imper. Roman. cap. 16. quidquid Princeps facit iniquè, expectandáque eſt vel ſucceſſoris emendatio, vel ſuperni correctio Judicis, qui violentias, & injurias non ſinit eſſe perpetuas.* Et hoc quidem expeditum eſſe videtur, ſi Imperans ſubditis bona tantùm externa injuſtè auferat; nam, ut ſuprà diximus, ejusmodi bona Principis poteſtati ſubjecta ſunt, & ſi is in eorum adminiſtratione exceſſerit, illa recuperari, vel compenſari poſſunt. At quid, ſi innocentibus vitam auferre velit? Puto intereſſe utrùm ſervato juris ordine innocentem perdere velit, ut Jezabel fecit, falſos teſtes contra Nabothum ſubornando, vel citra ullum ordinem judiciarium propriâ manu innocenti vitam eripere tentet. Illo caſu æquo animo ferendum eſt mortis ſupplicium; ſi enim ſub prætextu injuſtæ ſententiæ reſiſtere permiſſum eſſet, nulla jam ampliùs judiciorum foret auctoritas. Hoc autem caſu Regi injuſto Aggreſſori etiam cum ejus cæde reſiſti poſſet, ſi eam exigeret inevitabilis defenſionis neceſſitas, niſi fortè ex morte Regis, aut Reſpublica perturbanda, aut alia magna incommoda contra bonum commune paſſura foret; tunc enim invaſus ex lege charitatis bonum commune propriæ vitæ præferre teneretur. Suarez *ſuprà cit. cap. 4. num. 5.* Dn. P. Seybold *Dicæomach. Part. 2. ſect. 7.* §. *2. num. 4.* Grot. *lib. 2. cap. 1.* §. *9. num. 1.*

V.

Tertiò obligantur ad fidelitatem, quam tum pacis, tum belli temporibus ſummo Imperanti inviolatam ſervare tenentur, quamvìs obſtricti haud ſint, ut in ultima neceſſitate conſtituti cum Saguntinis perire potius eligant, quàm alterius imperio ſe ſubjicere, cùm in omnibus, quæ humani ſunt inſtituti, extrema neceſſitas excepta eſſe videatur. Nihil ergo fit contra fidem Imperanti debitam, ſi urbs, poſtquam ad extremum reſtitit, malit ſe hoſti ſubmittere, quàm excidium pati; redit enim ſua, quam habuit, antequam cum reliquis in ſocietatem civilem coaleſceret, naturalis libertas, ac proinde culpari non poteſt, ſi fide ad ultimum perſolutâ dedendo ſe conſervet. Grot. *cit. lib. 2. cap. 6.* §. *5.*

TRACTA-

TRACTATUS SECUNDUS.

SUperiore Tractatu explicavimus Jus Publicum Univerſale. Progredimur ad Hugonis Grotii jus Belli & Pacis explicandum, ubi tamen ea, quæ jam in priori Tractatu fuerunt expoſita, non repetemus: & quamvìs pleráque, quæ in hoc Tractatu dicemus, ad jus univerſale privatum pertineant, multa tamen ſunt, quæ, ſi non partem Juris Publici Univerſalis faciunt, ſaltem etiam in publicis ſervire poſſunt. Sit igitur

INDEX CAPITUM,

Quæ

HOCCE TRACTATU CONTINENTUR.

LIBER I.

Pag.

Quid ſit bellum? Quid, & quotuplex ſit jus? - 5
An bellare unquam licitum ſit? - - - 6

De

De diviſione belli in publicum, & privatum, & ſummo Imperio. - - - - 6
De bello ſubditorum in ſuperiores. - - 10
De causâ efficiente belli. - - - - 10

LIBER II.

De defenſione ſui, & rerum ſuarum. - - 10
De his, quæ hominibus communiter competunt. - 27
De acquiſitione rerum originariâ. - - 42
De derelictione præſumptâ. - - - 48
De acquiſitione originariâ juris in perſonas. - 54
De acquiſitione derivativâ facto hominis. - 73
De acquiſitione derivativâ beneficio legis. - 76
De acquiſitionibus, quæ vulgò dicuntur juris Gentium. - - - - - - - 80
Quando Imperia, vel dominia deſinant? - 88
De obligatione, quæ ex dominio oritur. - 89
De Promiſſis. - - - - - - 97
De Contractibus. - - - - - 118
De jurejurando. - - - - 135
De ſummorum Imperantium promiſſis, contractibus, & juramentis. - - - - 145
De fœderibus, ac ſponſionibus. - - - 151
De interpretatione. - - - - 151
De damno per injuriam dato, & obligatione, quæ inde naſcitur. - - - - - 162
De jure legationum. - - - 174
De jure ſepulturæ. - - - - - 174
De Pœnis. - - - - - 177

De

De pœnarum communicatione. - - 179
De cauſis injuſtis. - - - - 183
De cauſis dubiis. - - - - 184
De non temerè etiam ex juſtis cauſis ſuſcipiendo bello. - - - - - - 186
De cauſis belli pro aliis ſuſcipiendi. - - 188.
De cauſis juſtis, ut bellum geratur ab illis, qui ſub alieno imperio ſunt. - - - - 189

LIBER III.

Quantùm in bello liceat? - - - 191
De repreſſaliis, ſeu pignorationibus. - - 196
De indictione belli publici. - - - 196
De jure interficiendi hoſtes in bello publico. - 196
De rebus vaſtandis. - - - - 197
De jure acquirendi bello capta. - - - 197
De jure in captivos. - - - - 197
De Imperio in victos. - - - - 198
De poſtliminio. - - - - 198
De his, quæ fiunt in bello injuſto. - - 198
Temperamentum circa jus interficiendi in bello juſto. - - - - - 199
Temperamentum circa vaſtationem. - - 199
Temperamentum circa res captas. - - 199
Temperamentum circa captos. - - - 200
Temperamentum circa acquiſitionem Imperii. - 200
Temperamentum circa ea, quæ jure Gentium poſtliminio carent. - - - - - 201

De his, qui in bello medii ſunt. - - - 201
De his, quæ in bello publico privatim fiunt. - 201
De fide inter hoſtes. - - - - - 201
De Pace, Sorte, ſingulari certamine &c. - - 203
De induciis, commeatu &c. - - - 204
De fide minorum poteſtatum in bello. - 204
De fide privatâ in bello. - - - 205
De fide tacitâ. - - - - 206
Concluſio. - - - - - - 207

LIBER

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quid ſit bellum? Quid & quotuplex ſit jus?

HOc caput explicatum fuit in J. P. U. ubi definitionem P. 4. c. 1.
belli anatomiæ ſubjecimus, ſimúlque oſtendimus, ei- §. 1. n. 2.
dem addenda, vel ſaltem ſubintelligenda eſſe verba:
animo hoſtili, ut excludantur tum certamina bruto-
rum, tum pugnæ inter homines exercitii, vel quæ-
ſtûs cauſâ inſtitutæ. Improbavimus deinde definitionem legis, P. 1. c. 1.
quam A. tradit, quòd ſit *regula actuum moralium obligans ad id quod* §. 1. n. 4.
rectum eſt, tanquam nimis latam. Accepit is quidem vocabulum
legis, tam largè, ut & præcepta parentum, ac dominorum comple-
ctatur, velut, patet ex §. *14. num. 1.* At tam lata acceptio JCtis
incognita eſt, quibus non quævis, & cujusvis ſuperioris ordinatio
lex dicitur, ſed illa demum, quæ procedit à poteſtate publicâ ſeu
jurisdictionis, & bonum communitatis pro fine habet. Evolvi- P. 1. c. 1.
mus poſtea ex integro jus naturæ, & Gentium, in quo A. admo- §. 2. & 3.
dùm brevis fuit, cùm tamen totum jus belli, & pacis non niſi juri
naturæ, & Gentium innitatur, nam jus civile ad decidendas con-
troverſias inter diverſos populos, & populorum rectores, nullam
vim habet. Quæ denique A. de jure divino populo Iſraëlitico olim
dato ſubjungit, ſtudio prætereo, quia parùm ad propoſitum faciunt.

CAPUT II.

An bellare unquam licitum ſit?

SUMMARIUM.

Bellum omni jure licitum eſt, ſi habeat legitimam authoritatem, juſtam cauſam, & debitam intentionem.

BEllum omni jure licitum eſſe, ſi habeat legitimam authoritatem, juſtam cauſam, & debitam intentionem, concors eſt omnium catholicorum ſententia, non tantùm in dictamine rectæ rationis, ſed & in ſacris litteris, tum veteris tum novi teſtamenti fundata, & conſenſu omnium Gentium approbata. Unde ſuperfluum eſſe videtur, in hac re ſe multùm diffundere. Fuerunt quidem ex hæreticis nonnulli, qui contrarium docere ſunt auſi, ſed illi jam pridem ab aliis ſatìs ſunt refutati. Videatur clariſſ. Dn. P. Seybold *Dicæomach. Part. 3. ſect. 2. §. 2. 3. & 4.*

CAPUT III.

De diviſione belli in publicum & privatum, & ſummo Imperio.

SUMMARIA.

I. *Quid ſit bellum publicum? Utrùm jure naturæ omnis Magiſtratus habeat jus belli gerendi?*

II. *Nequidem in ſtatu civili omne bellum privatum jure naturæ illicitum eſt.*

III. *Uti nec jure divino novo.*

IV. *Reſpondetur ad contraria ex ſacris litteris deſumpta.*

V. *Solvitur aliud argumentum.*

VI. *De ſummo Imperio remiſſivè.*

I. Bel-

I.

BEllum publicum in ſenſu proprio, & excellentiori, illud demum dicitur, quod geritur inter eos, qui ſummam in Republicâ poteſtatem habent. Latiùs bellum publicum accepit A. qui hoc nomine complectitur etiam vim, quâ Magiſtratus ſubalterni quà tales refractarios; & reſiſtentes ſubditos in ordinem redigunt. Unde bellum publicum definit eſſe illud, *quod geritur auctore eo, qui jurisdictionem habet*, nam verbo *jurisdictionis* intelligit tum ſummam, tum ſubalternam, interim tamen multùm fallitur in eo, quòd putet, ſi res citra leges civiles ſpectetur, omnem Magiſtratum ad exercendam jurisdictionem, ſi Vis occurrat, jus habere belli gerendi; quamvìs enim quilibet jurisdictionem ſuam tueri poſſit, hoc tamen non niſi de tali tuitione intelligi poteſt, ex qua civitati nullum imminet periculum. At ex bello tota civitas in periculum venit. Unde tantùm abeſt, ut Magiſtratus ſubalterni ad tuendam ſuam jurisdictionem extero populo, vel Regi bellum inferre poſſint, ut nequidem adverſùs refractarios ſubditos, ſi eorum tantus ſit numerus, ut ex eorum irritatione tota civitas periculo poſſit involvi, vi armatâ uti queant, ſed deſuper ſummæ poteſtatis ſententiam exſpectare teneantur. Puffendorf *de J. N. & G. l. 8. c. 6. §. 19.*

II.

Jure naturæ non omne bellum privatum illicitum eſt, ſive de ſtatu naturali, ſive de civili ſit ſermo, nam in ſtatu naturali recta ratio eam tantùm vim prohibet, quæ jus alienum lædit. Atqui non omnis vis jus alienum lædit: ergo in hoc ſtatu non omnis vis eſt prohibita, ac proinde non tantùm bellum defenſivum, ſed & offenſivum licitum eſſe poteſt. In ſtatu civili ratio quidem naturalis dictat, non vi, ſed judicio agendum eſſe. At quid ſi judex exſpectari non poſſit ſine certo periculo aut damno? Quid ſi civitas quaſi in anarchiam ſit prolapſa, & ſubditi judicem non audiant? Tunc ſanè perinde eſt, ac ſi nulla conſtituta forent judicia publica. Grot. §. *1. & 2.* ubi pro confirmatione adduxit legem de fure nocturno & diurno Hebræis datam *Exod. 22.* cujus verum ſenſum infrà *lib. 2. cap. 1. §. 17.* explicabimus.

III.

III.

Sed nec jure divino novo omne bellum privatum illicitum eſt, quia in materiâ merè morali hoc jure nihil aliud prohibetur aut præcipitur, quàm quod ipſo jure naturæ vetitum, aut præceptum eſt. Et ſanè videntur Apoſtolorum aliqui ad ultimum uſque tempus Chriſto vidente, & ſciente iter feciſſe armati gladio, nam cùm Chriſtus *Lucæ 22. verſ. 36.* dixiſſet, *tale tempus imminere, ut gladii comparandi causâ vel tunica vendenda eſſet*, ſtatim Apoſtoli reſponderunt: *Domine ecce duo gladii hîc. verſ. 38.* Erant autem in eo comitatu nulli præter Apoſtolos: ergo Apoſtolis licitum fuerat, adverſùs latrones, & alios injuſtos aggreſſores ſe defendere; nam certè gladios habere non liceret, ſi uti illis nunquam liceret, quod Chriſtus illis verbis: *qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*, ſatìs indicavit.

IV.

Quæ in ſpeciem adverſari videntur, facilem ſolutionem recipiunt; nam quod *Matth. cap. 5. verſ. 39.* habetur: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*, de tali reſiſtentiâ accipi debet, quæ rationem vindictæ habet, ut ſi alapam infligenti alapam reponam. Similiter Doctor Gentium *ad Romanos 12. verſ. 19.* non niſi de vindictâ privatâ loquitur, velut ex toto contextu apparet, nam primò ait: *nulli malum pro malo reddentes*, quæ utique non defenſionis, ſed ultionis deſcriptio eſt. Deinde ſubjungit: *non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim mihi vindictam, & ego retribuam*, ac proinde verbum *defendere* hoc loco *ulciſcendi* ſignificationem habet, in quo ſenſu etiam uſurpatur Judith. *cap. 1. in fin. & cap. 2. in princ.* Denique verba Chriſti Domini: *omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt*, hunc habent ſenſum: omnes, qui gladium extra defenſionis neceſſitatem animo ulciſcendi acceperint, & privatâ auctoritate hominem occiderint, gladio Magiſtratûs peribunt; quamvìs enim Divus Petrus gladium ſtrinxerit animo defendendi Chriſtum, Chriſtus tamen defendi nolebat, ut implerentur ſcripturæ, & opus redemptionis noſtræ perficeretur. Unde dixit ad D. Petrum: *converte gladium in locum ſuum, calicem, quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum?*

V.

Fortè ſcrupulum adhuc movebit, quòd ſalus æterna proximi præferenda ſit ſaluti temporali vitæ propriæ: ergo non videtur permiſſum eſſe pro conſervandâ vitâ temporali interficere injuſtum aggreſſorem, utpote qui præter vitam temporalem etiam ſalutem æternam eſt perditurus. At facilè hic ſcrupulus eximi poteſt, nam ſalus æterna proximi ita demum præferenda eſt ſaluti temporali vitæ propriæ, ſi jactura vitæ temporalis proximo neceſſaria ſit ad conſequendam ſalutem æternam. Atqui jactura vitæ temporalis invaſi non eſt injuſto aggreſſori neceſſaria ad conſequendam ſalutem æternam; ſi enim is ab injuſtâ aggreſſione deſiſtat, non tantùm vitam temporalem conſervare, ſed &, ſi velit, ſalutem æternam conſequi poteſt: ergo &c. Accedit, quòd etiam invaſus ſæpè in periculo perdendæ ſalutis æternæ ſit conſtitutus, aut ſaltem ſe conſtitutum eſſe probabiliter exiſtimare poſſit: ergo hoc caſu par malum utrique imminet. Ubi autem par malum imminet, non vetamur nobis potiùs, quàm aliis conſulere; ordinata enim charitas incipit â ſe ipſâ, quia non jubemur proximum diligere præ nobis ipſis, ſed ſicut noſmetipſos. Denique injuſtus aggreſſor non ſemper in momento mittitur in gehennam, ſed ſæpè eidem adhuc tempus ſupereſt ad agendam pœnitentiam, & conſequendam ſalutem æternam, quo ſi non utatur, non injuſtè invaſo, ſed ſibi ipſi imputare debet. Grot. §. *3*.

VI.

Cæterùm quæ A. occaſione belli publici in hoc *cap.* de ſummo Imperio tradit, ea omnia â nobis in *J. P. U.* fuſè ſunt explicata, niſi quod ſatis mihi fuerit, oſtendiſſe, ſtatum Reipublicæ mixtum dari poſſe, in veritatem autem exemplorum, quæ â §. *20.* adduxit, diligentius inquirere, non putavi, eſſe operæ pretium. P. 2. cap. un. per tot.

CAPUT IV.

De Bello ſubditorum in ſuperiores.

HOc bellum illicitum eſſe, niſi Rex vel totum populum, vel inſignem ejus partem perdere velit, itidem in *J. P. U.* latiùs fuit oſtenſum, ubi ſimul diximus, quid privatis in invaſorem liceat, quò proinde lectorem remittimus.

P. 2. cap. un. §. 9. n. 7. & ſeqq.

CAPUT V.

De cauſa efficiente belli.

HÆc triplex eſt, principalis, adjuvans, & inſtrumentalis. Principalis plerumque eſt is, cujus res agitur. Adjuvans ſunt illi, qui auxilium ferunt. Inſtrumentalis ſubditi &c. *J. P. U.*

P. 4. c. 1. §. 5. per tot.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De defenſione ſui, & rerum ſuarum.

SUMMARIA.

I. *Cauſæ bellorum vel ſunt juſtificæ, vel ſuaſoriæ: cauſa juſtifica in genere ſola eſt injuria vel imminens, vel illata.*

II. *Adversùs injuriam imminentem ſe, ſuáque defendere etiam cum interfectione injuſti aggreſſoris omni jure permiſſum eſt.*

III. *Adeò ut ejus interfectio etiam directè intendi poſſit.*

IV. *Juri defenſionis in ſtatu naturali etiam jus ulciſcendi conjunctum eſt, non autem in ſtatu civili.*

V. *Eſt autem defenſio tantùm licita adversùs injuſtum, non etiam adversùs juſtum aggreſſorem.*

VI. *Objectum defenſionis conſtituit imprimis vita, quam tamen nemo cum interfectione injuſti aggreſſoris defendere tenetur.*

VII. *Niſi alios ex officio defendere teneatur, aut perſona ſit Reipublicæ multùm utilis.*

VIII. *Si tamen ex interfectione injuſti aggreſſoris Respublica magnum paſſura ſit damnum, is ſine peccato interfici haud poteſt, modò invaſus prudenter judicet, ſe eſſe in ſtatu gratiæ.*

IX. *Quisnam fugere teneatur, & utrùm is, qui fugere tenetur, peccet contra juſtitiam, ſi omiſsâ fugâ pro neceſſariâ defenſione interficiat injuſtum aggreſſorem?*

X. *Quamvis ſub nullo prætextu licitum ſit directè occidere innocentem, ex causâ tamen graviſſimâ licitum eſt eundem occidere indirectè.*

XI. *Ad evitandum periculum mutilationis non minùs, quàm vitæ injuſtus aggreſſor interfici poteſt.*

XII. *Etiam pudicitia, ſi aliter non poſſit, cum cæde invaſoris rectè defenditur.*

XIII. *Adversùs eum, qui verbis tantùm honorem noſtrum lædere intendit, defenſio cum ejus interfectione in ſtatu civili licita haud eſt.*

XIV. *Utrùm pro neceſſariâ defenſione interfici poſſit, qui alterum fuſte percutere, vel ei alapam infligere tentat.*

XV. *Eum, qui poſt inflictam alapam fugit, perſequi & interficere haud licet.*

XVI. *Etiam bona fortunæ cum cæde injuſti aggreſſoris defendere fas eſt, modò ſint magni momenti, & nulla probabilis ſpes ſit, illa, ſaltem citra grave damnum, aliter recuperandi.*

XVII. *Utrùm jure divino veteri furem nocturnum ſemper, diurnum autem nunquam licitum fuerit interficere?*

XVIII. *Etiam jure divino novo bona fortunæ cum cæde furis defendere licitum eſt.*

XIX. *Ut defenſio legitima ſit, requiritur primò, ut periculum ſit præſens, nec qualiscunque metus ſufficit.*

XX. *Utrùm præveniendo jure interfici poſſit, qui vitæ noſtræ inſidiatur?*

XXI. *Quidſi alter falſam accuſationem, falſum teſtimonium, aut iniquum judicium adversùs me moliatur?*

XXII. *Secundò ad legitimam defenſionem requiritur, ut ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ.*

XXIII. *Qui moderamen inculpatæ tutelæ exceſſit, pro modo exceſsûs punibilis eſt.*

XXIV. *Duellum extra paucos caſus, qui recenſentur, in ſtatu civili omni jure illicitum eſt.*

XXV. *Utrùm lex civilis, ſi furem interfici permittat, ſolam impunitatem det, vel cædem etiam in foro interno licitam reddat?*

I.

PRogredimur jam ad cauſas bellorum, quæ movent ad bellandum. Movent autem vel ſub ratione juſti, vel ſub ratione utilis. Illæ juſtificæ, hæ verò ſuaſoriæ appellantur. Cauſa juſtifica in genere ſola eſt injuria, quam vel arcemus, vel reparamus, vel vindicamus. Arcemus bello defenſivo, reparamus & vindicamus bello offenſivo. In hoc *cap.* agit A. de bello defenſivo.

II.

Cauſa ejusdem efficiens eſt jus tum naturæ, tum divinum, tum humanum; omni enim jure permiſſum eſt, ſe, ſuáque adverſùs injuſtum aggreſſorem, etiam cum ejus interfectione, ſi periculum aliter evitari nequeat, defendere, tametſi is peccato careat, fortè quòd inſaniâ, aut inſomniis agitetur; nam jus defenſionis per ſe, & primariò non naſcitur ex peccato alterius, ſed ex eo, quòd natura quemque ſibi commendet. Sufficit ergo, quòd ego non teneat id pati, quod alter intentat. Grot. §.*3.* Puffendorf. *lib.2. cap.5.* §.*1.*

III.

Quamvis autem ſint, qui putent, quòd inſultatus poſſit quidem intendere actum neceſſarium ad ſui defenſionem, ex quo prævidet, ſecuturam mortem, non autem poſſit directè intendere interfectionem injuſti aggreſſoris, perinde ut Medicus, qui ad reparandam ſanitatem adhibet medicinam, ex qua prævidet, ſecuturam debilitatem ægri, non debet intendere debilitatem, ſed ſanitatem, contraria tamen ſententia longè eſt verior; qui enim intendere poteſt finem, etiam intendere poteſt medium ad eum finem neceſſarium: ergo

ergo ſi interfectio injuſti aggreſſoris eſt medium neceſſarium ad ſui defenſionem, poteſt invaſus eandem intendere. Nec urget paritas à Medico deſumpta, quia debilitas ægri non eſt medium ad reparandam ſanitatem, ſed medium eſt evacuatio noxii humoris, cum qua debilitas tantùm connexa eſt, unde Medicus intendit quidem evacuationem noxii humoris, debilitatem autem ſequentem non intendit, ſed tantùm permittit. Ex adverſo interfectio injuſti aggreſſoris eſt medium neceſſarium ad ſui defenſionem, cùm, ut ſuppono, invaſus ſine eâ periculum evitare non poſſit: ergo poteſt is interfectionem aggreſſoris directè intendere. Confer. Clariſſ. Dn. P. Seybold *in ſua Dicæomach. part. 2. ſect. 7. §. 2. num. 11.* ubi plures Theologos pro hac ſententiâ allegat.

IV.

Subjectum belli defenſivi duplex eſt, activum ſcilicet, & paſſivum, activum eſt is, qui bellum defenſivum gerit. Poteſt autem per ſe loquendo bellum defenſivum gerere omnis, ſive is in ſtatu naturali, ſive in civili ſit conſtitutus, cum hoc tamen diſcrimine, quòd in ſtatu naturali cum jure ſe, ſuáque tuendi etiam jus ulciſcendi conjunctum ſit, modò is, qui ultionem ſumere vult, ſit ſui juris, ſi enim ſub imperio familiari exiſtat, jus ulciſcendi patrifamilias competit, qui autem in ſtatu civili vivit, jus ulciſcendi non habet, unde in hoc ſtatu jus defendendi quaſi momentaneum eſt, ita ut ceſſet, quamprimùm judex adiri poteſt, in ſtatu autem naturali, cùm nulla ſint judicia, tractum habet, & continuò novis accedentibus damnis, ac injuriis fovetur. Poteſt autem quilibet non tantùm pro ſe, ſed & pro aliis bellum defenſivum gerere, & ſi citra periculum grave incurrendi damnum proximum adversùs injuſtum aggreſſorem defendere poſſit, ex lege charitatis eundem, ſi ejus auxilio indigeat, etiam defendere tenetur.

V.

Subjectum paſſivum eſt injuſtus aggreſſor; qui ergo bellum gerit adversùs illum, qui aggreſſor non eſt, non bellum defenſivum gerit, ſed offenſivum. Deinde ut bellum defenſivum ſit juſtum, neceſſe eſt, ut ſit aggreſſor injuſtus, ſi enim aggreſſio ſit juſta, de-

fenſio juſta eſſe haud poteſt; aliàs daretur bellum utrinque juſtum, quod implicat. Qui igitur juſtum bellum offenſivum promeritus eſt, arma opponere haud poteſt, ſed ſatisfactionem boni viri arbitratu offerre debet, quam etiam alter acceptare tenetur, ſive jam ad conflictum ventum ſit, ſive non, adeò ut, ſi non acceptet, & nihilominus bellum inferat, aut jam illatum porro proſequatur, is, qui injuriam intulit, jure ſe defendere poſſit, ſi enim abſque fraude plena offeratur ſatisfactio, ceſſat titulus bellandi. Unde Pontius ſamnis apud Liv. *lib. 9. c. 1. expiatum eſt*, inquit, *quidquid ex fœdere rupto irarum in nos cæleſtium fuit, res hoſtium in prædâ captas remiſimus, auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedimus, bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portavimus.* Grot. §. *18.* Dn. P. Seybold *Dicæomach. part. 3. ſect. 4. §. 9. num. 1. & ſeqq.*

VI.

Objectum belli defenſivi conſtituit primò vita, quam, ut paulò antè dictum, etiam cum interfectione injuſti aggreſſoris, ſi neceſſe ſit, tueri poſſumus, non autem, ut perperam nonnulli contendunt, per ſe loquendo ad hoc tenemur, licèt enim quivis ſit cuſtos vitæ ſuæ, nemo tamen eandem defendere tenetur mediis extraordinariis, quale eſt occiſio aggreſſoris. Nec adverſatur, quòd ordo charitatis exigat, ut vitam propriam præferamus alienæ, nam in ordine charitatis quædam ſunt præcepta, quædam verò tantùm permiſſa, ſic ut ſalutem æternam proximi præferamus vitæ propriæ temporali, ſi proximus citra jacturam vitæ noſtræ temporalis ſalutem æternam conſequi haud poſſit, præceptum eſt, ut autem vitam propriam temporalem præferamus vitæ alienæ, permiſſum tantùm eſt, non præceptum. Certè talis, qui occidi potiùs, quàm occidere vult, inſignem exercet actum charitatis proximi. Confer. Dn. P. Seybold *cit. tract. parte 2. ſect. 7. §. 2. num. 9. & 10.* & P. Haunold *de J. & J. Tom. 1. tract. 2. cap. 6. contr. 4. num. 660.*

VII.

Dixi *per ſe loquendo*; nam primò illi, quorum officium eſt, alios defendere, veluti ſunt Socii itineris eá lege conducti, & milites,

lites, non tantùm poſſunt, ſed etiam tenentur injuſtum aggreſſorem occidere, ſi periculum aliter averti non poſſit. Deinde etiam illi vitam ſuam cum interfectione injuſti aggreſſoris conſervare tenentur, quorum vita Reipublicæ multùm utilis eſt, uti ſunt ejus Rectores & Duces bellici. Idem poſt Molin. Dn. P. Seybold *cit.* §. *2. num. 8.* dicendum eſſe putat de illis, quorum mors cederet in maximum detrimentum familiæ, eò quòd invaſus poſſit quidem cedere jure ſuo, non autem ſuorum, puta uxoris, & liberorum, quos alere tenetur, quod tamen Grot. §. *8.* parùm tutum eſſe videtur.

VIII.

Planè ſi ex interfectione injuſti aggreſſoris Respublica magnum paſſura foret damnum, is ſine peccato interfici haud poſſet, quia ex lege charitatis quisque tenetur præferre bonum commune propriæ vitæ, modò prudenter judicet, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, ſecùs enim non eſſet obligatus ad ſubeundam mortem, ut parcat vitæ injuſti aggreſſoris, ſi ſine ejus nece vitam ſuam non poſſit conſervare, quia nemo tenetur, bonum publicum temporale præferre ſaluti animæ ſuæ, hoc enim repugnaret recto ordini charitatis. Confer. Molin. *de J. & J. tract. 3. diſput. 14.* Leſs. *lib. 2. cap. 9. Dubit. 8. num. 42.* Dn. Seybold *ubi ſuprà num. 4. & 5.*

IX.

Qui absque periculo, & ignominiâ fugere poteſt, tenetur quidem ad cavendum grave damnum in ſe, vel proximo ex charitate fugere, ſi tamen, omiſſâ fugâ, non aliter vitam ſuam conſervare poſſit, quàm ſi interficiat, aut mutilet injuſtum aggreſſorem, non peccat contra juſtitiam, eundem interficiendo, vel mutilando, quamvis non fugiendo peccaverit contra charitatem; nam injuſtus aggreſſor non habet jus interficiendi alterum: ergo ſi eundem interficere tentet, ille jus habet ſe defendendi, ac per conſequens ſi aliter vitam ſuam tueri non poſſit, quàm injuſtum aggreſſorem interficiendo, vel mutilando, poteſt is juſtè eundem interficere vel mutilare, nec proinde damnum illatum eidem, vel uxori, aut liberis reſarcire tenetur, cùm ſola violatio juſtitiæ commutativæ fundet

fundet obligationem reſtituendi. Qui autem absque periculo quidem, non autem absque gravi ignominiâ fugere poteſt, is fugere non tenetur, quia non tenetur ex charitate tam grave damnum ſubire in gratiam injuſti aggreſſoris, ac proinde non fugiendo ne quidem contra charitatem peccat. Confer. Leſs. *cit. Dubit. 8. num. 44.* P. Haunold. *ſuprà alleg. contr. 4. num. 636. & ſeqq.* Dn. P. Seybold. *ubi ſuprà num. 18. & ſeqq.* Diſſentit. Grot. §. *10. num. 3.* qui tali caſu, quo quis ſine periculo fugere poteſt, jure quidem naturæ, non autem jure divino Evangelico defenſionem cum interfectione injuſti aggreſſoris licitam eſſe contendit, eò quòd nulla unquam ſit ignominia fugere aggreſſorem, ſed tantùm falſa quædam ignominiæ opinio aſpernanda ab omnibus iis, qui virtutem, & ſapientiam ſectantur. At primò, ùt alibi jam diximus, Catholici uno ferè ore docent, extra præcepta credendi, & ſacramentorum nihil eſſe in Evangelio, quod non ſit juris naturalis: ergo ſi tali caſu defenſio cum interfectione injuſti aggreſſoris licita eſt jure naturæ, etiam licita erit jure divino Evangelico. Deinde licèt fugere ſuâpte naturâ ignominioſum haud ſit, homines tamen mundani in quibusdam perſonis id ignominioſum eſſe judicant, quod ſufficit, ut fugere non teneantur, quia, ùt ſuppono majus eſt hoc damnum, quàm ut in Gratiam injuſti aggreſſoris ex charitate illud ſubire ſint obſtrictæ. Denique tametſi is, qui fugere tenetur, ſi non fugiat, peccet contra charitatem, non tamen ſe defendendo peccat contra juſtitiam; ac proinde A. malè aſſerit, defenſionem eidem eſſe illicitam.

X.

Cæterùm quamvis ſub nullo prætextu licitum ſit directâ intentione occidere innocentem, ita ut ejus mors eligatur tanquam medium ad quodcunque malum ſive publicum, ſive privatum avertendum, aut bonum obtinendum, cùm vita non ſit ſub dominio humano, ex cauſâ tamen graviſſimâ licitum eſt indirectè eundem occidere, *indirectè* inquam, hoc eſt, per talem actionem, quæ, ùt ſubſtat intentioni noſtræ, poſſet intelligi conſecuta eſſe ſuum finem directè quæſitum ſine occiſione alterius, ac proinde cui per accidens eſt, quòd hîc & nunc habeat annexam occiſionem innocentis,

centis, & ideo ſi quis periculum mortis ab injuſto aggreſſore ſibi imminentis non aliter evitare queat, quàm ſi fugiat per pontem, aut locum anguſtum, in quo infans, aut claudus exiſtit, poteſt is per talem locum fugam arripere, tametſi contingere poſſit, ut infans, vel claudus opprimatur, & interficiatur, quia damnum, quod per omiſſionem fugæ incurreret, majus eſt, quàm ex lege charitatis teneatur ſubire ad cavendum æquale damnum alterius innocentis, velut cum communi docet P. Haunold. *cit. cap. 6. contr. 3. num. 619. & ſeqq.* à qua ſententia perperam diſſentit Grot. §. *4. num. 1.* ubi ait, ex lege dilectionis præſertim Evangelicæ, quæ alterum nobis æquat, id permiſſum non eſſe. At primò lex dilectionis non niſi ſalvo ordine proximum nobis æquat, ita ut ubi par malum imminet, non prohibeamur nobis potiùs, quàm aliis conſulere, velut ipſe Grot. tradit *lib. 1. cap. 3.* §. *3. num. 3.* Deinde *lib. 3. cap. 1.* §. *4. num. 1.* is ipſe rurſus docet, ad jus agendi multa conſequi indirectè, & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet, & mox ſubjungit: *ſic navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti poteſt, etiamſi intra eandem navem aut domum ſint pauci infantes, mulieres aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum*; quæ ſanè etiam ad propoſitum applicari poſſunt.

XI.

Secundò objectum belli defenſivi conſtituunt membra, adeò ut non minùs ad avertendum periculum mutilationis, quàm vitæ injuſtus aggreſſor occidi poſſit; nam primò damnum membri, præſertim ex præcipuis, valde grave eſt, & vitæ quaſi æquiparabile. Deinde vix ſciri poteſt, utrùm mutilatio non periculum mortis poſt ſe trahat. Adhæc non conſtat, utrùm is, qui me mutilare tentat, poſt membrum abſciſſum non etiam vitam mihi velit eripere. Denique nemo inſtar ovis tenetur pati membrorum ſuorum mutilationem. Grot, §. *6*.

XII.

Tertiò objectum belli defenſivi conſtituit pudicitia, quæ, ſi aliter non poſſit, etiam cum cæde invaſoris rectè defenditur; quamvis enim non amittatur corporis ſanctitas manente animi ſanctitate,

tate, etiam oppreſſo corpore, ut loquitur S. Auguſt. *lib. 1. cap. 18. de civit. Dei*, meritò tamen pudicitia pluris æſtimatur, quàm multæ opes, imò commune judicium pudicitiam, præſertim in fœminis, vitæ adæquat. Accedit, quòd hac in re maximum ſit periculum, ne quis in delectationem conſentiat & peccet. Laudatur ſanè Marius, quòd militem, qui tribunum occiderat volentem vim inferre ejus pudicitiæ, non tantùm abſolverit, ſed & coronâ donaverit. Confer. Leſs. *lib. 2. cap. 9. Dubit. 12. num. 76.* Dn. P. Seybold. *ſuprà cit. part. 2. ſect. 7. §. 10.* Grot. *§. 7.*

XIII.

Quartò objectum belli defenſivi conſtituit honor. Læditur autem honor vel verbis, vel factis. Verbis læditur per detractionem, & verba contumelioſa; factis, ſi quis alterum fuſte, vel arundine percutere, aut ei alapam infligere intendat. Adverſùs eum, qui verbis tantùm honorem alterius lædit, in ſtatu civili ſe cum ejus interfectione defendere licitum haud eſt; cùm interfectio vel non ſit medium neceſſarium, vel non ſit idoneum ad tuendum, aut recuperandum honorem; vel enim is apud alios me jam diffamavit, vel tantùm diffamare intendit, vel aliàs verbis contumelioſis honorem meum læſit? ſi me jam diffamaverit, interfectio nec medium neceſſarium, nec idoneum eſt ad defendendum honorem: non neceſſarium; quia ad defenſionem, & recuperationem honoris ſufficiunt remedia juris, ſcilicet actio ad palinodiam, & actio injuriarum æſtimatoria: non idoneum, quia interficiendo diffamatorem incurro pænam legis Corneliæ de ſicariis. Quòd ſi me tantùm diffamare intendat, vel aliàs verbis contumelioſis honorem meum læſerit, interfectio itidem nec medium neceſſarium, nec idoneum eſt ad tuendam exiſtimationem, quia tales injuriæ, adito judice, legitimo modo comprimi, reparari, & vindicari poſſunt. Unde jure merito Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *fas eſt viro honorato, occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit*; nam verbo *calumniæ* propriè intelligitur læſio honoris, quæ fit verbis. Confer. Leſs. *cit. Dubit. 12. num. 78.* Dn. P. Seybold. *alleg. ſect. 7. num. 5. & ſeqq.* adde Grot. *§. 10. num. 3. prope fin.*

XIV.

XIV.

At ſi quis alterum fuſte, vel arundine percutere, aut ei alapam infligere intendat, multi quidem defenſionem etiam cum interfectione injuſti aggreſſoris, ſi hoc periculum aliter vitari nequeat, licitam eſſe contendunt, eò quòd damnum honoris meritò pluris æſtimetur, quàm damnum multorum bonorum fortunæ, quod tamen cum cæde aggreſſoris averti poteſt. Hoc in ſtatu quidem naturali expeditum eſſe arbitror; nam, ùt Grot. §. *10. num. 1.* loquitur, *qui injuriâ me parat afficere, is mihi eo ipſo jus dat adversùs ſe in infinitum*, hoc eſt, ad omne id, quod neceſſarium eſt, ut ab injuriâ, quam mihi inferre tentat, me ſervem indemnem, ac proinde ſi eundem interficiam, contra juſtitiam non pecco, modò periculum non poſſit aliter averti. Sed nec contra charitatem pecco, ſi damnum honoris gravius ſit, quàm ut illud ſubire teneat ad vitam injuſti aggreſſoris conſervandam. At in ſtatu civili, meâ quidem opinione, hoc admitti haud poteſt; nam in hoc ſtatu non aliter defenſionis cauſâ licitum eſt interficere injuſtum aggreſſorem, quàm ſi res amiſſa non poſſit ampliùs judicio recuperari, ne aliàs vincula ordinatæ Reipublicæ laxentur: atqui honor amiſſus judicio recuperari poteſt: ergo &c. Sanè propter bona fortunæ non aliter licitum eſt interficere injuſtum aggreſſorem, quàm ſi illa non poſſint ampliùs judicio recuperari: ergo cùm honor judicio recuperari poſſit, licitum haud eſt, eundem cum interfectione injuſti aggreſſoris defendere. Conſentit Grot. §. *10.* ubi *num. 1.* ad probandam hanc ſententiam adducit verba Chriſti *Matth. 5. Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* At Chriſtus his verbis non prohibet defenſionem, ſed ultionem, ita ut ſenſus ſit: ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram, potiùs illi & alteram præbere debes, quàm repercutere, quia repercuſſio rationem habet vindictæ, quæ in ſtatu civili omni jure prohibita eſt. Unde

XV.

Si quis poſt inflictam alapam fugiat, fugientem perſequi, & interficere haud licet. Nec adverſatur, quòd furem cum re meâ fugientem occidere poſſim, ſi illa aliter recuperari nequeat; nam hoc

caſu recupero rem meam in ſpecie extantem, in illo autem non recupero honorem ablatum ab eo, qui mihi alapam inflixit, ſed novum apud homines mundanos acquiro honorem, dum animoſitatem meam æſtimant in vindicandâ injuriâ mihi illatâ, qui novus honor videtur compenſare honorem ablatum, hic tamen honor non eſt licitè procurabilis, quia, ùt paulò antè dixi, vindicta privata in ſtatu civili prohibita eſt. Deinde ſi res ablata judicio recuperari poſſit, licitum non eſt furem occidere: ergo neque licitum eſt eum, qui poſt impactam alapam fugit, occidere, quia honor ablatus judicio recuperari poteſt. Meritò igitur Innocentius XI. contrariam ſententiam damnavit. Confer. P. Haunold *ſuprà cit. cap. 6. contr. 4. num. 657. & ſeqq.* Dn. P. Seybold *alleg.* §. *9. num. 7. & ſeqq.* Grot. *cit.* §. *10. num. 2.*

XVI.

Quintò objectum belli defenſivi conſtituunt bona fortunæ, quæ itidem etiam cum cæde injuſti aggreſſoris defendere fas eſt; aliàs enim miſera omnino foret conditio proborum, improbis verò animus creſceret furta, & rapinas committendi cum maximo præjudicio boni communis. Duo tamen concurrere debent. Primò ut bona illa ſint magni momenti, nam ad avertendum leve damnum licitum haud eſt injuſtum aggreſſorem occidere, hoc enim eſſet contra legem charitatis; quæ autem bona ſint magni momenti, hoc pro diverſitate perſonarum, & circumſtantiarum prudentûm arbitrio determinandum relinquitur. Secundò ut nulla probabilis ſpes ſit, illa, ſaltem citra grave damnum, aliter recuperandi, aut dubium ſit, utrùm illa aliter recuperari poſſint vel non. Hæc duo ſi concurrant, etiam pro defenſione bonorum fortunæ injuſtum aggreſſorem fas eſt occidere, modò interficiatur in continenti; ſi enim fur, aut raptor jam eſſet in pacatâ poſſeſſione, is pro recuperandâ re ablatâ ampliùs occidi haud poſſet, niſi fortè illa aliâ viâ non poſſet recuperari. Non adverſatur, quòd inter rem etiam magni momenti, & vitam nulla ſit æqualitas, cùm vita humana ſuperioris ſit ordinis, quàm ſint bona fortunæ; nam hanc inæqualitatem *favore innocentis, & odio raptoris, aut furis compenſari* ait Grot. §. *11.* Meliùs fortè dixeris, nullam quidem eſſe æqualitatem

litatem inter vitam, & bona fortunæ, ſi hæc præciſè inter ſe comparentur, eſſe autem æqualitatem inter injuſtam invaſionem rerum alienarum magni momenti bono communi adeò nocivam, & defenſionem cum interfectione aggreſſoris pro ſecuritate proborum contra fures, & raptores omnino neceſſariam, ſicut inter furtum & pænam ſuſpendii eſt proportio. Sufficit ergo, quòd interficiendo injuſtum aggreſſorem pro conſervandis bonis fortunæ magni momenti, quæ aliàs non ampliùs recuperari poſſent, nec contra juſtitiam nec contra charitatem proximi peccetur.

XVII.

Procedunt autem ea, quæ diximus, etiam de jure divino veteris teſtamenti. Separat quidem lex *Exod. 22. verſ. 2.* Hebræis data furem nocturnum à diurno, & ait: *Si fur effringens domum, ſive effodiens, fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis. Quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit & ipſe morietur.* At hoc non ita intelligi debet, quòd furem nocturnum ſemper, diurnum autem nunquam licitum ſit interficere: ſed hæc lex furem nocturnum ideo tantùm ſeparat à diurno, quia à fure nocturno plerumque res non poteſt aliter recuperari, eò quòd is ignotus ſit, aut, licèt fortè notus ſit, non tamen in judicio teſtibus convinci poteſt; à fure autem diurno plerumque res aliter poteſt recuperari. Unde ſi à fure nocturno res citra ejus interfectionem recuperari poſſit, licitum non eſt eundem interficere. Ex adverſo ſi à fure diurno res non poſſit aliter recuperari, fas eſt eundem occcidere. Leſs. *Lib. 2. cap. 9. Dubit. 11. num. 66.* Dn. P. Seybold. *ſuprà alleg. ſect. 7. §. 3. num. 14.* Diſſentit Grot. §. *12.* qui putat, directè rerum cauſâ interfici neminem poſſe, ſed tunc demum licitum eſſe invaſorem interficere, ſi quis, dum rem ſuam nititur retinere, aut occupatam extorquere, aut furem capere, is in periculum vitæ ſit adductus. Diſcrimen autem furis nocturni, & diurni in hoc poſitum eſſe, quòd pro eo, qui furem nocturnum occidit, ſtet præſumptio, quòd vitæ tuendæ cauſâ eundem interemerit, non autem pro eo, qui furem diurnum occidit.

XVIII.

Deinde procedunt etiam de jure divino novo, quæ enim jure naturæ permiſſa ſunt, etiam permiſſa ſunt jure divino novo; quippe quod in materia morali ea tantùm præcipit, aut prohibet, quæ præcipit, aut prohibet ipſum jus naturæ. Contrarium rurſus tenet Grot. §. *13.* ſed ut ipſe *num. 2.* fatetur, contra omnes fermè tam JCtos, quàm Theologos. Exiſtimat ille, rem etiam magni momenti dimittendam potiùs eſſe, quàm ut cum cæde invaſoris conſervetur, niſi fortè talis res ſit, ex qua vita noſtra, & familiæ noſtræ pendeat, quæque judicio recuperari nequeat, & ſpes ſit aliqua, ſine cæde rem abituram. Adducit is primò textum *Matth. 5. qui voluerit tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Sed hæc verba conſilium tantùm continent, non præceptum; nam contentiones judiciales utique non ſunt prohibitæ. Præterea Chriſtus exemplo *tunicæ* & *pallii* vult duntaxat innuere de rebus exigui momenti, quibus facilè carere poſſumus, non eſſe ſtatim in judicio contendendum, ſed potiùs ex virtute charitatis ſummo jure abſtinendum. Secundò provocat ad D. Paulum *1. ad Corinth. cap. 6.* ubi redarguit Corinthios, quòd coram judicibus infidelibus litigent. At Doctor Gentium pari modo non prohibet contentiones judiciales, ſed ſuos Corinthios tantùm hortatur, ut, ſi lis ſit inter eos, illam potiùs fideli decidendam committant, probroſum enim ipſis eſſe, eo nomine adire Gentiles, *quaſi nullus inter eos eſſet ſapiens, qui poſſet judicare inter fratrem ſuum.* Non ergo, ùt perperam ait Grot. Divus Paulus jubet, ut damnum injuſtum toleretur potiùs, quàm litigetur.

XIX.

Forma belli defenſivi conſiſtit in legitimâ propulſatione injuriæ. Ut autem propulſatio legitima ſit, duo requiruntur. Primò ut periculum ſit præſens; multùm enim, ùt rectè ait Grot. §. *5. num. 1.* falluntur, & fallunt, qui metum qualemcunque ad jus occupandæ interfectionis admittunt, nam *à metu plurimæ proficiſcuntur injuriæ, cùm is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo*, ùt loquitur Cicero *de offic. lib. 1.* Nemo tamen

men tenetur primùm ictum exſpectare, ſed ſufficit, ſi inſultator arma arripiat, ita ut appareat, eum id facere animo occidendi.

XX.

At quid ſi quis vim non jam præſentem intentet, ſed conjuráſſe, aut inſidiari e. g. venenum ſtruere compertus ſit, poterítne talis præveniendo jure interfici? Puto intereſſe, utrùm morali certitudine mihi conſtet, quòd is actu decreverit me interficere, vel non ita conſtet, ſed tantùm ſuſpicio ſit. Hoc caſu ille interfici haud poteſt: illo caſu porro refert, utrùm certum ſit, periculum aliter evadi poſſe, vel ex adverſo certum ſit, aliter evadi non poſſe, vel denique dubium ſit, utrùm aliter evadi poſſit vel non. Si certum ſit, periculum aliter evadi poſſe, nefas eſt eundem interficere. Si verò certum ſit, aliter evadi non poſſe, nec ulla appareat ſpes, quòd is pœnitentiâ ductus decretum ſuum ſit revocaturus, licitum erit eundem præveniendo interficere. Si denique dubium ſit, utrùm periculum mortis aliter evadi poſſit, vel non, putat Grot. *cit.* §. *5. num. 2.* illum jure interfici non poſſe, eò quòd plerumque interpoſita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam pateat caſus. Contrarium paſſim tenent Theologi, qui dicunt ſufficere, quòd perpenſis omnibus nulla appareat via evadendi mortem. Sic quoque ſi quis animo me occidendi advolaret cum ſclopeto breviore, fieri poſſet, quòd periculum mortis evaderem, ſi is fortè aberraret, nec tamen propterea teneor exſpectare, donec tam propè advenerit, ut me poſſit attingere, ſed ſi ſclopetum longius habeam, poſſum illum interficere, priusquàm tam propè advenerit, ut me poſſit attingere: ergo etiam in propoſito licitum eſt alterum occidere, etiamſi, quod tamen incertiſſimum eſt, fortè accidere poſſet, quòd aliâ viâ periculum mortis poſſem evadere; ſufficit enim, quòd penſatis omnibus de facto nulla alia evadendi via mihi appareat. Confer. P. Haunold. *ſuprà alleg. cap. 6. contr. 4. num. 634. & ſeqq.* & Dn. P. Seybold. *ſæpè cit. ſect. 7.* §. *2. num. 13. & duobus ſeqq.*

XXI.

XXI.

Diverſum obtinet, ſi alter falſam accuſationem, falſum teſtimonium, iniquum judicium adverſùs me moliatur; quamvìs enim de hoc certus forem, eundem tamen ad avertendum ejusmodi periculum interficere licitum haud eſt; niſi enim, qui me accuſare intendit, crimen probet, nullum mihi exinde imminet periculum, ſi ad probandum falſis velit uti teſtibus, adverſùs eos legitima defenſio parata eſt, contra judicem etiam, qui iniquam adverſùs me intendit ferre ſententiam, ſufficiunt remedia juris, ac proinde interfectio non eſt medium neceſſarium. Conſentiunt Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 9. Dubit. 8. num. 47.* Layman Theologiæ moral. *lib. 3. Tract. 3. Part. 3. cap. 5. num. 2. verſ. dicendum 3tiò.* Dn. P. Seybold. *cit. ſect. 7.* §. *8. num. 10.* Grot. *dict.* §. *5. num. 2.*

XXII.

Secundò ad legitimam propulſationem requiritur, ut ſervetur, moderamen inculpatæ tutelæ, hoc eſt, ut injuſto aggreſſori non inferatur majus damnum, quàm neceſſe ſit ad depellendum periculum, ac proinde ſi defenſio fieri poſſit ſine ejus interfectione, is interfici haud poteſt. Planè in ſtatu naturali etiam ultio ſumi poteſt, modò non ſumatur major, quàm alter propter illatam injuriam fuerit promeritus.

XXIII.

Effectus belli defenſivi ſtat in eo, quòd is, qui ſe, ſuáque legitimo modo defendit, hoc jure feciſſe dicatur: ſi autem moderamen inculpatæ tutelæ exceſſerit, is pro modo exceſſûs punibilis ſit.

XXIV.

Ad affinia referri poteſt duellum, quippe quod falſâ hominum mundanorum opinione ſpeciem defenſionis honoris præſefert. Eſt autem duellum extra paucos caſus in ſtatu civili omni jure prohibitum. Dixi *extra paucos caſus*, quorum *primus* eſt, ſi injuſtus aggreſſor invaſo licentiam concedat dimicandi, alioquin eum ſine dimicatione occiſurus; nam hoc caſu ex parte invaſi meram, & ſimplicem habet naturam defenſionis

vitæ.

vitæ. *Secundus* eſt, ſi Rex, aut Magiſtratus duos mortem meritos inter ſe committat; nam hoc caſu uterque reus in alterum conſtituitur executor juſtitiæ, ita ut victori condonetur vita. Interim tamen is, qui juſſit, minùs rectè ſuo functus eſt officio; vel enim uterque ultimo afficiendus erat ſupplicio, ut ſatisfieret juſtitiæ vindicativæ, vel ſi unius ſupplicium ſufficere videbatur, ſatiùs erat ſorte eligi moriturum. *Tertius* eſt, ſi miles ex conſenſu Ducis exemplo Davidis oblatum ab hoſte acceptet duellum, modò bellum ex parte acceptantis ſit juſtum; ſi enim is hoſtem extra duellum aggredi poteſt, eundem etiam aggredi poteſt acceptando duellum. Dixi porro *in ſtatu civili*; nam ex quibus cauſis Respublica juſtum, piúmque adverſùs alterum bellum gerere poteſt, ex iisdem cauſis etiam privatus in ſtatu naturali nullius imperio ſubjectus duellum ſuſcipere poteſt; nam quod jus habet Respublica ad vindicandam injuriam, idem jus etiam habet privatus extra Rempublicam vivens, & nullius imperio ſubjectus. Grot. §. *15*. Leſs. *ubi ſuprà num. 49.*

XXV.

Unica adhuc ſupereſt quæſtio, quam A. *in hoc cap.* §.*14*. proponit, ſcilicet, an non lex ſaltem civilis, ut jus habens vitæ, ac necis, ſi quo caſu permittat furem interfici à privato, ſimul etiam præſtet, ut id ab omni culpâ ſit liberum? Quod is minimè concedendum eſſe arbitratur, eò quòd lex jus necis non habeat in omnes cives ex quovis delicto, ſed demum ex delicto tam gravi, ut mortem mereatur. Rectè; ſed gravitas delicti non ex ſolâ materiâ culpæ, ſed potiùs ex variis rerum circumſtantiis deſumenda eſt; poteſt enim delictum in ſe leve adeò creſcere, ut ad obtinendam quietem, & tranquillitatem Reipublicæ neceſſe omnino ſit ad extremum rigoris gradum decurrere, & pœnas non capitales convertere in capitales. Sanè ſi læſo datur adverſùs lædentem facultas quædam moralis in infinitum, ùt loquitur A. §. *10*. *num. 1*. etiam Reipublicæ læſæ dabitur jus adverſùs lædentem in infinitum, hoc eſt, ad omne id, quod neceſſarium eſt ad quietem & tranquillitatem publicam tuendam, & conſervandam, ac proinde ſi pœnæ non capitales ſufficientes haud ſint, poteſt legislator eas convertere in capitales; nam poteſtas, quam Deus dedit Reipublicæ, puniendi

delicta pœnâ condignâ, non eſt reſtricta ad certum genus pœnarum, ſed eſt data illimitata, prout videlicet exiget utilitas Reipublicæ. Subſumit jam is, & ait, fas non eſſe, quemquam ad mortem damnare, niſi ob delicta, quæ lex per Moyſen data morte punivit, aut quæ his rectâ æſtimatione ſunt paria, atque hoc ex ſententia Scoti, quam valde probabilem eſſe pronuntiat. Sed hæc ſententia nullo modo defendi poteſt; nam primò quævis pars eſt propter totum, ac proinde ob totius incolumitatem exſcindi poteſt: cùm ergo ſinguli delinquentes ſint pars Reipublicæ, poſſunt illi ob ejus incolumitatem occidi. Deinde lex Moſaica forenſis ſoli populo Judaico erat lata, & promulgata: ergo ex intentione Dei aliam gentem præter Iſraëlitas non obligavit. Extinctâ igitur Republicâ Judaicâ ſimul deſierunt leges forenſes omnes, quæ illam Rempublicam pro conditione loci, temporis, & Gentis beatam redere intenderunt. Morale quidem in his legibus eſt, quòd turbantes ſocietatem generis humani furtis, cædibus, latrociniis, aliiſve delictis puniendi ſint, ſed determinatio certæ alicujus pœnæ ad leges pertinet forenſes cujusque Reipublicæ, nec neceſſe eſt, ut ſemper cum legibus Hebraicis conveniant, quæ ad id tantùm conducunt, ut exinde colligamus, pœnas lege Hebræá determinatas non eſſe contra jus naturæ. Pergit A. porro, & ait, quòd lex non debeat, nec ſoleat jus dare, etiam eos, qui mortem meruerunt, privatim interficiendi, niſi in criminibus valde atrocibus; alioquin fruſtra inſtituta eſſet judiciorum authoritas: ſed hoc tantùm verum eſt de interfectione delinquentis per modum pœnæ, non verò de interfectione, quæ neceſſaria eſt ad res noſtras conſervandas. Denique ſubjungit, quod, ſi quando lex impunè furem interfici poſſe dicat, pœnam quidem tollat, non verò jus etiam det, ſeu aliquem in conſcientia ſecurum reddat. At ipſe *ſuprà lib. 1. cap. 3. §. 2. num. 2.* dixit, legem Hebræam, quæ cædem furis nocturni permittit, non tantùm impunitatem inducere, ſed & in æquitate naturali fundatam eſſe. Cum hac autem lege Hebræâ convenit lex 12. Tabb. ergo & hæc occidentem in conſcientia ſecurum reddebat. Dicendum igitur, ſi lex civilis cædem furis in illis circumſtantiis permittat ipſum jus naturale, quòd tunc interfector etiam in conſcientia tutus ſit: ſi autem extra terminos juris

ris naturalis ejus interfectionem permittat, quòd tantùm in foro externo impunitatem inducat, non etiam in foro conſcientiæ occiſionem licitam reddat.

CAPUT II.

De his, quæ hominibus communiter competunt.

SUMMARIA.

I. *Injuria jam facta vel reſpicit id, quod noſtrum eſt vel quod nobis debetur; noſtrum autem aliud eſt commune hominum jure, aliud ſingulari.*

II. *Initio generis humani omnia communia, & indiviſa erant omnibus.*

III. *Ab hac tamen primævâ rerum communione potuerunt homines licitè recedere; imò poſt multiplicatum genus humanum neceſſitas poſtulabat, ut recederent.*

IV. *Probabile tamen eſt, eos pacto tacito potiùs, quàm conſenſu expreſſo ab ea receſſiſſe.*

V. *Occupatio vel fit per univerſitatem, vel per ſingulos.*

VI. *Quamvis mare non tantùm internum, ſed & externum per ſe dominii humani capax ſit, moraliter tamen fieri non poteſt, ut integer Oceanus abeat in jus proprium diverſarum etiam Gentium.*

VII. *Qui imperium in terras, & aquas habet, poteſt ex juſtâ causâ promiſcuam venationem, & piſcationem prohibere, adeò ut, qui contra ejus prohibitionem venatur, aut piſcatur, ne quidem dominus fiat.*

VIII. *Quamvis à primæva rerum communione fuerit receſſum, jus tamen quoddam hominibus commune in res alienas remanſit.*

IX. *Et quidem primò in caſu extremæ neceſſitatis; hoc tamen jus non oritur ex eo, quòd dominus ex lege charitatis rem egenti dare teneatur.*

X. *Quisnam dicatur in extremâ neceſſitate conſtitutus eſſe?*

XI. *Idem dicendum de quaſi extremâ neceſſitate.*

XII. *Aliud autem obtinet in gravi neceſſitate.*

XIII. *In extremâ vel quaſi extremâ neceſſitate conſtitutus non eſt, qui aliâ viâ neceſſitati occurrere poteſt, annexâ ſimul aliâ cautione.*

XIV. *Jus in extremâ vel quaſi extremâ neceſſitate rebus alienis utendi annexam habet obligationem, ceſſante neceſſitate, reſtituendi, ſi fieri poſſit.*

XV. *Quidſi res, cujus uſus non ſtat in abuſu, perierit?*

XVI. *Secundò jus hominibus in res alienas communiter competit ad utilitatem, quâ nihil alteri decedit.*

XVII. *Unde prætervehentibus ad littus appellere, & ibi valetudinis, vel aquandi cauſâ aliquantiſper morari licet.*

XVIII. *Utrùm perpetua habitatio exteris, qui ſedibus ſuis expulſi receptum quærunt, denegari poſſit?*

XIX. *Utrùm loca deſerta intra territorium, invito Imperante, ab exteris occupari poſſint?*

XX. *Omnes habent jus ad comparanda ea, ſine quibus vita commodè duci nequit, ſi tamen ejusmodi rebus ipſi incolæ indigeant, venditio prohiberi poteſt.*

XXI. *Utrùm in gravi penuriâ rerum ad vitam neceſſariarum peregrini expelli poſſint?*

XXII. *Prohiberi poteſt, ne exteri merces ſuas importent.*

XXIII. *Quamvis omnes liberam habeant facultatem ambiendi matrimonia apud vicinas Gentes, ex juſtâ tamen cauſâ exteris connubia negari poſſunt.*

XXIV. *Ab actibus, quos populus aliquis ex vi naturalis libertatis omnibus promiſcuè permittit, non poteſt citra juſtam cauſam unus populus excludi.*

XXV. *Utrùm alicui populo cum altero liceat paciſci, ut certi generis fructus ſibi ſoli vendat?*

I.

INjuriam jam factam vel bello reparamus, vel vindicamus. Agemus primò de bello reparatorio. Reſpicit autem injuria vel id, quod noſtrum eſt, vel quod nobis debetur. Noſtrum aliud eſt communi hominum jure, aliud ſingulari. Jus, quod hominibus commune eſt, aut eſt directè in rem corporalem, aut ad actus aliquos. Res corporales aut vacuæ ſunt à proprietate, aut jam aliquorum

quorum ſunt propriæ. Res à proprietate vacuæ aut tales ſunt, ut propriæ fieri poſſint, aut ut non poſſint. Ita A. §. *1.*

II.

Initio quidem generis humani, ùt Juſtin. *lib. 43.* loquitur, omnia communia, & indiviſa erant omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet, ita ut quisque ad ſuos uſus arripere poſſet, quod vellet, &, quæ conſumi poterant, conſumere, quod autem quisque ſibi arripuerat, id ei citra injuriam alter eripere non poterat: poſtquam verò eo deſiit uti, id rurſus à quovis ad ſuos uſus apprehendi potuit, quod A. optimè ſimilitudine theatri declarat; quamvis enim hoc commune ſit, *rectè tamen*, inquit Cicero *de finib. 3. dici poteſt, ejus eſſe eum locum, quem quisque occupârit, aliâ tamen vice rurſus eundem quisque alius occupare poteſt.* Deus igitur *Geneſ. 1. vers. 28.* dominium rerum creatarum hujus inferioris naturæ non ſolis protoplaſtis, excluſis ab ejus communione omnibus aliis, ùt perperam nonnulli contendunt, ſed univerſo humano generi conceſſit; uti enim verba: *replete terram*, non ad ſolum Adamum, & & Evam, ſed & ad omnes eorum poſteros pertinent, ita etiam quæ immediatè ſequuntur: *Subjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, non ad ſolos protoplaſtos, ſed ſimul ad omnes eorum poſteros pertinere neceſſe eſt. Ita cum communi Theologorum ſententia Dn. Braun *de Domin. cap. 4.* §. *1. num. 1. & ſeqq.* Adde Grot. §. *2. num. 1.* ubi tamen falſò aſſerit, in primis, parentibus ignorationem magis vitiorum, quàm cognitionem virtutis fuiſſe.

III.

Quamvis autem Auctor naturæ non ſolis protoplaſtis, ſed toti generi humano in omnes res ſublunares contulerit dominium, ita ut ſinguli ad ſuos uſus arripere poſſent, quod vellent, non tamen præcepit, ut hic ſtatus perpetuò maneret, nec prohibuit, ne diviſio rerum per homines introduceretur, ac proinde potuerunt illi ab hac primævâ rerum communione licitè recedere; imò poſt multiplicatum genus humanum neceſſitas poſtulabat, ut recederent, & diviſionem rerum inſtituerent tanquam medium neceſſarium ad

 conſer-

conſervandam pacem, & tranquillitatem humanæ ſocietatis, aliàs ſanè mundus perpetuis arderet contentionibus & impleretur cædibus, cùmque pauci forent, qui in commune laborarent, ſequeretur penuria, & rerum egeſtas. Ab hac autem communione non impetu quodam ſed paulatim receſſum eſt, & quidem in rebus, quarum uſus conſiſtit in abuſu, ùt cibo, & potu, proprietas ſtatim ab uſu non ſejuncta emicuit, poſtea res, quæ uſu utentis ſaltem deteriores fiunt, ùt ſunt veſtes, in jus proprietatis ceſſerunt, tandem & cæteræ. Ita rurſus cum communi Theologorum ſententia Dn. Braun. *cit. cap. 4.* §. *2. num. 1. & ſeqq.* & Dn. P. Seybold *de Republ. Chriſtian. Part. 5.* §. *1. num. 3. & ſeqq.* Adde Grot. *de Mar. lib. cap. 5.*

IV.

Et licèt, orto inter paſtores Abrahami, & Lothi jurgio, paſcua expreſſo utriusque conſenſu fuerint diviſa, ùt conſtat ex *Geneſ. cap. 13.* ubi Abrahamus Lotho optionem dedit, ut dexteram, vel ſiniſtram partem regionis ſibi eligeret, non tamen fuit neceſſe, ut diviſio rerum fieret communi hominum conſenſu expreſſo, ſed potiùs pacto tacito à primævâ rerum communione receſſum fuiſſe probabile eſt; quamprimùm enim communio diſplicuit, nec inſtituta fuit diviſio, cenſeri debet inter omnes conveniſſe, ut, quod quisque occupáſſet, id proprium haberet, ùt rectè ait Grot. *cit.* §. *2. num. 5.*

V.

Eſt autem occupatio duplex, una per univerſitatem, altera per fundos. Prior ſolet fieri per populum, aut eum, qui populo imperat occupando ſcilicet integrum tractum terræ à proprietate vacuum, per naturam, aut arbitrio hominum circumſcriptum. Poſterior verò fit per ſingulos, dum ex tali tractu univerſim occupato pars ſingulis occupanda conceditur: quia autem hoc turbis, & contentionibus anſam præbere poteſt, ideo plerúmque ſingulis ſua pars aſſignari ſolet. Quòd ſi quid univerſim occupatum in ſingulos diſtributum non ſit, id manet in dominio primi occupantis populi, aut Regis, veluti ſunt flumina, lacus, montes aſperi &c. Grot. §. 4. His præmiſſis

VI.

Famoſam jam §. 1. proponit quæſtionem, an ſcilicet mare in jus proprium tranſire poſſit? Quod is negat duplici motus ratione. Prima eſt, quòd cauſa, propter quam à communione receſſum eſt, in propoſito ceſſet, cùm tanta ſit maris magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat. Idem *num.* 2. dicendum eſſe putat de ſyrtibus, quarum uſus unicus conſiſtit in petendis inde arenis, qui itidem exhauriri nequit. Altera ratio eſt, quòd mare non poſſit occupari, cùm occupatio non procedat niſi in re terminabili, mare autem eſſe interminabile, quia liquida non terminantur, niſi ùt contenta in re aliâ, mare verò, ait, terrâ non contineri, utpote terrâ majus, aut ſaltem terræ par. At plurimi ab hac ſententiâ diſſentiunt, quibus neutra ratio videtur eſſe efficax. Non prima, quia etiam terræ tanta eſt magnitudo, ut omnium hominum, ac populorum uſibus poſſit ſufficere, & tamen per partes potuit occupari, & fuit occupata: ergo ſola vaſtitas, & magnitudo maris non obſtat, quò minùs etiam hoc per partes à diverſis populis poſſit occupari, & perinde ùt terra in jus proprium abire. Deinde ex hoc, quòd maris tanta ſit magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat, contrarium potiùs inferri poſſe arbitrantur; tametſi enim unus aut alter populus certam maris partem occupet, injuriam tamen aliis non infert, cùm ſemper tantum ſuperfuturum ſit, quantum ſatis eſt aliorum uſibus. Denique falſum eſſe dicunt, quod mare abſolutè ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat, velut patet in piſcatione, & collectione rerum in mari naſcentium; conſtat enim, certi generis piſces non ubique, ſed in certâ tantùm maris parte capi. Similiter margaritæ, corallia &c. non ubique naſcuntur, & repetiuntur. Sed nec altera ratio ipſis videtur eſſe efficax, negant enim mare eſſe interminabile; nam quamvis non ſatis conſtet, utrùm ſuperficies aquæ minor ſit ſuperficie terræ, eò quòd plurimæ regiones verſùs polum arcticum, & antarcticum nobis adhuc ſint incognitæ, ſaltem moles aquæ multò minor eſt, quàm moles terræ: ergo moles terræ continet, & terminat molem aquæ. Deinde licèt una pars maris non ſeparetur ab alterâ termino proprio, & vero, poſſunt tamen ab invicem ſeparari

parari termino alieno, & ficto; dantur enim promontoria, inſulæ, brevia, ſcopuli eminentes, ex quibus ſumi poſſunt lineæ ad terminandas maris regiones, aut ſi talia non occurrant, regiones maritimæ ſaltem ex graduum cæleſtium longitudine & latitudine diſtingui poſſunt. In hoc conflictu mihi mediâ viâ incedendum, ac dicendum eſſe videtur, quòd non tantùm mare internum, ſed etiam externum ſeu vaſtus Oceanus ex naturâ rei quidem, & per ſe dominii humani ſit capax, interim tamen moraliter impoſſibile eſſe, ut integrum mare abeat in jus proprium diverſarum etiam Gentium; nam ut res à proprietate vacua actu fiat alicujus propria, ſatìs non eſt eandem ex natura rei, & per ſe dominii humani capacem eſſe, ſed neceſſe eſt, ut etiam occupetur, & occupata cuſtodiatur, ita ut cæteri ab ejus uſu arceri poſſint; proprietas enim includit jus alios ab eâ re, quo alicujus propria facta eſt, repellendi, quod ſanè inutile foret, niſi adverſùs alios in actum poſſet deduci. Atqui moraliter impoſſibile eſſe videtur, ut univerſum mare à pluribus etiam Gentibus occupetur, & occupatum ita cuſtodiatur, ut cæteræ ab ejus uſu arceri poſſint; tametſi enim poſſibile foret; quod tamen maximè dubium eſt; ut plures Gentes integrum mare per diverſas partes occupare poſſent, moraliter tamen impoſſibile eſſe arbitror, ut quælibet Gens partem, quam occupavit, ita cuſtodire queat, ut poſſit cæteras Gentes ab ejus uſu arcere, non unâ enim duntaxat claſſe armatâ quælibet ad hoc perpetuò opus haberet. Confer. Thomas. *Jurisprud. divin. lib. 2. cap. 10. à §. 122. usque ad §. 137.* & ad Huber. *de Jur. civit. lib. 2. ſect. 4. cap. 2. ad num. 43.*

VII.

Progredimur jam ad ea, quæ propria fieri poſſunt, nondum tamen propria facta ſunt, veluti ſunt feræ, piſces, aves &c. Quamvis autem feras, piſces, & aves capere jure naturæ omnibus ſit permiſſum, poteſt tamen is, qui imperium in terras, & aquas habet, promiſcuam venationem, & piſcationem ex juſtâ cauſâ lege ſuâ prohibere, adeò ut qui contra ejus prohibitionem venantur, aut piſcantur, ne quidem Domini fiant ejus, quod ceperunt. Ratio prioris eſt, quia jus naturæ non præcipit, ut omnes venari, aut piſcari poſſint, ſed tantùm eò usque permittit, donec à legiſlatore humano

ex

ex juſtâ cauſâ non fuerit ſtatutum contrarium, quod ſi factum ſit, ipſum jus naturæ jubet, ut lex civilis obſervetur. Ratio verò poſterioris eſt, quia legislator civilis poteſt ex juſtâ cauſâ auferre jus jam quæſitum, velut patet ex lege uſucapionis: ergo multò magìs poteſt is impedire jus acquirendum. Deinde poteſt is voluntates ſubditorum ita inhabilitare, ut ſint ineptæ ad dominium transferendum, velut defacto inhabilitavit voluntatem pupillorum, minorum, ac id genus perſonarum: ergo poteſt etiam voluntates ſubditorum ita inhabilitare, ut ſint ineptæ ad dominium acquirendum, ac per conſequens impedire, ut, qui contra prohibitionem venantur, ne quidem domini fiant feræ captæ. Certè occupatio non tribuit dominium feræ, niſi is, qui occupat, velit ejus dominium acquirere: ergo ſi legislator civilis ejus voluntatem inefficacem reddat ad acquirendum dominium, occupatio non conferet ei dominium. Tenentur autem lege venationis prohibitivâ etiam exteri, quia legislator non aliter exteros cenſetur in ſuum territorium admittere velle, quàm ſi tamdiu, quamdiu ibi morantur, ſe ſubjiciant ejus jurisdictioni, & legibus, ac proinde intrando ultrò ſe ſubjiciunt, & fiunt ejus ſubditi temporarii. Grot. §. *5.* Dn. Braun. *de Venat. num. 13. & 14.*

VIII.

Cæterùm tametſi à primævá rerum communione fuerit receſſum, & dominium ſingulare introductum, non tamen proprietas jus omne, quod ex communi hominum ſtatu naſcebatur, abſorpſit, ſed nihilominùs in res, quæ aliorum propriæ ſunt factæ, jus quoddam hominibus commune remanſit, & quidem primò in caſu extremæ neceſſitatis, deinde ad innoxiam utilitatem; cùm mens eorum, qui primi dominia rerum introduxerunt, credenda ſit talis fuiſſe, ut quàm minimùm ab æquitate naturali recederet. Exigit autem hæc, ut jus dominii, & proprietatis cum hac duplici exceptione intelligatur. Grot. §. *6. num. 1.*

IX.

Qui igitur in extrema neceſſitate conſtitutus eſt, jus habet rebus alienis utendi, nec, ſi utatur, is furtum, aut rapinam committit; omnes

enim res inferioris naturæ eum in finem ſunt creatæ, ut hominibus ſervirent ad tuendam & conſervandam vitam, quem finem diviſio rerum, & introductio dominiorum non potuit tollere: ergo ſi vitam non poſſim aliter tueri, & conſervare, quàm ſi rem alienam ad uſum meum arripiam, poſſum illam arripere, perinde ac ſi bonorum diviſio nunquam fuiſſet facta, & dominium ſingulare introductum. Sunt, qui conſtitutum in extremâ neceſſitate ideo rem alienam ad ſuum uſum arripere poſſe dicunt, quia rei dominus ex lege charitatis eam egenti dare tenetur. At malè; poteſt enim aliquis ex charitate eſſe obligatus ad dandum alteri, quin is jure poſſit accipere. Sic divites tenentur quandoque ex charitate dare eleemoſynam pauperibus in communi neceſſitate conſtitutis, & tamen pauperes non habent jus accipiendi: & ex adverſo poteſt natura dare jus accipiendi, licèt alter non obligetur ex charitate ad dandum; ſic ſi equus alienus ſit medium neceſſarium ad fugiendum hoſtem inſequentem, qui me vult interficere, conſtitutus in tali extremâ neceſſitate poſſum accipere equum: ſi tamen ejus dominus grave exinde pateretur damnum, non tenetur is ex charitate eundem mihi dare; durius enim eſt obligari ad ſpoliandum ſe ipſum in favorem alterius, quàm ad ferendam ſpoliationem obligari. Confer. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. Tract. 2. cap. 3. Contr. 4. num. 346.* Grot. *cit.* §. *6. num. 4.*

X.

Dicitur autem in extremâ neceſſitate non ille tantùm eſſe conſtitutus, cui imminet periculum mortis, ſed etiam, cui imminet periculum incurrendi morbum incurabilem, vel amittendi membrum aliquod ex principalibus, aut ſenſum corporis vel uſum rationis, modò tale periculum ſit moraliter certum; non enim quæcunque probabilitas videtur ſufficere, ùt rectè tradit Dn. P. Seybold *de Republ. Chriſtian. Part. 6.* §. *1. num. 3.* Ratio eſt, quia dominus tamdiu ab uſu rei ſuæ jure me impedire poteſt, quamdiu non eſt certum, quòd in extremâ neceſſitate ſim conſtitutus: atqui ſi tale periculum tantùm probabile ſit, non eſt certum, quòd in extremâ neceſſitate ſim conſtitutus: ergo ab uſu rei ſuæ jure me impedire poteſt. Si autem is jûs habet me impediendi ab uſu rei ſuæ, non

poſſum

poſſum ego habere jus re alienâ utendi; aliàs darentur duo jura ſibi contraria, quod implicat.

XI.

Cæterùm quod diximus de extremâ neceſſitate, idem etiam de quaſi extremâ, ſeu tali, quæ proximè ad extremam accedit, poſt alios dicendum eſſe putant P. Haunold. *ubi ſuprà num. 347. & ſeqq.* & Dn. P. Seybold *cit. Part. 6.* §. *2. num. 5. & 6.* Vocant autem neceſſitatem quaſi extremam, ſi alicui periculum moraliter certum immineat amittendi ſanitatem, libertatem, vel aliud ſimile bonum permagnum à naturâ per ſe, & communiter omnibus hominibus conceſſum; uti enim natura ejusmodi bona cum tantâ providentiâ omnibus hominibus conceſſit, ita etiam videtur voluiſſe, ut ad neceſſariam eorum defenſionem omnia ſint communia, ita tamen, ut conſtitutus in tali neceſſitate non excedat media ordinaria, & communia, quibus homines communiter ejusmodi neceſſitatibus occurrere ſolent.

XII.

Aliud dicendum eſt de gravi neceſſitate in ordine ad alia bona, quæ natura non ita communiter hominibus conceſſit, v. g. ſi ſit, periculum cadendi à ſtatu nobilitatis, aut magnæ dignitatis, vel excidendi è gratiâ Principis &c. nam hoc ipſo, quòd talia bona non ſint à naturâ hominibus communiter conceſſa, nón cenſetur Deus voluiſſe, ut illa cum gravi damno alterius innocentis defendi poſſint. Certè natura non produxit hunc, vel alium hominem ut in ſtatu ſuperiore vivat, & deliciis, opibus, ac divitiis affluat, ſed ſolùm ut vivat, & neceſſaria habeat, quibus vitam poſſit conſervare. P. Haunold. *ubi ſuprà num. 348.* & Dn. P. Seybold *cit.* §. *2. num. 8. & ſeqq.*

XIII.

Non aliter autem cenſetur aliquis in extremâ, vel quaſi extremâ neceſſitate conſtitutus eſſe, quàm ſi aliâ viâ non poſſit occurrere neceſſitati; unde ſi vel adeundo Magiſtratum, vel à domino precibus fortè uſum rei obtinere poſſit, neutiquam licitum eſt aliena

ſurripere. Deinde tametſi aliquis in tantâ neceſſitate ſit conſtitutus, ſi tamen ipſe poſſeſſor pari neceſſitate prematur, non eſt permiſſum, rem eidem eripere, quia in pari cauſá melior eſt conditio poſſidentis; nam nec in ſtatu primævæ rerum communionis alter mihi eâdem inopiâ preſſo rem occupatam citra injuriam auferre poſſet. Grot. §. *7.* & *8.* Dn. P. Seybold *cit. Part. 6.* §. *1. num. 10.* & *11.*

XIV.

Quanquam autem in extremâ, vel quaſi extremâ neceſſitate res omnes inferioris naturæ communes ſint, hoc tamen non aliter procedit, quàm cum annexâ obligatione, ceſſante neceſſitate, vel rem, ſi adhuc extet, vel ſi conſumpta ſit, ejus pretium, ſi fieri poſſit, reſtituendi, licèt enim in tali neceſſitate conſtitutus jus habeat, rebus alienis utendi, majus tamen jus non habet, quàm quatenus opus eſt ad evadendam illam neceſſitatem, cùm æquitas naturalis non patiatur, ut ultrà, quàm neceſſe eſt, diviſioni, & diſtinctioni dominiorum derogetur: atqui ad evadendam talem neceſſitatem ſufficit, ſi res communes ſint cum annexâ obligatione, ceſſante neceſſitate, ſi fieri poſſit, reſtituendi: ergo &c. Grot. §. *9.* Dn. P. Seybold *cit. Part. 6.* §. *3.*

XV.

Non ſatìs expeditum eſt, quid dicendum ſit, ſi res, cujus uſus non ſtat in abuſu, non extet, ſed perierit, v. g. in extremo periculo accepi equum alienum, ut fugerem hoſtem inſequentem, qui me volebat interficere, evaſi quidem periculum, at equus periit, utrùm ejus æſtimationem tenear reſtituere? In hoc dubio Leſs. *lib. 2. de J.* & *J. cap. 16. Dubit. 1. num. 10.* intereſſe putat, utrùm fuerit probabile periculum, equum periturum eſſe, vel non. Illo caſu arbitratur, me obligatum eſſe ad ſolvendum pretium equi, eò quòd non plus juris mihi in re alterius vindicare queam, quàm alter tenebatur concedere: non tenebatur autem dominus in tali caſu abſque onere reſtitutionis equum ſuum mihi concedere, unde ait, quòd nec videar ego ſine tali onere eundem accepiſſe. Hoc autem caſu cenſet ille, quòd non teneat ſolvere pretium, cùm interitus

teritus equi videatur eſſe merè fortuitus. Ita Leſſius. Fortè ſi non meliùs, ſaltem clariùs dixeris, intereſſe, utrùm uſus equi cauſa fuerit interitûs, vel non. Si cauſa fuerit, ſolvere teneor æſtimationem equi; ſi verò non fuerit cauſa, licèt fuerit occaſio, non teneor ſolvere; ſi enim uſus fuerit cauſa interitûs, tunc interitus equi perinde, ùt in rebus uſu conſumptibilibus, per ſe connexus eſt cum uſu: ſi verò uſus equi non fuerit cauſa interitûs, tunc interitus non niſi per accidens cum uſu rei eſt connexus, ac proinde merè fortuitus. Hactenus de jure neceſſitatis.

XVI.

Alterum eſt innoxiæ utilitatis, nam & uſus rei alienæ innoxius, ſeu qui alteri prodeſt, domino autem non nocet, ab iis, qui primi dominia rerum introduxerunt, exceptus fuiſſe cenſetur. Sic licèt flumen proprium ſit populi, intra cujus fines fluit, vel ejus, in cujus ditione eſt populus, nemo tamen prohiberi poteſt, quò minùs ex flumine ad bibendum, aut lavandum aquam hauriat. Sic etiam terræ, & flumina, & ſi qua pars maris in proprietatem populi alicujus venit, patere debent illis, qui tranſitu opus habent, modò ob juſtam cauſam tranſire velint, veluti ſi finibus ſuis expulſi terras vacuas quærant, aut ſi commercium expetant cum Gente remotâ, vel etiam ſi, quod ſuum eſt, juſto bello petant, & quidem ſi pauci, & inermes tranſire, ſuóque ſumptu victitare velint, res dubio caret. At quid ſiquis cum integro exercitu per territorium alienum tranſire velit? Etiam hoc caſu tranſitum ex juſtâ cauſâ petenti (non enim ſtatim vi perrumpendum eſt) niſi prudens, & probabilis ſit metus, eundem non fore innoxium, tranſitum deberi diximus in Jure noſtro Publico univerſali, ubi ſimul alias duas P. 4. c. 1.
quæſtiones diſcuſſimus. Prima eſt, utrùm non minùs mercibus, §. 2. n. 15.
quàm perſonis tranſitus debeatur? Altera, utrùm mercibus tran- & 16.
ſeuntibus vectigalia imponi poſſint? Unde lectorem eò remitti- P. 3. c. 2.
mus, ne, quod alibi diximus, hoc loco repetamus. §. 2. n. 9.

XVII.

Sic quoque prætervehentibus ad littus appellere, & ibi valetudinis, aquandi, aliáve juſtâ ex cauſâ aliquantiſper morari, eúmque

in finem tugurium quoddam momentaneum ponere prohibitum non eſt, tametſi littus, in alicujus populi dominio exiſtat. Unde meritò Ilioneus, cùm Trojani in terra Africa conſiſtere vetarentur, apud Virgil. *lib. 1.* Æneid. ita queſtus eſt:

Quod genus hoc hominum? quæve hæc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primáque vetant conſiſtere terrâ.
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma;
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Ut autem oſtenderet, appulſum fore innoxium, præmiſerat:

Non nos aut ferro Lybicos populare Penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Conſtat quidem, quòd ſuper appulſu ad littora, & portus inter Gentes etiam certa pacta quandoque intercedant; at ex hoc perperam infertur, eorum uſum non deberi jure humanæ ſocietatis, quin etiam tolerabile quoddam tributum eo nomine Gentibus non diſplicuiſſe videmus, adeò ut etiam pro anchoris jaciendis aliquid ſubinde ſtipulari ſoleant. Interim tamen humanitati parùm congruit, ut etiam illi, qui vi tempeſtatis ad littus noſtrum appulſi ſunt, pro appulſu, & littoris uſu aliquid ſolvere cogantur, cùm afflictis non ſit addenda afflictio. Planè ſi probabile periculum ſit, appulſum non fore innoxium, veluti ſi ad littus noſtrum appellere vellent, qui contagione infecti ſunt, aut ſaltem ex loco contagione infecto veniunt, tales utique jure repelli poſſunt. Vide Grot. §. *15. & illi* Bœcler. adde Puffendorf. *lib. 3. cap. 3.* §. *8.*

XVIII.

Sed nec perpetuam habitationem exteris, qui ſedibus ſuis expulſi receptum quærunt, denegandam eſſe putat Grot. §. *16.* modò imperium ſubire & ita ſe componere velint, ne ſeditionibus præbeatur materia. Verùm etſi humanitatis ſit, paucos quoſdam ſedibus ſuis non ſceleris cauſâ expulſos recipere, præſertim ſi induſtrii, aut opulenti ſint, nec ſacra noſtra, & inſtituta turbaturi, ita magnam aliquam multitudinem, armatam cumprimìs, & bellicoſam velut ex debito recipiendam eſſe nemo dixerit; cùm fieri vix

poſſit,

poſſit, ut veteribus incolis ab iſtis non immineat periculum. Quantum igitur hac in parte exteris ſit indulgendum, quælibet civitas ex ſuo uſu conſtituet, ut rectè Puffendorf. *cit. cap. 3.* §. *10*.

XIX.

Quin ſi quid intra territorium noſtrum ſit deſerti, ac ſterilis ſoli, illud à peregrinis etiam ultrò occupari poſſe arbitratur Grot. §. *17* cùm illud, quod non excolitur, non niſi quoad imperium occupatum cenſeri debeat, imperium autem nobis manere ſalvum. At primò falſum eſt, id, quod non excolitur, non niſi quoad imperium occupatum cenſeri; ſi enim occupatum eſt, hoc ipſo etiam quoad dominium occupatum eſſe cenſetur, cùm occupatio ſuápte naturâ non tantùm imperium, ſed & dominium occupanti conferat. Deinde ipſe *ſuprà* §. *4*. dixit, ſi quid per univerſitatem occupatum in ſingulos diſtributum non ſit, quò etiam refert montes aſperos, id non eſſe à proprietate vacuum, ſed manere in dominio primi occupantis populi, aut Regis: ergo ſi integer terræ tractus per univerſitatem ſit occupatus, loca deſerta & ſterilia intra tale territorium non ſunt à proprietate vacua, ſed manent in dominio primi occupantis. Denique ſi imperium nobis ſalvum manet, hoc ipſo ſequitur ejusmodi loca déſerta, & ſterilia ſine noſtro conſenſu occupari haud poſſe, cùm non ex uno tantum capite noſtrâ poſſit intereſſe, ne ab aliis pro lubitu occupentur, ac proinde non eſt innoxiæ utilitatis. Quare rectè hæc authoris ſententia paſſim rejicitur, & improbatur

XX.

Jus commune ad actus vel eſt abſolutum, vel præſupponit certam conditionem. Jus abſolutum habent primò omnes ad ea, ſine quibus vita commodè duci nequit, æquo pretio comparanda, veluti ſunt alimenta, veſtimenta, & medicamenta, ita ut ab hoc nemo aut lege latâ, aut improbâ privatorum conſpiratione poſſit impediri, quia tale impedimentum foret contra naturam ſocietatis humanæ. Diximus quidem ſuprà, ad hoc, ut quis rem alienam ad uſum ſuum arripere poſſit, requiri, ut ſit neceſſitas extrema, vel quaſi extrema. At in propoſito tanta neceſſitas non requiritur;

tur; nam in extremâ, vel quaſi extremâ neceſſitate res aliena ad uſum noſtrum etiam invito domino accipi poteſt, in noſtro autem caſu res ad vitam neceſſariæ comparantur dominis volentibus, ſi tamen ipſi ejusmodi rebus indigerent, injuria nobis non fit, ſi lege latâ inhibeatur venditio, quæ fit exteris. Sic nemo dubitat, quin propter penuriam frumenti ejus exportatio ad exteros jure prohiberi poſſit. Grot. §. *18.* & *19.*

XXI.

Illud tamen non ſatis expeditum eſt, utrùm in gravi penuriâ rerum ad vitam neceſſariarum expelli poſſint peregrini, qui ſemel admiſſi ſunt? Negativam tenet A. *cit.* §. *19. in fin.* & ait, *commune malum communiter tolerandum eſſe.* Affirmativam verò tuentur Bœcler. & Hennigeſ. ibidem, quam opinionem veriorem eſſe arbitror; ſi enim tanta peregrinorum multitudo impleverit civitatem, ut res ad vitam neceſſariæ civibus, ac ſimul peregrinis ſuſtentandis haud ſufficiant, nihil contra æquitatem naturalem fieri credo, ſi potior indigenarum, quàm exterorum habeatur ratio.

XXII.

Non idem dicendum eſt de vendendis rebus ſuis apud exteros; ſi enim Gens quædam contenta eſſe velit rebus domeſticis, quâ fronte exteri eidem invitæ merces ſuas obtrudere poterunt? Liberum cuivis eſt, quid velit acquirere, vel non. Non una ſanè cauſa eſſe poteſt, cur Gens aliqua nolit admittere merces exterorum, e. g. ne opes exportentur ad exteros, aut ut induſtria civium excitetur, vel ut ea, quæ domi naſcuntur, aut fiunt eò faciliùs diſtrahi poſſint &c. Sic Cæſar *de Bell. Gall. lib. 2. cap. 15. num. 4.* de Nerviis ſcribit, *nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarúmque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quòd his rebus relangueſcere animos, eorúmque remitti virtutem exiſtimarent.* & *lib. 4. cap. 2. num. 6.* de Suevis: *Vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quòd eâ re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effæminari arbitrantur.* Grot. §. *20.*

XXIII.

Secundò omnes liberam habent facultatem ambiendi, & contrahendi matrimonia apud vicinas Gentes, ita tamen, ut, ſi juſta ſubſit cauſa, exteris connubia jure negari poſſint, præſertim ſi nulla ſit fœminarum penuria; quid ſi enim, qui ſceleſtum vitæ genus ſectantur, uti ſunt infideles, idololatræ, piratæ &c. inſulam in mari vacuam fortè occupâſſent, & apud Chriſtianam vicinam Gentem matrimonia ambirent, quis, quæſo, dixerit, fœminas petentibus dandas eſſe? in tali utique caſu is, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, meritò omnibus ſubditis inhibere poteſt, & debet, ne ullus eorum ejusmodi ſceleratæ virorum multitudini, etiamſi aliunde fœminas habere non poſſet, filias ſuas in uxores det. Sic propter periculum ſeductionis matrimonia cum alienigenis Iſraelitis prohibita fuerunt. *Deuteron. cap. 7.*

XXIV.

Ex ſuppoſitione datur jus commune ad actus, quos populus aliquis ex vi naturalis libertatis nullâ lege ſublatæ exteris promiſcuè permittit, e. g. ſi omnibus promiſcuè permittat venari, piſcari, aucupari, margaritas legere &c.; nam hoc caſu ſi unus populus citra juſtam cauſam excludatur, ei fit injuria. Aliud foret, ſi quid uni, alterive permiſſum eſſet per beneficium, relaxando legem prohibentem; negatio enim beneficii nullam involvit injuriam. Ita Grot. §. *22. & 23.* Interim non dubito, quin Gens, quæ hactenus ejusmodi actus per nudam diſſimulationem omnibus promiſcuè permiſit, latâ generali lege impoſterum id prohibere poſſit; quæ enim per nudam diſſimulationem conceduntur, naturam videntur habere precarii, quod ſemper revocari poteſt. Vid. Puffendorf. *lib. 3. cap. 3. §. 14.* At

XXV.

Quæritur, utrùm alicui populo liceat cum alio paciſci, ut hic certi generis fructus, qui alibi non naſcuntur, ſibi ſoli vendat? Affirmat A. §. *24.* & meo judicio rectè, modò duo concurrant. Primum eſt, ut hic populus paratus ſit aliis æquo pretio vendere. Alterum,

ut aliis nondum jus quæſitum ſit; ſi enim aliis populis propter fœdera cum tali populo inita jam jus cum eodem commercia exercendi, & emendi quæſitum eſſet, ejusmodi pactum in illorum præjudicium, & injuriam redundaret. Præripitur quidem hoc modo aliis populis lucrum, quod percipere potuiſſent, ſi & ipſis tales fructus emere liceret: at hoc lucrum ipſis non debetur, ac proinde per hoc ipſis nulla infertur injuria. Et hoc maximè procedit, ſi uterque populus ad tale pactum inter ſe ineundum ex juſtâ cauſâ fuiſſet permotus, veluti ſi is, qui jus cùm excluſione aliorum emendi tales fructus ſibi ſtipulatus eſt, fortè vice verſâ alterum populum in ſuam tutelam recepiſſet, eóque nomine ſumptus facere cogeretur.

CAPUT III.

De Acquiſitione rerum originaria.

SUMMARIA.

I. *Modi originarii ſunt primævâ rerum diviſio, & occupatio.*

II. *Poſt prima autem tempora ſola occupatio eſt modus acquirendi originarius.*

III. *Voluntate propriâ ſoli illi dominium acquirere poſſunt, qui uſum rationis habent.*

IV. *Objectum occupationis ſunt primò feræ, piſces, & aves.*

V. *Secundò res, quæ dominum habere deſierunt.*

VI. *Tertiò flumina, quæ inter duos populos interjecta in dubio pro parte dimidiâ ad utrumque pertinent.*

VII. *Utrùm imperii terminus mutetur, ſi flumen, quod duorum populorum imperia diſterminat, curſum ſuum mutet?*

VIII. *Quamvis univerſum mare non poſſit occupari, poſſunt tamen certæ maris partes à diverſis Gentibus occupari.*

IX. *Non tamen hoc ipſo, quòd populus aliquis terram occupaverit, ſtatim etiam mare, quod terram alluit, niſi ſit internum, occupâſſe cenſetur.*

X. *Præſumitur quævis Gens maritima mare littoribus ſuis prætenſum in tantum occupâſſe, in quantum illud rationem munimenti habet.*

XI. *Quamvis autem aliquis populus certam maris partem occupaverit, navigatio tamen inermis, & innoxia impediri non poteſt.*

XII. *Rerum ſe ipſas moventium occupatio etiam fieri poteſt idoneis inſtrumentis, modò hæc à nobis ſint poſita.*

XIII. *Qui rem nullius, alterius nomine occupat, illam non ſibi, ſed alteri acquirit.*

I.

SIngulari jure aliquid noſtrum fit acquiſitione vel originariâ, vel derivativâ. Modum acquirendi originarium vocamus, vi cujus res ab omni poſſeſſione, & proprietate vacua in noſtrum venit dominium. Derivativum verò, vi cujus dominium in rem jam introductum ab uno in alterum tranſit. Modi originarii duo ſunt, ſcilicet primæva rerum diviſio, & occupatio; poſtquam enim mortales à primævâ communione diſceſſerunt, & res antea communes inter ſe diviſerunt, ſimul omnes tacito pacto conveniſſe cenſentur, ut res, quæ per diviſionem in proprietatem non abierunt, cedant primò occupanti, ac proinde ſola occupatio jam eſt modus acquirendi originarius. Poſſet quidem videri etiam jus ſervitutis, & pignoris in re alienâ nobis conſtitutum jus novum eſſe, ac per conſequens etiam conſtitutionem ſervitutis, & pignoris eſſe modum acquirendi originarium: at non ita eſt; jus enim ſervitutis, & pignoris novum non eſt, niſi modo, nam hoc jus virtualiter inerat dominio, quidquid enim is, qui jus ſervitutis, vel pignoris in re habet, facere poteſt, id jam antea dominus facere poterat jure dominii. Grot. §. *1. & 2.*

II.

Poſt prima ergo illa tempora ſola occupatio eſt modus acquirendi naturalis, & originarius. Per occupationem autem intelligimus apprehenſionem rei, quæ nullius eſt, cum animo eandem ſibi appropriandi. Hæc apprehenſio duplicis generis eſt, immediata ſcilicet, ſeu phyſica, & mediata, ſeu moralis. Illa fit corporis ad corpus adjunctione: hæc verò idoneis inſtrumentis, puta decipulis, retibus, laqueis, naſſis, hamis, & ſimilibus.

III.

Poſſunt autem res nullius illi demum occupare, & occupando dominium ſibi acquirere, qui uſum rationis habent; licèt enim occupatio ſuápte naturâ ſit habilis ad conferendum dominium, non aliter tamen conferre poteſt, quàm ſi quis rem apprehendat animo eandem ſibi appropriandi, ùt paulò ante dictum eſt, ac proinde infantes, perpetuò furioſi, & mente capti non poſſunt propriâ voluntate ſibi acquirere dominium, *propriâ*, inquam, *voluntate*; nam voluntate alienâ, puta tutorum, & curatorum, vel ſi nullos habeant, voluntate Reipublicæ, quæ hac in parte propter communem utilitatem eorum perſonam ſuſtinet, utique dominium ſibi acquirere, & acquiſitum retinere poſſunt, & retinent, cùm ad retinendum dominium plus non requiratur, quàm ut aliquis non habeat voluntatem rem pro ſuâ non ampliùs habendi, quàm illi, qui uſum rationis non habent, per ſe ponere haud poſſunt. Interim tamen hoc eorum dominium manet intra actum primum, nec ad actum ſecundum poteſt pertingere, quia de rebus ſuis diſponere nemo poteſt, niſi qui habet uſum rationis. Grot, §. *6.* Dn. Braun *de domin. cap. 5.* §. *1. num. 5. & 6.*

IV.

Objectum occupationis conſtituunt res nullius, quæ moraliter loquendo occupari, & occupatæ cuſtodiri poſſunt, veluti ſunt primò feræ, piſces, aves &c. Suprà autem jam diximus, ab eo, qui imperium habet in terras, & aquas, venationem, piſcationem, & aucupium ita prohiberi poſſe, ut ille, qui contra prohibitionem venatur, piſcatur, vel aucupatur, ne quidem dominus fiat ejus, quod cepit, cùm jus naturæ non præcipiat, ſed tantùm permittat, ut promiſcuè omnes venari, piſcari, vel aucupari poſſint. Et quamvis fortè apud plures Gentes receptum ſit, ut paſſim omnibus venari, piſcari, & aucupari liceat, non tamen receptum eſt ex pacto, ſed libero cujusvis Gentis conſenſu, ac proinde non eſt jus Gentium propriè, ſed tantùm impropriè dictum, quod à quavis Gente tolli poteſt, quin propterea aliis inferatur injuria. Grot. §. *5.*

V.

Secundò objectum occupationis conſtituunt etiam res, quæ aliquando quidem dominum habuerunt, ſed habere deſierunt, uti ſunt res pro derelictis habitæ, & bona eorum, qui ſine hærede deceſſerunt, modò pleno jure fuerint propriæ; ſi enim vel feudales, vel emphyteuticariæ ſint, non cedunt primo occupanti, ſed vel ad dominum directum revertuntur, vel ad alios, qui jus ſuccedendi habent, devolvuntur. Cæterùm hodie bona vacantia fiſco cedunt. *l. 1. Cod. de Bon. vacant.* Confer Grot. §. *19.*

VI.

Tertiò objectum occupationis conſtituunt flumina; ſi enim populus, vel is, qui populum regit, integrum terræ tractum per univerſitatem occupaverit, etiam flumen, quod per tale territorium fluit, occupatum eſſe cenſetur, tametſi nec ſuprà, nec infrà territorio includatur; quamprimùm enim territorium alicujus ingreditur, pars fit ejus territorii, & tamdiu pars manet, quamdiu intra territorium fluit. Quòd ſi flumen inter duos populos interjectum ſit, in dubio dimidia ejus pars ad unum, altera ad alterum populum pertinet, quia ab utroque eo animo occupatum eſſe præſumitur, ut utriuſque imperium terminaret. Aliquando tamen uni populo totum competit flumen, vel quia pacto ita fuit definitum, vel quia ex unâ parte imperium demum cepit, poſtquam ab altero populo totum flumen jam fuerat occupatum. Sic licèt Rhodanus Galliam à Ducatu Sabaudiæ ſeparet, totus tamen ad Regem Galliæ pertinere dicitur. Vid. Grot. §. *17. num. 2. &* §. *18.*

VII.

Sæpè contingit, ut flumen, quod duorum populorum Imperia diſterminat, curſum ſuum mutet, quo caſu intereſſe dicimus, utrùm idem flumen maneat, vel non. Si idem maneat, etiam manet terminus utriuſque imperii, ſi verò idem non maneat, ſed novum fiat flumen, terminus eſſe deſinit, quia uterque populus flumen eatenus tantùm pro termino conſtituiſſe cenſetur, quatenus idem flumen manet; ergo ſi idem flumen non maneat, non poterit il-

lud ampliùs utriuſque imperium terminare. Conſtat autem flumen ex aquâ profluente, ripis & alveo. Aqua profluens quidem in individuo ſemper alia, & alia eſt, at propterea non magìs aliud flumen eſſe cenſetur, quàm Legio dicatur eſſe alia, ſi in locum demortuorum alii ſint ſurrogati; cùm in hoc natura fluminis conſiſtat, ut aqua perpetuo, & irrequieto motu fluat, aliàs flumen non eſſet ſed ſtagnum. Si ripæ tantùm ſenſim per alluvionem mutentur, itidem in æſtimatione morali idem flumen manet, quia veterem ſpeciem retinet. At ſi deſerto veteri alveo flumen uno impetu aliò irrumpat, omnes partes fluminis ſimul mutantur, ac proinde non idem flumen manet: ergo nec ampliùs terminat utriusque imperium, ſed alveus à flumine derelictus terminus manet. Conſer eá, quæ poſt Grot. *in* §. *17. num. 1.* diximus in Jure noſtro Publico Univerſali. P. 3. c. 3. §. un. n. 3.

VIII.

Quartò objectum occupationis conſtituit mare; quamvis enim, ùt ſuperiore *cap.* diximus, moraliter impoſſibile eſſe videatur, ut univerſum mare à pluribus etiam Gentibus occupari, vel occupatum ſaltem cuſtodiri poſſit, fieri tamen poteſt, & factum eſſe conſtat, quòd certæ maris portiones à diverſis Gentibus fuerint occupatæ, & in jus proprietatis abierint; interim ſi unus populus alteri ſe pacto tantùm obſtringat, quòd ultra certum terminum nolit navigare, velut ſtatim poſt exactos Reges fœdere inter Romanos & Carthaginenſes inito, ùt Polyb. refert, conventum fuerat, *ne Romani, Romanorúmve ſocii ultra pulchrum promontorium navigarent, extra quàm ſi tempeſtatis, aut hoſtium vi compulſi eſſent*, ex hoc non continuò colligi poſſe videtur, mare, aut jus navigandi ab altero populo occupatum eſſe; poteſt enim unus populus in gratiam alterius, cujus intereſt, de jure, quod cum omnibus hominibus commune habet, decedere, quin propterea res, quæ naturâ ſuâ communis eſt, occupetur ab altero, & quid, quæſo, ejusmodi pactione opus eſt, ſi mare jam ſit ab altero occupatum? Ita Grot. §. *15.* & Vitriar. *quæſt. 14.* à quibus, meo judicio, malè nonnulli diſſentiunt.

IX.

Sed nec ſi populus terram occupaverit, hoc ipſo ſtatim etiam mare, quod terram alluit, occupâſſe cenſetur, niſi ſit internum, ſeu territorio incluſum, ita ut partem territorii conſtituat; nam hoc caſu perinde, ùt flumen, unà cum terrâ occupatum eſſe intelligitur; ſi autem ſit externum, ſeu territorio non incluſum non aliter tranſit in proprietatem ejus, qui terram occupavit, (quàm ſi & illud fuerit occupatum, cùm mare externum neutiquam pars ſit territorii, ac proinde licèt terra ſit occupata, non tamen hoc ipſo etiam mare, quod terram alluit, occupatum eſt, nec enim ſolus actus animi ſufficit, ſed opus eſt actu externo. Diverſum obtinet in fundo certis finibus circumſcripto, ubi neceſſe non eſt, ut omnes glebas circumambulem, quia ſingulæ ſunt pars fundi, & omnes ſimul ſumptæ unum totum conſtituunt. Confer Grot. §. *8. 10. & 11.*

X.

Ut igitur pars maris externi in noſtrum dominium abeat, ſpeciali opus eſt occupatione, nec ſufficit occupatio terræ adjacentis. Præſumitur autem quævis Gens maritima mare littoribus ſuis prætenſum in tantum occupâſſe, in quantum illud rationem munimenti habet. Poteſt quidem etiam major maris pars occupari, neceſſe tamen eſt, ut ejus ſemel occupatæ poſſeſſio retineatur, aliàs eâ amiſſâ mare rurſus ad primævam ſuam naturam redit. Ad retinendam autem poſſeſſionem non eſt opus, ut parti occupatæ perpetua inſideat claſſis, velut olim Romani mari mediterraneo perpetuis incubuêre claſſibus, ſed ſufficit, ſi quis eam tali ſaltem complectatur cuſtodiâ, ut alios populos ab ejus uſu poſſit arcere, qui autem partis ſemel occupatæ omnem abjecit curam, & cuſtodiam, is utique ejus poſſeſſionem rurſus amiſit.

XI.

Cæterùm quamvis diverſi populi certas maris portiones occupaverint, navigationem tamen inermem, & innoxiam impedire haud poſſunt, cum nec per terram tranſitus innoxius prohiberi queat,

queat, æquum tamen vectigal navigantibus imponere vetitum non eſt, modò juſta ſubſit cauſa, veluti ſi quis in ſe receperit onus tuendi navigantes adverſùs piraticas excurſiones, aut eos juvandi per ignes nocturnos, vel ſi ad vitanda brevia ſigna quædam poſita habeat. Grot. §. *12. & 14.* Sed de hac re pluribus actum eſt in
P.3. c.2. §.2. n.9. Jur. Publ. Univerſ.

XII.

Forma occupationis conſiſtit in apprehenſione rei factâ animo eam ſibi appropriandi. Apprehenduntur autem res immobiles ingreſſione, ſeu pedum poſitione: mobiles verò vel non niſi ab alio moveri poſſunt, vel ſe ipſas movent. Illarum apprehenſio fit manibus, harum autem etiam idoneis inſtrumentis, modò in noſtrâ ſint poteſtate, ſeu à nobis poſita; quamvis enim inſtrumenta ſint noſtra, ſi tamen ab alio poſita ſint, fera non nobis, ſed ei, qui illam noſtris inſtrumentis cepit, acquiritur.

XIII.

Effectus occupationis eſt, quòd res, quæ nullius erat, fiat occupantis, modò eandem ſuo nomine occupaverit; qui enim rem, à proprietate vacuam alieno nomine apprehendit, illam non ſibi, ſed alteri acquirit. Alieno autem nomine etiam ille apprehendere intelligitur, qui contra prohibitionem Principis venatur, modò expreſſè ſit additum, feram contra prohibitionem captam non fore capientis; ſi enim ſimplex tantùm eſſet prohibitio, nihilominus fera capta fieret capientis.

CAPUT IV.

De derelictione præſumptâ, & eam ſecutâ occupatione.

SUMMARIA.

I. *Quid, & quotuplex ſit derelictio?*
II. *Quæ ad veram derelictionem requirantur?*
III. *Quænam requirantur, ut res pro derelicta habita præſumatur?*

IV.

IV. *Silentium temporis immemorabilis ad inducendam conjecturam derelictionis ſemper ſufficere videtur, niſi validiſſimæ in contrarium ſint rationes.*

V. *Proponitur objectio quædam, & examinantur authoris ad eam reſponſiones.*

VI. *Derelictio tantùm eſt modus amittendi dominium, non etiam acquirendi.*

VII. *Explicantur ea, quæ A. de præſcriptione feudi, amiſſione jurium, libertatis naturalis, & extinctione juris luendi pignoris tradit.*

I.

DIximus ſuperiore *cap.* etiam res pro derelictis habitas conſtituere objectum occupationis. Eſt autem derelictio actus, quo rem nolumus ampliùs in numero rerum noſtrarum habere, & dividitur in veram, & præſumptam, vera porro in expreſſam, & tacitam. Expreſſa eſt, quæ fit verbis expreſſis, ùt ſi quis dicat, ſe nolle hanc, illámve rem ampliùs inter res ſuas habere, eámque, ſi mobilis ſit, abjiciat, vel ſi immobilis, deſerat. Tacita, quæ ex facto quodam colligitur, veluti ſi dominus ſciens, rem ſuam ab altero poſſideri, cum eo tanquam cum domino contrahat, aut alio facto eum talem eſſe agnoſcat; poſſumus enim voluntatem noſtram non minùs facto, quàm verbis declarare. Sic JCtus in *l. 95.* *ff. de a. vel o. H.* ait, *hæreditatem non tantùm verbis, ſed etiam re, & quovis indicio voluntatis recuſari poſſe.* Sic debitum remiſiſſe cenſetur, qui debitori ſuo chirographum reddidit. *l. 2. §. 1. ff. de Pact.* Grot. *§. 4.*

II.

Duo igitur ad veram rei derelictionem requiruntur. Primum eſt, ut quis nolit rem ampliùs in numero rerum ſuarum habere, ac proinde res, quas aliquis exortâ tempeſtate navis levandæ gratiâ projecit in mare, non cenſentur pro derelictis habitæ, quia non eo animo ejectæ ſunt, ut quis ampliùs eas habere nolit. *l. 8. ff. de leg. Rhod. de jact.* Alterum eſt, ut quis hanc ſuam voluntatem verbis, vel facto declaret; quamvis enim abdicatio ab animo pendeat, effectum tamen juris ſortiri nequit, niſi ſignis externis manifeſtetur;

quia natura humana actus internos non niſi ex ſignis cognoſcere poteſt. Nulla quidem ſigna de actibus internis faciunt certitudinem mathematicam, cùm & verbis homines poſſint eloqui aliud, quàm volunt, & ſentiunt, & factis ſimulare, quia tamen natura Societatis humanæ non patitur, ut actus animi ſufficienter indicati nullam habeant efficaciam, ideo quod ſufficienter indicatum eſt, adverſùs eum, qui indicavit, pro vero habetur. Grot. §. *3*.

III.

Præſumpta derelictio naſcitur ex ſilentio, modò duo concurrant. Primum eſt, ut quis ſciat, rem ſuam ab altero teneri, qui enim ideo, ſilet, quia hoc ignorat, præſumi haud poteſt, quòd rem ſuam derelinquere velit, cùm ignorans, non cenſeatur velle. Alterum eſt, ut ſilentium ſit liberè volentis; ſi enim alia cauſa appareat, cur aliquis ſileat, ceſſat conjectura voluntatis rem ſuam derelinquendi. Ut autem hæc duo requiſita adfuiſſe cenſeantur, multum facit diuturnitas temporis, quanquam & aliæ conjecturæ hac in re valere poſſint; nam primò fieri vix poteſt, ut multo tempore non innoteſcat nobis, rem noſtram ab alio detineri, cùm multas ejus occaſiones ſubminiſtret tempus, inter præſentes tamen, etiam ſepoſitâ lege civili, minus temporis ſpatium ad hanc conjecturam ſufficit, quàm inter abſentes. Deinde licèt incuſſus ſemel metus nonnihil durare credatur, longo tamen tempore præſumitur exſpirare, cùm tempus longum multas occaſiones ſuppeditet, adverſùs metum ſibi vel per ſe, vel per alios conſulendi; vix enim fieri poteſt, ut longo tempore non ſit occaſio vel ad judices, aut arbitros provocandi, vel ſaltem denunciando, aut proteſtando poſſeſſionem alterius interrumpendi. Confer Grot. §. *5*. *&* *6*. & meum J. P. U.

P. 2. c. un. §. 6. n. 2.

IV.

Tametſi autem ad inducendam præſumptionem derelictionis propter diverſitatem circumſtantiarum certum, ac determinatum tempus aſſignari non poſſit, ſed aliquando brevius ſufficiat, aliquando verò longius requiratur, ſilentium tamen temporis immemorialis ad conjecturam derelictionis ſemper ſufficere videtur, niſi validiſſimæ in contrarium ſint rationes; quia tempus, cujus initium exce-

excedit memoriam hominum defacto viventium, moraliter quaſi infinitum eſſe cenſetur. Dixi, *niſi validiſſimæ in contrarium ſint rationes*, veluti ſunt expreſſæ juris ſui reſervationes. Unde ſacrum Imperium Romanum ea, quæ injuſtè olim ab eodem avulſa ſunt, nunquam pro derelictis habere intelligitur, cùm vi capitulationum ſemper adſtringat Imperatores ad omnem moraliter poſſibilem diligentiam, & operam adhibendam, ut, quæ ita injuſtè decerpta ſunt recuperentur. *Capit. Carol. act. 10.* Grot. §. *7.* At

V.

Dices. Nemo temerè ſuum jactare velle creditur; quia homines ſe, ſuáque amant: ergo ne quidem ſilentium temporis immemorialis, præſertim in imperiis ad inducendam conjecturam derelictionis ſufficit. Ad hanc objectionem Grot. §. *8.* plures dat reſponſiones, quarum prima eſt, quòd benè ſperandum ſit de hominibus, ac propterea non putandum, eos hoc eſſe animo, ut rei caducæ cauſâ alterum hominem velint in perpetuo peccato verſari, quod evitari ſæpè non poſſit ſine tali derelictione. At hæc reſponſio nullius valoris eſt; nam primò ſimplex eſſe videtur, de pietate mortalium tam prolixè ſibi polliceri. Deinde ſalus proximi ſpiritualis tum demum anteponenda eſt rebus meis temporalibus, quando res mea neceſſaria eſt proximo ad ſalutem ſpiritualem: atqui in propoſito non eſt neceſſaria, ſed proximus ipſe citra jacturam rerum mearum ſalutem ſuam procurare poteſt, ſi ſcilicet rem meam mihi reſtituat: ergo lex charitatis me ad jacturam rerum mearum non obligat. Denique ille, qui rem alienam bonâ fide tenet, in nullo verſatur peccato: ergo ſaltem hoc caſu conjectura derelictionis locum non haberet, quod tamen falſum eſt; nam ex ſilentio temporis, præſertim immemorialis, naſcitur præſumptio derelictionis, ſive poſſeſſor in bonâ, ſive in malâ fide exiſtat. Secunda reſponſio eſt, quòd licèt imperia magni fieri ſoleant, tamen magna ſint onera, & non benè adminiſtrata hominem divinæ iræ reddant obnoxium, ex quo inferre vult, facilè præſumi poſſe, quòd fuerint pro derelictis habita. Sed nec hæc reſponſio ullius momenti eſt; quamvìs enim imperare difficile, & oneroſum ſit, quisque tamen præeſſe, quàm ſubeſſe, mavult: inveniuntur ſanè homines, qui cum Jaſone eſurire malunt, quàm non

imperare, & cùm homo ſit animal excellentiſſimum, poſt lapſum valde ſuperbum, & ambitioſum, ideo naturali quodam impetu fertur ad ſumma, & ad ardua quoque rapitur, ſi cum ſplendore conjuncta ſunt, prout ſunt imperia. Subjungit deinde, non ſemper laudandos eſſe Principes, qui cum ſummâ jacturâ, ſæpè etiam cum ſanguine innocentis populi diſceptare cupiunt, quis ejus populi rem ſit curaturus, ſicut durum eſſet, eos, qui ſe tutores dicerent, damno pupilli litigare, uter ad tutelam jus habeat, aut nautas navis periculo certare, quis eorum potiſſimùm gubernare deberet. Ex quo videtur inferre velle, quòd, ſi imperium non niſi cum profuſione ſanguinis innocentis populi recuperari poſſit, Princeps illius recuperandi curam dimittere teneatur, & ideo etiam dimiſiſſe exiſtimandus ſit, eò quòd utilitas populi ſit præferenda, cùm Rex ſit propter populum, non populus propter Regem. At primò in imperio herili Rex poteſt ſuam utilitatem præferre utilitati populi. Deinde poſſunt quædam imperia reſpicere utilitatem tam ejus, qui regit, tam populi, qui regitur, quo caſu iterum utilitas Regis tanquam partis dignioris præferenda eſſe videtur. Porro tametſi pleraque imperia per ſe reſpiciant utilitatem populi, non tamen propterea ſequitur, quod Rex cum jacturâ rerum ſuarum teneatur utilitatem populi procurare, cùm nec tutor ſit obligatus, ut res pupilli cum damno rerum ſuarum conſervet. Deinde Rex urbem, aut provinciam injuſtè ab altero poſſeſſam bello non vindicat ſumptibus partis avulſæ, ſed reliqui corporis ſub Rege manentis, cujus æquè, ac Regis intereſt, partem avulſam recuperari. Tandem ſi ratio utilitatis publicæ non patiatur modò, ut pars injuſtè decerpta bello vindicetur, non ſtatim Rex hoc ipſo etiam tenetur, eandem pro derelictâ habere, ſed tempori, & neceſſitati impræſentiarum cedere, & vindicationem in tempus magis opportunum differre poteſt: ergo non ſtatim eam pro derelicta habere cenſendus eſt, ac proinde etiam hæc reſponſio nulla eſt. Pergit A. & ait, humanæ Societatis intereſſe, ut imperia tandem aliquando in certo, & extra controverſiæ aleam conſtituantur, ac per conſequens conjecturam derelictionis favorabilem eſſe. Rectè; at ulterius, quæritur, cur ex ſilentio temporis, præſertim immemorialis, naſcatur conjectura derelictionis? Reſpondet, ideo, quia credi-

credibile non eſt, quemquam ejus, quod vult, longo tempore nullam planè edere ſignificationem idoneam. Sed cur hoc credibile non ſit rationem reddere debuiſſet, quæ alia non eſt, quàm minus mortalium amor erga res temporales; nam hoc ipſo, quòd homines adeò ament res caducas, prudenter credibile non eſt, quemquam velle rem ulteriùs in numero rerum ſuarum habere, quam ſcit, ab altero tanquam propriam poſſideri, & tamen longiſſimo, ac fortè immemoriali tempore, quamvìs poſſit, nec contradicendo, nec proteſtando, nec ullo alio modo jus ſuum nititur conſervare, ùt dixi in meo Jur. Publ. Univerſ. P.2.c.un. §. 6. n.4.

VI.

Effectus derelictionis conſiſtit in amiſſione dominii, quod quis in re derelictâ antè habuit; derelictio enim tantùm eſt modus amittendi dominium, non etiam acquirendi; quamvìs enim is, qui rem pro derelictâ habitam occupat, aut antea occupatam utut fortè injuſtè, poſſidere pergit, dominus ejus fiat, cùm continuatio occupationis non amplius ſit injuſta, non tamen dominus fit vi derelictionis, ſed vi ex pòſt ſecutæ, aut continuatæ occupationis, derelictio autem duntaxat eſt conditio, ſine qua non, aliàs ſpecies eſſet alienationis, à qua tamen multùm differt, velut pluribus oſtendi in Jure Publico Univerſali, ubi ſimul diſcuſſi perdifficilem quæſtionem, an derelictio parentum liberis noceat, ſive jam natis, ſive nondum natis? Refutavi præterea opinionem illorum, qui ſcripſerunt, ſemper licere ſubditis, ſe in priorem libertatem vindicare; explicavi inſuper, an & quæ jura ſummi Imperii præſcribi poſſint? Unde lectorem eò remitto. cit. §. 6. n. 3. cit. c. un. §.4.n.30. eod. c. 6. 2. n. 8. eod. c. §. 6. n. 11.

VII.

Duo tamen ſuperſunt, quæ non omninò ſilentio præterire poſſum. Primum eſt, quòd A. §. *10. num. 3.* ſcribat etiam feuda, quæ non ex jure proximi poſſeſſoris, ſed ex vi primæ inveſtituræ deferuntur, longo ſatìs tempore præſcribi poſſe. At licèt receptior ſententia ſit, ejuſmodi feuda ſine conſenſu domini alienata à bonæ fidei poſſeſſore triginta annorum ſpatio præſcribi poſſe, negligentia tamen propinquioris non nocet remotiori agnato, utpote

qui non niſi mortuo propinquiori jus agendi habet. *2. feud. tit. 39. & 26. §. 5. verſ. Titius.* Qui autem propter impedimentum juris non poteſt agere, ei non currit præſcriptio, quæ ratio etiam in fidei-commiſſis, & majoratibus obtinet, ac proinde idem quoque juris eſſe debet. Struv. *in S. J. F. cap. 13. aphor. 18. num. 4.* Knippſchild *de fidei-commiſſ. cap. 16. num. 91. & ſeqq.* Dn. P. Schmier *de præſcript. cap. 3. ſect. 2. §. 2. num. 17. & ſeqq.* Alterum eſt, quòd is *in §. ult.* tradat, jura naturalis libertatis non amitti, niſi prohibitio interceſſerit, eíque paritum ſit. At dantur jura libertatis naturalis, quæ non amittuntur, tametſi prohibitio interceſſerit, eíque paritum ſit, veluti eſt, jus eundi, per viam publicam, vel aquam ex flumine publico hauriendi, & ſimilia, ex quorum prohibitione nulla æſtimabilis utilitas in prohibentem redundare poteſt, quæ enim hujus generis ſunt, nullâ prorſus præſcriptione tolli poſſunt, uti omnes uno ore docent. Jus luendi pignoris quod attinet, quod A. etiam non aliter tolli arbitratur, quàm ſi ex parte creditoris prohibitio, ex parte verò debitoris acquieſcentia acceſſerit, licèt hanc ejus ſententiam, ſepoſitâ lege civili, veram eſſe exiſtimemus, ſpectato tamen jure Romano res ſummopere dubia eſt.

CAPUT V.

De acquiſitione originariâ juris in perſonas.

SUMMARIA.

I. *Ex generatione acquiritur parentibus imperium in liberos.*

II. *Et quidem non patri tantùm, ſed & matri.*

III. *Tamdiu liberi ſubſunt imperio parentum, quamdiu manent pars familiæ.*

IV. *Sunt etiam tempore imperfecti judicii capaces dominii.*

V. *Imperium parentum conſiſtit tum in poteſtate dirigendi actiones liberorum, tum in jure eos coërcendi, quod tamen ne quidem in ſtatu naturali jus vitæ & necis continet.*

VI. *Si parentes propter egeſtatem liberos alere nequeant, poſſunt eos vendere, vel oppignorare, ſi tamen vendant imperium transfertur in emptorem.*

VII.

VII. *Expirat imperium parentum, ſi liberi ex familiâ paternâ exceſſerint, vel ejecti ſint.*

VIII. *Obligatio tamen pietatis, & reverentiæ in liberis perpetuò durat.*

IX. *In ſocietate conjugali natura imperium dedit marito.*

X. *In hac ſocietate ex vi primævæ inſtitutionis non tantùm uxor marito, ſed & maritus uxori fidem debet.*

XI. *Matrimonium â liberis ſine conſenſu parentum contractum validum eſt.*

XII. *Pluralitas uxorum, & multò magìs polyviria probabiliùs ipſo jure naturæ prohibita eſt.*

XIII. *Matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes probabiliùs jure naturæ tantùm in primo gradu irritum eſt.*

XIV. *In lineä autem collaterali ne quidem in gradu primo jure naturæ eſt irritum.*

XV. *Affinitas etiam ex copulâ matrimoniali orta non dirimit jure naturæ matrimonium in gradu primo lineæ transverſæ, uti nec in gradu primo lineæ rectæ, ſi orta ſit ex copulä fornicariâ.*

XVI. *Idem probabiliùs dicendum, ſi orta ſit ex copulâ matrimoniali.*

XVII. *Etiam legitimum matrimonium quandoque vocatur concubinatus, & legitima uxor concubina.*

XVIII. *Regulariter in omni conſociatione, ſecluſis pactis, & legibus, pluralitas ſuffragiorum prævalet.*

XIX. *Niſi lex, aut conſuetudo obſtet, jus abſentium accreſcit præſentibus.*

XX. *Utrùm plures diſſonæ ſententiæ conjungi poſſint?*

XXI. *Sententiæ quandoque ex quantitate poſſeſſionum æſtimari ſolent.*

XXII. *Poteſt civitatis rector prohibere, ne ſubditi veniâ non impetratâ diſcedant.*

XXIII. *Vi arrogationis transfertur imperium parentum in arrogatorem.*

XXIV. *Jure naturæ ſervitus non continet jus vitæ & necis.*

XXV. *Etiam hoc jure ex ancilla natus ſequitur conditionem matris.*

XXVI. *Recenſentur quædam ſpecies ſervitutis imperfectæ.*

XXVII.

XXVII. *Quænam dicatur ſervitus publica?*

XXVIII. *Ex causâ delicti non tantùm ſinguli libertate perſonali, ſed etiam populi libertate civili privari poſſunt.*

I.

NOn tantùm in res, ſed & in perſonas originariè jus quoddam nobis àcquiritur, & quidem primò ex generatione, ex quo titulo deſcendit imperium parentum in liberos; cùm enim ipſa natura parentibus obligationem imponat, liberos, quos genuêre, educandi, illi autem ſine imperio educari non poſſint, quia educatio liberorum non in eo duntaxat conſiſtit, ut illi alantur, ſed etiam in hoc, ut tanquam creaturæ rationales ita inſtituantur, ut conſequantur finem, ad quem à Deo creati ſunt, quod ſanè præſtare non poſſunt, niſi in liberos habeant imperium, ideo natura quoque parentibus in liberos dedit imperium, quod ſe non tunc demum exſerit, poſtquam liberi adepti ſunt uſum rationis, ſed & antequam ad tantam ætatem pervenerint; quamprimùm enim fieri poteſt, ſtatim teneris mentibus ſemina virtutum ſunt implantanda, & immoderatæ animi paſſiones ac inclinationes ad malum corrigendæ, & coërcendæ; rectè enim Poëta canit:

Quò ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Unde neutiquam aſſentiri poſſumus Puffendorfio, qui *lib. 6. cap. 2.* §. *4.* parentum imperium ipſorum liberorum præſumpto conſenſu, & ita pacto tacito niti arbitratur; quia in eo, qui propter defectum uſûs rationis conſentire nequit, lege civili conſenſus quidem fingi poteſt, ſed præſumi non poteſt: jus autem naturæ fictiones penitus ignorat, cùm fictio ſit mera creatura legis civilis.

II.

Competit autem imperium in liberos non patri tantùm, ſed & matri, quia natura utrique parentum imponit obligationem liberos educandi, & benè inſtituendi. Accedit, quòd cauſa productiva naturaliter habeat poteſtatem in effectum à ſe productum, ſi illa poteſtatis ſit capax: uterque autem parentum eſt cauſa generativa liberorum, & capax poteſtatis in liberos: ergo etiam utrique in

illos

illos competit poteſtas, & imperium. Si tamen inter ſe contendant imperia, præfertur patris imperium, non quidem præciſè propter præſtantiam ſexûs ùt putat Grot. §. *1.* ſed potiùs, quia pater plùs confert ad generationem prolis, quàm mater, & ſimul ipſam matrem ſub imperio ſuo continet. Planè ſi pater præciperet aliquid liberis, quod eſſet contra jus naturæ, aut divinum, vel etiam, ſi is viveret in ſtatu civitatis contra legem ſuperioris poteſtatis humanæ, hoc caſu utique ipſa ſana ratio dictaret, patri talia præcipienti obediendum haud eſſe, ac proinde ſi mater contrarium præciperet, imperium matris eſſet præferendum, quia patris imperium in tali caſu nullam habet efficaciam obligandi.

III.

Objectum imperii parentum ſunt liberi, quamdiu manent pars familiæ parentum; poſtquam enim ex familiâ parentum exceſſerùnt, finitum eſt imperium parentum, & liberi in omnibus ſunt ſui juris. Unde cùm Reges quà tales non ampliùs ſint pars familiæ parentum, ſed ipſi parentes filio Regi in civili ordine ſint ſubjecti, ideo non poſſunt actus, quos filius jure Regio exercet, eo nomine irriti dici, quòd is parentes habeat. Manent ergo liberi tamdiu duntaxat imperio parentum ſubjecti, quamdiu manent pars familiæ. Ubi tamen refert, utrùm imperfecti etiamnum judicii ſint, vel jam perfecti. Tempore imperfecti judicii omnes liberorum actiones ſub dominio ſunt parentum, cùm enim ſe ipſos regere non poſſint, natura poteſtatem eos regendi dedit parentibus. Tempore autem perfecti judicii imperio parentum non aliæ ſubſunt actiones, quàm quæ ad familiæ paternæ, aut maternæ ſtatum aliquid momenti habent, in cæteris autem actionibus, velut in eligendo vitæ genere, liberi ab imperio parentum non ampliùs dependent. Grot. §. *2. num. 1.* §. *3. & 6.*

IV.

Quamvìs autem tempore imperfecti judicii omnes liberorum actiones ſub regimine parentum ſint, nihilominus tamen hoc etiam tempore capaces ſunt dominii in res, quæ jure donationis, ſucceſſionis, aliòve titulo ipſis deferuntur; licèt enim propter defectum

uſûs rationis non poſſint propriâ voluntate acceptare, poſſunt tamen acceptare voluntate alienâ, ſcilicet voluntate parentum, ſi hi vivant in ſtatu naturali; ſi verò exiſtant in ſtatu civili, etiam voluntate Reipublicæ, cujus pars ſunt, quæ voluntas parentum aut Reipublicæ in æſtimatione morali pro voluntate ipſorum liberorum habetur; interim tamen propter defectum uſûs rationis ipſi per ſe dominium exercere haud poſſunt, ſed parentes, niſi in ſtatu civitatis aliud lege civili ſit cautum, tanquam ab ipſâ naturâ conſtituti tutores bona liberorum adminiſtrant: æquitati tamen naturali neutiquam repugnare videtur, ut ſaltem tantiſper, quousque liberi bonorum ſuorum adminiſtrationem ipſi ſuſcipiunt, parentes illis uti, frui, & liberos ex iis alere poſſint. Fallitur ergo hauddubiè Hennigeſ. *ad cit.* §. 2. dum putat, res omnes liberorum acquiri patri in ſtatu naturali. At primò exemplum arrogationis ab eo adductum civile tantùm eſt, non naturale. Deinde ipſius diſcurſus plus probare non videtur, quàm quòd pater extra Rempublicam vivens tanquam caput familiæ haud ſecùs, ac Rex in Republica, habeat altum, & ſuperius dominium. Sed hoc non tollit dominium privatum.

V.

Effectus imperii parentum conſiſtit in poteſtate dirigendi actiones liberorum, quæ etiam jus coërcendi complectitur, cùm imperium ſine poteſtate cogendi, & inobedientes, ac refractarios coërcendi dari non poſſit. Utrùm autem poteſtas coërcendi eò uſque extendi poſſit, ut pater extra omnem Rempublicam vivens liberos, ſi crimen morte dignum commiſerint, etiam pœnâ mortis afficere queat? adeò expeditum non eſt. Affirmativam tenet Puffendorf *lib. 6. cap. 2.* §. *11.* Item Hennigeſ. *ad* §. *2. hoc cap.* Negativam verò Dn. Gletle *in aſſert. jurid. aſſert. 4.* & Dn. P. Schmier *in J. P. U. lib. 1. cap. 2. ſect. 2.* §. *3. num. 91. & ſeqq.* Quam ſententiam veriorem eſſe arbitror, cùm tanta poteſtas ad felicem ſtatum familiæ non videatur eſſe neceſſaria; poteſt enim pater filium, qui mortem meritus eſt, non tantùm exhæredare, ſed & omnino ex familiâ ejicere. Quòd ſi ejectus familiam turbet, adverſùs eum tanquam hoſtem non tantùm bellum defenſivum, ſed & vindicativum geri poteſt, adeò ut ſi vitam, aut res noſtras

aliter

aliter tueri non poſſimus, vel injuria nobis illata tam gravis ſit, ut mortem mereatur, eundem etiam interficere liceat.

VI.

Quòd ſi fortè parentes tantâ premantur egeſtate, ut liberos, quos alere tenentur, non poſſint alere, hoc caſu eos, præſertim reſervato jure retrahendi, etiam vendere, & multò magìs oppignorare poſſunt; cùm natura jus det ad omne id, ſine quo obtineri non poteſt, quod ipſa imperat: & utique ipſa ratio recta dictat, vitam libertati præferendam eſſe, ſi vel vita, vel libertas ſit amittenda. Grot. §. 5. cui tamen in eo aſſentiri haud poſſum, quòd is putet, imperium paternum ita ſequi patris perſonam, ut nullo modo ab eo avelli, & in alterum transferri poſſit; ſi enim is filium vendat, imperium non ampliùs retinet in eum, ſed illud transfertur in illum, cui filium, vendidit. Tenentur quidem parentes non tantùm liberos alere, ſed etiam eosdem benè educare, & ita inſtituere, ut conſequantur finem, ad quem à Deo creati ſunt, quam etiam ob cauſam natura parentibus in liberos dedit imperium. At poſtquam tantâ urgente néceſſitate eos vendiderunt, & ita ex ſuâ dimiſerunt familiâ, ac in poteſtatem alterius tranſtulerunt, eos ampliùs educare, & inſtituere non poſſunt: ergo nec imperium ampliùs in eos retinent, quia ceſſante fundamento imperii ceſſat & ipſum imperium. Interim tamen in tali extremæ neceſſitatis caſu parentes jure naturæ ad hoc ſaltem obligatos eſſe credo, ut, quantum poſſibile eſt, liberos vendant ei, apud quem probabilis ſpes eſt, eos bene educandos, & inſtituendos eſſe.

VII.

Exſpirat imperium parentum, ſi liberi ex familiâ paternâ exceſſerint, nec enim imperio parentum diutiùs ſubſunt, quàm quouſque manent pars familiæ. Quamvìs autem parentes liberos, ſi vel refractarii ſint, ita ut nulla prudens ſuperſit ſpes emendationis, vel ſi grave admodùm crimen commiſerint, aut ſe ipſos alere poſſint, nec educatione ampliùs opus habeant, etiam invitos ex familiâ ejicere poſſint, liberi tamen non niſi cum bonâ parentum veniâ diſcedere debent, præterquam ſi pater nullam juſtam haberet cau-

ſam eos reſtituendi; tunc enim etiam eo invito ſe ſeparare, & vel propriam inſtituere familiam, vel in alienam tranſire poſſunt. Quamvìs autem liberi ſibi ipſis de alimentis proſpicere queant, aut aliunde jam habeant, unde ſe ſuſtentent, non tamen pater hoc ipſo eos ſtatim dimittere tenetur; quid ſi enim parùm capaces eſſent ad dirigendas proprias actiones, ſed multa adhuc hac in parte ipſis deeſſent? Nemo ſanè hoc caſu dixerit, liberos etiam invitò patre ſe ab ejus familiâ ſeparare poſſe.

VIII.

Cæterùm licèt imperium parentum finitum ſit, obligatio tamen pietatis, & reverentiæ in liberis perpetuò durat, quia cauſa ejus perpetua eſt; fundatur enim immediatè in jure parentum, jus autem parentum in titulo generationis, qui titulus perpetuò durat, ac proinde etiam jus ex parte parentum, & obligatio ex parte liberorum perpetuò durat. Fundatur quidem etiam imperium parentum in liberos mediatè in titulo generationis, at obligatio liberos, quos genuêre, non tantùm alendi, quod etiam bruta faciunt, ſed præcipuè tanquam creaturas rationales benè educandi, & inſtituendi, ob quam cauſam natura parentibus immediatè dedit imperium, perpetua non eſt, ſed fines ſuos, ac terminos habet: finitâ ergo hac obligatione etiam finitum eſt imperium.

IX.

Secundò jus oritur in perſonas ex conſenſu, & quidem vel ex conſociatione, vel ex ſubjectione. Conſociatio maximè naturalis eſt conjunctio mariti, & uxoris, in qua ſocietate natura imperium dedit marito, in cujus familiam uxor tranſit, tum quiá maritus per ſe loquendo judicio, & dotibus ad imperandum neceſſariis præſtantior eſſe ſolet, quàm uxor; *quidquid enim maſculinum*, inquit Ariſtoteles *lib. 1. Polit. cap. 8. naturâ magìs factum ad imperandum fœmineo*, tum quia naturale eſt, ut agens moveat paſſum; & cauſa principalis ſuum inſtrumentum. Maritus autem in generatione habet ſe per modum agentis, & cauſæ principalis; uxor verò per modum patientis, & inſtrumenti: ergo &c. P. Leſſ. *de J. & J. lib. 2. cap. 46. dubit. 4. n. 24.* Grot. *§. 8. num. 1.*

X.

Enaſcitur ſocietas conjugalis ex conventione, quâ mas, & fœmina ſibi mutuò jus tradunt in corpora ſua ad uſum humanæ generationis. Fidem ergo conjugalem non tantùm uxor marito, ſed & maritus uxori debet, ac proinde nemini licet plures ſimul ducere uxores. Putat quidem Grot. *in* §. *9.* pluralitatem uxorum à Chriſto demum fuiſſe prohibitam, in veteri autem teſtamento nullam extare legem, quæ hoc prohibuerit, & ideo viros etiam ſanctiſſimos plures unà habuiſſe uxores. Deinde addit, volenti uxorem ſuam dimittere *Deuteron. 24.* etiam modum dimittendi fuiſſe præſcriptum, ex quo ſatis apparere arbitratur, quòd olim matrimonium non niſi talis fuerit cohabitatio maris cum fœmina, *quæ*, ùt loquitur *in cit. §. 8. num. 2. fœminam conſtituerit quaſi ſub oculis, & cuſtodiâ mariti*, intellige quoad uſum humanæ generationis, ita ut fœmina quidem fuerit obſtricta mari ad fidem, non autem verſâ vice mas fœminæ. At multùm in hoc fallitur A. nam cùm Deus in paradiſo inſtituit matrimonium, non niſi unum cum unâ conjungi voluit, velut patet ex *Geneſ. cap. 2. verſ. 24.* & *Matth. 19. verſ. 5.* ubi Chriſtus, *non legiſtis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quòd autem in veteri teſtamento viri etiam ſanctisſimi plures unà habuerint uxores, factum eſt ex conceſſione divinâ; quamvìs enim ex inſtitutione primævâ matrimonium tantùm ſit conjunctio unius cum unâ, potuit tamen Deus tanquam ſupremus dominus uni viro jus dare in corpora plurium fœminarum. Similiter licèt matrimonium ex vi primævæ inſtitutionis ſit indiſſolubile, poteſt tamen Deus permittere, & Judæis propter duritiem cordis eorum per Moſen quoque permiſit, ut poſſent dimittere uxores ſuas, *ab initio autem*, inquit Chriſtus *cit. cap. 19. non fuit ſic*, quibus verbis manifeſtè provocat ad primævam matrimonii inſtitutionem, quam Chriſtus reſtituit.

XI.

Cæterùm quamvìs liberi peccent, ſi non conſultis, aut diſſentientibus parentibus, ſine juſtâ cauſâ matrimonium contrahant,

matrimonium tamen ita contractum validum eſt, & ideo rectè PP. ſacri Concilii Trident. anathemate damnant omnes illos, qui matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta affirmant irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. *Seſſ. 24. cap. 1. in princip. de reformat. matrim.* Ratio eſt, quia liberi in eligendo ſtatu non dependent ab imperio parentum, ſed ſui juris ſunt. Nec obeſt, quòd peccent, quia ex hoc non ſtatim inferri poteſt, matrimonium eſſe irritum, multa enim prohibentur, quæ, ſi fuerint facta, obtinent roboris firmitatem. Sic cum voto caſtitatis ſimplici matrimonium contrahere prohibitum eſt, ſi tamen contractum fuerit, valet. Sic etiam prohibitum eſt, rem ultra juſtum pretium vendere, non tamen propterea talis venditiò eſt irrita. Non aliter igitur actus jure naturæ eſt nullus, quàm ſi vel deficiat poteſtas, aut voluntas, vel adſit incapacitas ex parte materiæ, vel denique turpitudo duret in effectu, velut latiùs explicavimus in Jure Publico Univerſali, quorum tamen nullum in propoſito occurrit.

P. 1. c. 1. §. 2. n. 21. & duob. ſeqq.

XII.

Diximus paulò antè, pluralitatem uxorum vi primævæ inſtitutionis matrimonii in paradiſo factæ prohibitam eſſe, utrùm autem etiam ipſo jure naturæ prohibita ſit? non adeò expeditum eſſe videtur; negant enim haud pauci, plures tamen affirmant, quorum ſententiam veriorem eſſe arbitror; nam primò adverſatur pluralitas uxorum pacificæ, & tranquillæ conjugum cohabitationi, exemplo ſint Sara & Agar *Geneſ. 21.* Rahel & Lia *Geneſ. 30.* Deinde adverſatur etiam fini primario matrimonii, ſcilicet generationi prolis, ſaltem hactenus, quatenus illi, qui cum pluribus commiſcentur, ſæpè redduntur ſteriles, & infœcundi. Sic teſtatur Suidas, Salomonem ex mille fœminis non niſi unicum filium, & duas filias ſuſcepiſſe. Denique tametſi prolis generatio non impediatur, educatio tamen non erit immunis ab omni diſcrimine, vix enim continget, ut una non magìs diligatur, quàm altera: hæc ergo, quæ præ aliis diligitur, facilè affectum, & curam paternam pro ſuis potiſſimùm liberis poterit impetrare, & efficere, ut cæteri negligantur. Multò magìs polyviria, ſeu pluralitas viro-

rum jure naturæ prohibita eſt; repugnat enim primò generationi prolis, cùm fœmina, quæ pluribus ſe commiſcet, vel nunquam, vel rariùs pariat, ùt patet in meretricibus: eſt autem generatio prolis finis matrimonii primarius. Secundò adverſatur educationi prolis; cùm enim non conſtaret, quisnam ex pluribus maritis ejus pater eſſet, nullus eandem tanquam ſuam teneretur agnoſcere, & educare, & ita educatio ab omnibus negligeretur. Tertiò denique adverſatur tranquillæ cohabitationi, & paci conjugum, qui eſt finis matrimonii ſecundarius. Confer Dn. P. Schmier *P. 3. de ſponſat. & matrim. cap. 2. ſect. 3. §. 2. & 3.* D.P. Pichler *ad tit. de ſponsâ duorum num. 9. & ſeqq.* Dn. P. Schmalzgrueber *ad eund. tit. num. 12.* & alios.

XIII.

Majus dubium eſt, quousque matrimonium inter perſonas ſanguine conjunctas jure naturæ prohibitum, & irritum ſit? In hac quæſtione facilè omnes conveniunt, matrimonium inter patrem & filiam, matrem & filium, non tantùm jure naturæ illicitum, ſed etiam invalidum eſſe. Dixi I. *tale matrimonium eſſe illicitum*; adverſatur enim reverentiæ, quam liberi jure naturæ parentibus debent, nam maritus, qui ſuperior eſt lege matrimonii, illam reverentiam præſtare non poteſt matri, quam natura exigit, nec patri filia; licèt enim in matrimonio inferior ſit, ipſum tamen matrimonium talem inducit ſocietatem, vi cujus non tantùm vir in corpus mulieris, ſed & mulier in corpus viri dominium habet, ac per conſequens neceſſariò reverentiam, quam filia patri debet, excludit. Et ſanè ab ejusmodi conjunctione Gentes moratiores omnes ſemper abhorruerunt, quem horrorem, & averſionem non niſi recta ratio potuit inſtillare, cùm bruta à concubitu cum parentibus non ſoleant abhorrere. Dixi II. *tale matrimonium etiam eſſe invalidum*, ratio eſt, quia turpitudo perpetuò durat in effectu, cùm tale matrimonium non tantùm turpe ſit in contrahendo, ſed etiam, & multò turpior ſit ejus uſus, ac proinde ipſe valor eſt contra jus naturæ. Utrùm autem matrimonium etiam inter ulteriores aſcendentes, & deſcendentes lineæ rectæ jure naturæ irritum ſit? Non æquè expeditum eſt; ſunt enim, qui putant, matrimonium in lineâ rectâ irritum eſſe in infinitum. Alii cenſent, impedimentum

hoc

hoc dirimens durare tamdiu, quamdiu durat amicitia, & communicatio proprietatum individualium. Rurſus alii exiſtimant, illud non excedere gradum vigeſimum. Nonnulli illud extendunt ad gradum ſeptimum, alii ad gradum tantùm ſecundum, alii denique docent, ultra primum gradum matrimonium jure naturæ irritum haud eſſe, quam poſtremam ſententiam, pro qua poſt S. Thomam plurimi ſtant AA. probabiliorem eſſe arbitror. Ratio eſt; quia avus non eſt principium neptis eſſentiale, ſed tantùm accidentale, nam ut quis filius ſit, tantùm deſideratur, ut à parentibus trahat originem, non etiam ut avum, & aviam habeat, velut patet in liberis Adami, qui nullum habuerunt avum, & aviam, ac proinde per accidens tantùm eſt, quòd alicujus parentes etiam habeant parentes. Certè avus reſpectu neptis non habet rationem genitoris, ſed ſolùm rationem cauſæ applicantis genitorem: cauſa autem applicans cauſam productivam effectûs, non eſt cauſa effectûs per ſe, ſed tantùm per accidens, ac proinde non debetur jure naturæ avo tanta reverentia, quanta debetur patri. Interim negari non poteſt, quin matrimonium avi cum nepte, & aviæ cum nepote naturalem quandam indecentiam contineat, quæ tamen non videtur tanta eſſe, ut jus naturæ propterea tale matrimonium debuerit reddere irritum. Sic etiam indecens eſt, ut patruus, vel avunculus ducat fratris, vel ſororis filiam, nemo tamen dixerit, tale matrimonium jure naturæ irritum eſſe. Confer Dn. P. Schmier *cit. Part. 3. cap. 3. ſect. 1. §. 4. à num. 41. uſque ad num. 49.* Dn. P. Schmalzgrueber *ad Tit. de conſanguinit. & affinit. num. 31. cum duob. ſeqq.* Dn. P. Pichler *ad eund. Tit. num. 13. & 14.*

XIV.

Par difficultas eſt de gradu primo lineæ transverſæ; nam quòd matrimonium inter collaterales in gradu ſecundo, vel ulteriori exiſtentes jure naturæ non ſit irritum, ſatis colligitur ex *cap. 8. x. de Divort.* ubi Innocentius III. aſſerit, infideles, qui in ſecundo, vel ulteriori gradu conſanguinitatis matrimonium contraxerunt, ad fidem converſos non eſſe ſeparandos: ergo tale matrimonium non eſt jure naturæ irritum, aliàs poſt converſionem utique eſſent ſeparandi. Dubium ergo tantùm eſt, utrùm matrimonium inter fratrem,

fratrem, & ſororem contractum ipſo jure naturæ irritum ſit? Videtur ſententia negans eſſe probabilior, eò quòd frater, & ſoror non habeant inter ſe rationem principii, & principiati, ſed tantùm à communi principio deſcendant: ergo non tenentur tantam ſibi invicem exhibere reverentiam, quanta neceſſaria eſt ad hoc, ut dici poſſit, ejusmodi matrimonium ab ipſo jure naturæ, irritatum eſſe. Certè jus naturæ ſi non ſit ſufficienter promulgatum, tam parùm obligat, quàm parùm obligat lex poſitiva, quæ non eſt ſufficienter promulgata, cùm ſufficiens promulgatio ſit eſſentiale complementum omnis legis: atqui in propoſito jus naturæ non eſt ſufficienter promulgatum, cùm non modò tanta, ſi non major, ſtet auctoritas pro noſtrâ, quàm contrariâ ſententiâ, ſed etiam rationes, quibus adverſarii exiſtentiam talis legis naturalis irritantis probare nituntur, facilem recipiant ſolutionem. Unde nec ipſi negant, aut negare poſſunt, ſummopere dubium eſſe, utrùm detur talis lex naturalis irritans, vel non? ergo hoc ipſo tale matrimonium jure naturæ erit validum; quia tamdiu pro valore actûs pronuntiandum eſt, quamdiu non certò conſtat de exiſtentiâ legis eundem irritantis. Exemplum talis matrimonii habemus in Abrahamo, & Sara; quamvis enim ſint, qui dicant, Saram non fuiſſe ſororem conſanguineam Abrahami, ſed fratris ejus Aran filiam, verba tamen Abrahami *Geneſ. 20. verſ. 11.* ſatis clara eſſe videntur, ait enim: *aliàs autem verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Nec adverſatur, quòd conjugium fratris cum ſorore *in Levit. cap. 18.* tanquam turpe prohibeatur, ait enim textus: *turpitudinem ſororis tuæ non revelabis*; non enim omnia conjugia, quæ hoc *cap.* prohibentur, etiam jure naturæ prohibentur; nam primò ſacrum Concil. Trident. *ſeſſ. 24. can. 3. de matrim.* anathema ſtatuit in eos, qui aſſerunt, Eccleſiam non poſſe in nonnullis gradibus in Levitico expreſſis diſpenſare: atqui ſi omnia conjugia, quæ in Levitico prohibentur, ipſo jure naturæ eſſent prohibita, non poſſet Eccleſia in ullo gradu diſpenſare: ergo &c. Deinde in Levitico prohibetur conjugium amitæ, & marterteræ cum nepote, non tamen prohibetur matrimonium patrui & avunculi cum fratris, & ſororis filiâ, neque prohibetur matrimonium duorum patruelium: ſi autem matrimonium amitæ, & marterteræ cum nepote ipſo jure naturæ

eſſet prohibitum, etiam matrimonium patrui, & avunculi cum fratris, & ſororis filiâ, ac duorum patruelium eodem jure eſſet prohibitum, cùm omnes memoratæ perſonæ eodem gradu, ſcilicet ſecundo, inter ſe diſtent, ac proinde licèt in Levitico matrimonium fratris cum ſorore prohibitum ſit, ex hoc tamen non ſtatim inferri poteſt, illud ipſo etiam jure naturæ prohibitum, & irritum eſſe. Vocat quidem Deus conjunctiones ibidem expreſſas abominationes, & ſcelera à Gentibus commiſſa: at hoc tantùm intelligi debet de concubitu cum maſculis, cum beſtiis, cum parentibus, cum nuptis alienis &c. Vid. Dn. P. Schmier *ſuprà cit.* §. *4. à num. 49. &* §. *5.* Dn. P. Schmalzgrueber *alleg. Tit. à num. 40. usque ad num. 49.* Dn. P. Pichler *ad eund. Tit. num. 15. & ſeqq.*

XV.

Connexum dubium eſt, utrum matrimonium inter affines contractum aliquando ipſo jure naturæ irritum ſit? In hac quæſtione ſatìs certum eſt primò, matrimonium non eſſe irritum, ſi affinitas orta ſit ex copulâ fornicariâ, tametſi foret in gradu primo lineæ rectæ, veluti ſi quis duxiſſet concubinam ſui patris; cùm ex copulâ fornicariâ nec reverentia, nec amicitia inter perſonas affines naſcatur. Deinde etiam ſatìs certum eſt inter Catholicos, matrimonium nec eſſe irritum jure naturæ in gradu primo lineæ transverſæ, tametſi affinitas orta ſit ex copulâ matrimoniali, veluti inter maritum, & defunctæ uxoris ſororem, vel inter uxorem, & defuncti mariti fratrem; ſic enim Sanctiſſimus Patriarcha Jacob tempore legis naturalis duas duxit ſorores, Rachelem, & Liam, nec eò nomine tanquam transgreſſor legis naturæ reprehenſus eſt. *Geneſ. 29.* Deinde lege Moſaicâ non tantùm permiſſum, ſed etiam præceptum erat, ut frater fratris ſui ſine liberis defuncti viduam in uxorem ducat. *Deuteron. 25. verſ. 5.* Porro in *cap. fin. x. de divort.* talia matrimonia cum viduâ defuncti fratris ab infidelibus contracta poſt eorum converſionem non diſſolvuntur ſed ſuſtinentur. Denique in primo gradu lineæ obliquæ jam plures Pontifices diſpenſârunt. Non adverſatur, quod *Levit. cap. 18. verſ. 16.* matrimonium cum fratris uxore fuerit prohibitum; nam hæc non eſt prohibitio juris naturalis, ſed poſitivi divini. Similiter non obſtat illud S. Joannis

Bapti-

Baptiſtæ ad Herodem: *non licet tibi habere uxorem fratris tui. Matth. 14. & Marc. 6.* quia Herodis frater adhuc vivebat, vel licèt jam fuiſſet mortuus, reliquit tamen is filiam Herodiadem, ſi autem quis deceſſerit relictis liberis, matrimonium inter fratrem defuncti, & ejus viduam lege Moſaicâ prohibitum erat.

XVI.

Controverſum ergo duntaxat eſt, utrùm matrimonium non ſaltem jure naturæ ſit irritum in gradu primo lineæ rectæ affinitatis, puta inter privignum & novercam, vitricum & privignam, ſocerum, & nurum, generum & ſocrum? Videtur probabilior ſententia negans; nam primò inter memoratas perſonas nec datur ratio principii, & principiati, cùm omnes à diverſis principiis procedant, nec vinculum ſpecialis reverentiæ, cùm iſta propinquitas tantùm ſit adſcititia, non autem congenita: ſed neque talis eſt reſpectus erga vitricum, qualis eſt erga patrem naturalem, neque tantus affectus erga novercam, qualis eſt erga matrem naturalem: ergo deficit omne nullitatis fundamentum. Deinde matrimonium contractum in gradu primo lineæ rectæ jure naturæ non eſt irritum ſi affinitas ſit orta ex copulâ fornicariâ, velut paulò antè oſtendimus: ergo neque erit irritum, ſi orta ſit ex copulâ matrimoniali; nam ſtando in jure naturali eadem eſt conjunctio, ſive copula ſit licita, ſive illicita. Porro in Concilio Agathenſi relato in *cap. 8. cauſ. 35. Quæſt. 2. & 3.* matrimonium privigni cum novercâ impoſterum quidem prohibetur, antè autem contractum non diſſolvitur. Similiter in Concilio Epaumenſi *can. 30.* & Aurelianenſi *3. can. 10.* in infidelitate contractum poſt converſionem præcipitur ſervari. Denique pro valore matrimonii tamdiu pronuntiandum eſt, quamdiu non certò conſtat de exiſtentiâ Legis illud irritantis. Non adverſatur, quòd in veteri teſtamento concubitus cum novercâ, vel nuru pœnâ mortis fuerit punitus, *Levit. cap. 20.* hoc enim accipi debet de concubitu fornicario, non matrimoniali. Deinde nec obſtat illud Apoſtoli *1. ad Corinth. 5.* ubi ait: *auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Apoſtolus enim loquitur de caſu, quo pater adhuc vivit. Confer Dn. P. Schmier *ſuprà cit. cap. 3. ſect. 2. §. 4. à num. 149.* Dn. P.

Schmalzgrueber *alleg. Tit. à num. 101.* Dn. P. Pichler *ad eund. Tit. num. 26. & ſeqq.*

XVII.

Cæterùm ne fortè quempiam decipiant vocabula *concubinatus*, & *concubina*, ita ut quoties illa legerit, ſtatim putet intelligi conjunctionem fornicariam, ideo ſciendum eſt, quandoque etiam indiſſolubilem unius cum unâ affectu conjugali initam conſociationem, tametſi verum ſit matrimonium, concubinatum tamen, non matrimonium, & quæ ita juncta eſt, concubinam, non uxorem vocari. Ita accipitur vox *concubina in can. 4. & 5. Diſtinct. 34.* ubi Chriſtianis permittitur aut uxorem, aut illius loco concubinam habere. Hoc ſenſu etiam accipitur hoc vocabulum *Geneſ. 25.* ubi dicitur, Abrahamum filiis concubinarum largitum eſſe munera, & ſæpè alibi. Nimirum quæ ſolennitatibus uſu olim receptis ducta fuerat, uxor, quæ verò ſine illis ſolennitatibus conjuncta erat, concubina vocabatur.

XVIII.

Præter conſociationem matrimonialem dantur & aliæ tum publicæ, tum privatæ: publicæ porro aut ſunt in populum, aut ex populis. Conſociatio in populum civitas dicitur, quæ verò fit ex populis, conſurgit ex fœdere vel ſimplici, vel ſyſtematico. Habent autem ſecluſis, pactis & legibus omnes conſociationes hoc commune, quòd in iis rebus, ob quas quævis fuit inſtituta, pars major habeat rationem integri, ita ut ſingulos, qui in illâ ſocietate ſunt, perinde obliget, ac ſi omnes unanimi voce conſenſiſſent, cujus rationem in Jure Publico Univerſali explicavimus. Excipitur ſocietas fœderatorum, in qua pluralitas ſuffragiorum, niſi idipſum in fœdere fuerit expreſſum, non præponderat, ſed neceſſe eſt, ut unanimis omnium, & ſingulorum conſenſus interveniat, cùm enim quilibet fœderatorum ſummum imperium retineat, unus nihil juris obtinet in alterum.

P. 2. §. 7. n. 2. verſ. 3.

XIX.

XIX.

Diximus paulò antè, partem majorem habere rationem integri, ac proinde ſi vota ſint paria, nihil agitur; cùm enim neutra pars votorum pluralitate alteram vincat, neutra alteri cedere tenetur, ac proinde eo, quo erat, res manet loco. Quòdſi quidam propter abſentiam, aut aliter impediti jure ſuo ſuffragium dandi uti non poſſint, vel uti nolint, eorum jus interim accreſcit præſentibus, ita ut, niſi lex, aut conſuetudo obſtet, jus univerſitatis etiam ad unum recidere. & is, ſi negotium moram non patiatur, univerſitatis nomine decernere queat; quamvìs enim jure Romano requiratur, ut duæ ſaltem univerſitatis partes præſentes ſint, hoc tamen non videtur eſſe naturale. Grot. §. *18. & 20.* & ibidem Ziegler & Hennigeſ.

XX.

Quæſitum eſt, utrùm, ſi plures judices diſſonas ferant ſententias, illæ conjungi poſſint, ita ut majora conſurgant? Placet intereſſe, utrùm planè diverſæ ſint, vel una partem alterius contineat. Illæ conjungi haud poſſunt: hæ autem in eo, in quo conveniunt, conjungi poſſunt. Sic ſi unus reum morte puniendum, alter eum relegandum eſſe pronuntiet, tertius verò eundem abſolvat, nulla harum ſententiarum, quia planè diverſæ ſunt, cum aliâ conjungi poteſt. Econtra ſi unus reum condemnet in XX. alter in XV. tertius verò eundem abſolvat, jam ſententia ſecundi cum ſententiâ primi conjungi poteſt, ita ut reus ſit condemnatus in XV. niſi prudens ſit præſumptio, quòd is, qui in XX. condemnavit, præciſè huic ſummæ intentionem ſuam alligaverit, ita ut noluerit condemnare in ſummam minorem; nam hoc caſu ſententiæ planè eſſent diverſæ, & ita textum *in l. 27.* §. *3. f. de receptis &c.* & *in cap. 1. de arbitr. in 6.* temperandum eſſe arbitramur. Vid. Grot. §. *19.*

XXI.

Inter ſocios hic quidem ordo naturalis eſt, ut, qui prior in ſocietatem venit, præcedat, quem morem etiam in Chriſtianorum Regum, ac populorum ſocietate antiquitùs obtinuiſſe ait A. ut,

qui primi Chriſtianiſmum profeſſi eſſent, in Conciliis ab Eccleſiâ inſtitutis cæteros præcederent, hoc tamen perpetuum non eſſe ſatis patet. Quòdſi ſocietas poſſeſſionum cauſâ ſit inita, vel ſaltem ex modo poſſeſſionum dignitas ſociorum deſumatur, non tantùm ordo præcedendi ex quantitate poſſeſſionum ſumi, ſed & ſententiæ æſtimari ſolent, niſi aliud ab initio, cùm in ſocietatem coiretur, inter ſocios placuerit. Unde etiam jus Romanum conſtituit, ut in multis caſibus major pars non ex numero perſonarum, ſed ex modo debiti, aut magnitudine portionum, quam aliquis in re habet, deſumatur, velut *in l. 8. ff. de Pact. l. 14. ff. depoſit. l. 16. ff. de rebus author. judic. poſſidend.* Grot. §. *21. & 22.*

XXII.

Omnium autem ſocietatum perfectiſſima eſt civitas, quæ maximum jus habet in partes, ex quibus conſtat, adeò ut, licèt ſinguli, qui in cœtum perfectum coaluerunt, jure naturæ libertatem habeant, etiam non impetratâ veniâ, emigrandi, & domicilium ſuum aliò transferendi, niſi peculiari vinculo ſint obſtricti, aut eorum diſceſſus vergat in præjudicium Reipublicæ, hanc tamen libertatem naturalem lege publicâ reſtringere, & prohibere poſſit, ut nullus ſubditorum, niſi veniâ priùs impetratâ, diſcedat, velut, multorum etiam populorum legibus prohibitum eſſe conſtat; qui tamen vel vi libertatis naturalis, vel veniâ impetratâ emigrârunt, in eos perinde, ùt in exules, quos propter delictum ejecit, civitas nullum ampliùs jus retinet, quæ omnia in Jure Publico Univerſali latiùs ſunt explicata, quò lectorem remittimus.

P. 5. c. 1. §. 1. à n. 12. uſque ad n. 17.

XXIII.

Subjectio ex conſenſu aut privata eſt, aut publica. Privata multiplex eſſe poteſt, ſicut multiplicia ſunt regiminum genera. Nobiliſſima ſpecies eſt arrogatio, qua aliquis ita ſed dat in familiam alterius, ut ei ſubſit ad eum modum, quo filius maturæ ætatis ſubeſt patri naturali, quo facto imperium quidem paternum in arrogatorem transfertur, obligatio tamen pietatis ex parte filii non exſpirat, quia, ùt ſuprà diximus, ejus cauſa perpetua eſt, fundata ſcilicet in generatione, quæ à patre avelli haud poteſt.

XXIV.

XXIV.

Ex adverſo ignobiliſſima ſubjectionis ſpecies eſt ſervitus, in quam quis alteri ſponte ſe addicit, ùt olim Germani, qui noviſſimo aleæ jactu de libertate contendebant, ubi victus voluntariam ſervitutem adibat, ùt refert Tacit. *de Moribus German. cap. 24. num. 4.* Qamvis autem olim apud multos populos domini impunè potuerint ſervos occidere, jure tamen naturæ ſervitus jus vitæ, & necis non continet, nam hoc jure ex propoſito interfici nemo poteſt, niſi vel in pœnam ob commiſſum crimen capitale, vel ad neceſſariam vitæ, aut rerum noſtrarum defenſionem, ſed ſi in terminis naturalibus conſideretur, in perpetuâ duntaxat conſiſtit obligatione præſtandi operas pro alimentis, & aliis vitæ neceſſariis, ac proinde nihil nimiæ habet acerbitatis, cùm perpetua hæc obligatio perpetuâ alimentorum certitudine compenſetur. Grot. §. *27. & 28.*

XXV.

Jure Romano, qui ex ancillâ naſcitur, ſervilis eſt conditionis, quia partus ſequitur ventrem. Hanc rationem non ſatìs juri naturali congruere, ſed ſi pater aliquâ ſufficiente ratione cognoſci poſſit, partum, ſecluſâ lege civili, non minùs patrem, quàm matrem ſequi putat A. §. *29.* Unde ſi uterque parentum ſervitutem ſerviat, jus domini in prolem ſervilem hoc caſu ex ipſâ alimentorum, & eorum, quæ vitæ neceſſaria ſunt, ſubminiſtratione naſci arbitratur; cùm enim diu alendi ſint liberi ex ſervis nati, antequam opera eorum domino utilis eſſe poſſit, ſequentes autem operæ ſui temporis alimentis reſpondeant, ideo eos ſervitutem effugere non poſſe, niſi pro alimentis, quantum ſatìs eſt, reddant. Ita Grot. Neſcio autem, utrùm non fortè cum Hennigeſ. rectiùs dicatur, quòd etiam jure naturæ partus ſequatur conditionem matris, ùt ejusdem fructus; licèt enim jùs Romanum partus ancillarum ob hominis præſtantiam nolit eſſe in fructu, jure tamen naturæ etiam partus ſerviles inter fructus ancillarum computari poſſunt, nec enim proprietas vocabuli repugnat. Uti ergo partus quadrupedum, ita etiam partus ancillarum, tanquam fructus ad dominum ſpectabit.

XXVI.

Dantur & ſervitutes imperfectæ, quæ vel in diem ſunt, vel ſub conditione, vel ad certas res, ùt libertorum, qui olim apud Germanos teſte Tacit. *de Morib. German. cap. 25. num. 4.* non multùm ſupra ſervos erant; ſtatu liberorum, qui teſtamento manumiſſi ſunt ſub conditione, quæ adhuc pendet; nexorum, & addictorum, qui ob æs alienum creditoribus vel ultrò, vel ſententiâ judicis operas præſtant; glebæ adſcriptorum &c. quò A. §. *30.* etiam refert eos, qui ex patre libero, & matre ancilla nati ſunt, quia ſcilicet putat, prolem utriusque parentis communem eſſe. Sed nobis veriùs videtur, tales veros eſſe ſervos, eò quòd, ùt paulò ante diximus, probabiliùs etiam jure naturæ partus ſequatur ventrem. Hinc ex adverſo qui ex matre liberâ, & patre ſervo natus eſt, nullo modo ſervus, ſed ſeclusâ etiam lege civili, liber erit.

XXVII.

Publica ſubjectio eſt, qua populus, qui ſui juris erat, ſe alteri, vel Regi, vel Optimatibus, vel etiam populo in ditionem dat, exemplum habemus in Capuâ, & populo Collatino apud Liv. *lib. 7. cap. 31. & lib. 1. cap. 37.*

XXVIII.

Ex delicto denique naſcitur ſubjectio, ſi quis propter commiſſum crimen libertate privetur, & in ſervitutem redigatur, veluti libertus, qui erga patronum ingratus extitit. *l. 2. Cod. de libert. & eor. liber.* Poſſunt autem ex cauſâ delicti non tantùm ſinguli libertate perſonali, ſed & populi libertate civili privari, & in ſervitutem publicam redigi, ut Gabaonitis accidit. *Joſue cap. 9.*

CAPUT

CAPUT VI.

De acquiſitione derivativâ facto hominis.

SUMMARIA.

I. *Quid requiratur ad alienationem inter vivos?*
II. *Traditio jure naturæ ad translationem dominii neceſſaria non eſt.*
III. *An & quatenus ſummum imperium alienari poſſit?*
IV. *Minores functiones civiles Reges etiam jure hæreditario ſine conſenſu populi concedere poſſunt.*
V. *Bona autem coronæ ſine conſenſu populi alienare haud poſſunt.*
VI. *Facultas teſtandi poſt introducta rerum dominia deſcendit ex ipſo jure naturæ.*

I.

ACquiſitione derivativâ aliquid noſtrum fit vel facto hominis, vel beneficio Legis. Facto hominis per alienationem vel inter vivos, vel in mortis eventum. Ad alienationem inter vivos ex parte alienantis duo requiruntur. Primum eſt, ut ille jus alienandi habeat. Alterum, ut voluntas alienandi verbis, vel aliis ſignis externis ſufficienter manifeſtetur; actus enim interni, quamdiu manent inter ſecreta cordis humani, non ſunt idonei ad commercium, & communicationem inter homines. Ex parte illius, in quem fit alienatio, itidem duo requiruntur. Primò voluntas accipiendi, quæ voluntatem alienandi quidem plerumque ſequitur, aliquando autem, ùt in ſtipulatione, etiam præcedit; cenſetur enim durare, niſi mutatio appareat. Secundò ut voluntas acceptandi ſigno aliquo externo declaretur. Grot. §. *1. & 2.*

II.

Jus Romanum inſuper ad translationem dominii etiam traditionem requirit. *l. 20. Cod. de Pact.* At hæc jure naturæ neceſſaria non eſt, cùm ipſo jure civili in multis caſibus dominium citra traditionem transferatur, ut rei donatæ retento uſufructu *l. 28. Cod. de Donat.* rei legatæ *l. 64. ff. de furt.* rei venditæ, vel donatæ Eccleſiis, & piis locis, aut civitatibus. *l. ult.* §. *1. Cod. de Ss. Eccleſ.*

in ſocietate univerſali omnium bonorum. *l. 1. §. 1. & l. 2. ff. pro ſocio*, quòd jus civile conſtituere non potuiſſet, ſi traditio jure naturæ neceſſaria eſſet ad translationem dominii. Leſs. *lib. 2. de J. & J. cap. 3. Dubit. 3. num. 12.* Grot. *cit. §. 1. num. 2. & cap. 8. §. 25.*

III.

Alienari poſſunt non tantùm res privatæ, ſed & publicæ, quò primò pertinet ſummum imperium. Ubi tamen intereſt, utrùm illud ſit patrimoniale, vel non? Patrimoniale ab eo, in cujus pleno, & abſoluto jure proprietatis exiſtit ſive ex toto, ſive ex parte liberè alienari poteſt. Non patrimoniale verò non aliter alienari poteſt, quàm ſi populi, vel Procerum regni conſenſus accedat, imò ſi pars tantùm alienanda ſit, præter conſenſum reliqui corporis etiam partis alienandæ conſenſus requiritur; aliàs inutilis erit alienatio, excepto caſu neceſſitatis, vel publicæ utilitatis, ubi pars etiam invita alienari, & alterius imperio ſubjici poteſt.

J. P. U. P. 2. cap. un. §. 3. num. 2. & ſeqq.

IV.

Aliud dicendum eſſe videtur de minoribus functionibus civilibus, quas Reges etiam in Regno non patrimoniali, & quidem jure quoque hæreditario, inconſulto populo, probabiliùs concedere poſſunt, quia per hoc corporis, & ſummi imperii integritas non imminuitur. Et ita paſſim etiam receptum eſſe videmus. Diſſentit Grot. §. *10.* eò quòd Reges non niſi *jus temporarium* habeant: *ergo*, inquit, *etiam effectus non niſi temporarius eſſe poteſt*, quibus verbis hoc velle videtur, quòd in regno non patrimoniali non poſſint Reges ſucceſſores obſtringere, ut ſervent, quod ipſi conceſſerunt. At licèt directè eos obligare nequeant, poſſunt tamen obligare indirectè mediante populo, qui deferendo imperium ſimul etiam poteſtatem dediſſe cenſetur, ut benè meritis tales minores functiones jure etiam hæreditario concedere poſſint, ac proinde perinde eſt, ac ſi populus immediatè per ſe conceſſiſſet. Cùm ergo Succeſſores imperium habeant à populo, neceſſariò etiam ejusmodi conceſſiones ab anteceſſoribus ex voluntate populi factas ſervare tenentur.

V.

V.

Secundò ad res publicas pertinent bona coronæ, ſeu patrimonium populi, cujus fructus deſtinati ſunt ad ſuſtinenda Reipublicæ, aut regiæ dignitatis onera. Hæc bona Reges itidem non aliter alienare poſſunt, quàm ſi populi conſenſus accedat, quia in illis non niſi uſumfructum habent, aliquando tamen hic conſenſus ex ſcientiâ, & ſilentio etiam non longi temporis præſumitur. Planè ſi juſta ſubſit cauſa, & Rex jus indicendi tributa habeat, is partem patrimonii publici ſaltem pignori obligare poteſt, quæ omnia in Jure noſtro Publico Univerſali latiùs fuerunt explicata. cit. cap. un. §. 3. num. 8.

VI.

In mortis eventum fit alienatio per teſtamentum. Quanquam autem teſtamentum, perinde, ùt alii actus, formam accipere poſſit à jure civili, ipſa tamen teſtandi facultas poſt introductum dominium deſcendit ex jure naturæ; nemo quidem pro eo tempore diſponere poteſt, quo quis non ampliùs dominus eſt: at teſtator non diſponit pro eo tempore, quo is non ampliùs dominus eſt, quia non diſponit, poſtquam mortuus eſt, ſed tota diſpoſitio ab eo vivente perficitur, licèt effectum demum poſt mortem conſequatur, quod ſimplicitati juris naturæ neutiquam repugnat; idem enim contingere poteſt in donatione inter vivos, ſi ſcilicet donans ante acceptationem ab altero factam moriatur; nam & hoc caſu donatio demum poſt mortem donantis conſequitur ſuum effectum, poſtquam nimirum donatarius donationem ſibi à defuncto factam acceptaverit. Non malè igitur A. §. *14. num. 1.* teſtamentum deſcripſit *eſſe alienationem in mortis eventum ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi, ac fruendi.* Diſſentit Puffendorf. *l. 4. cap. 10. num. 2.* qui putat, teſtamentum non poſſe, ſtrictè loquendo, vocari alienationem, eò quòd in omni alienatione requiratur, ut duorum voluntates, & quidem eodem tempore conſpirènt, & velut uniantur. Rectè; at hoc etiam in propoſito contingit, voluntas enim teſtatoris litteris, vel auribus teſtium commiſſa ejus morte non exſpirat, ſed hoc ipſo, quòd ante mortem non fuerit revocata, perdurat, ac proinde ſi hæres inſtitutus hæreditatem ſibi delatam agnoſcat, ejus voluntas, & teſtatoris voluntas jam eodem tempore conſpirant, & velut uniuntur, perinde ùt in donatione

inter vivos, ſi donans ante acceptationem mortuus ſit, & donatarius eandem poſt mortem donantis acceptet.

CAPUT VII.

De acquiſitione derivativâ beneficio legis.

SUMMARIA.

I. *Quomodo beneficio legis naturalis nobis acquiratur dominium rei alienæ ad explendum jus noſtrum?*

II. *Succeſſio ab inteſtato poſt introductum dominium fundatur in præſumptâ voluntate defuncti.*

III. *Jure naturæ debentur alimenta primò liberis, etiam extra matrimonium ſuſceptis, donec ſe ipſos alere poſſint.*

IV. *Et quidem non tantùm primi, ſed & ulterioris gradûs, ſi proximiores parentes deceſſerint.*

V. *Secundò debentur parentibus, ſi ſe non ampliùs alere queant.*

VI. *Liberi non aliter ſuccedunt parentibus, quàm ſi conſtet, ex illis eos natos eſſe.*

VII. *Poſt liberos, & parentes ab inteſtato ſuccedunt collaterales, ubi diſtingui debet inter bona paterna, vel avita, & noviter acquiſita.*

I.

Acquiſitio derivativa, quæ fit beneficio legis naturalis, vel Gentium, vel civilis. A. §. *1.* ubi meritò tanquam injuſtam damnat legem, quæ bona naufragorum fiſco addicit, niſi enim juſta præcedat cauſa, nemini, quod ſuum eſt, jure auferri poteſt. Beneficio legis naturalis nobis acquiritur dominium primò, ſi rem mihi debitam, aut loco rei debitæ, vel meæ, ubi non poſſum jus meum aliter conſequi, aliam, quæ tantundem valet, debitori, vel injuſto detentori auferam, niſi enim rei apprehenſæ dominus fierem, jus meum non expleretur, in quo tamen finis apprehenſionis conſiſtit. Et hoc in ſtatu naturali ſatis eſt expeditum, quia in hoc ſtatu quilibet ſibi jus dicere, & quod jus eſſe credit, manu exequi poteſt. At in ſtatu civitatis, niſi illa propter rebellionem,

aut

aut diſſidium ſubditorum quaſi in anarchiam ſit prolapſa, hoc permiſſum haud eſt. Quòdſi judicium ad momentum duntaxat eſſet, ut ſi debitor aufugerit, hoc caſu licitum quidem eſt fugitivo, ſi debitum non poſſem aliter conſequi, tantum, quantum mihi debet, eripere, interim tamen dominium à judicis addictione erit exſpectandum. Grot. §. *2.* ubi in fine ſubjungit, etiam tunc legem de judiciis ceſſare, & ad jus priſtinum rediri, ſi jus quidem certum ſit, probatio autem deficiat. Sed hoc non de violentâ acceptione, ſed occultâ tantùm compenſatione intelligendum eſſe oſtendi in Jure Publ. Univerſ. P. 3. c. 1. §. 4. n. 3.

II.

Secundò beneficio legis naturalis nobis acquiritur dominium per ſucceſſionem ab inteſtato, quæ poſt introductum dominium fundatur in præſumptâ voluntate defuncti; cum enim credibile non ſit, voluiſſe eum, ut bona ſua multis ſæpè laboribus parta, ſi de iis ante mortem non diſpoſuiſſet, tanquam derelicta cuivis primo occupanti cedant, neceſſariò ſequitur, ut ad illum devolvantur, cujus ea eſſe voluiſſe defunctum maximè erat probabile. Creditur autem in dubio id quisque voluiſſe, quod æquiſſimum, atque honeſtiſſimum eſt. In hoc autem genere prima cauſa eſt ejus, quod debetur, proxima ejus, quod quidem non debetur, officio tamen congruit. Grot. §. *3.*

III.

Debentur alimenta, & quidem primo loco liberis, non tantum primi, ſed & ulterioris gradûs, ſive ex filiis, ſive ex filiabus deſcendant, ſive ex legitimo matrimonio, ſive extra matrimonium ſint procreati, adeò ut parentes etiam ex damnato coitu ſuſceptos alere teneantur; cur enim innocens proles propter delictum alienum fame pereat? Impoſuit natura parentibus hanc obligationem propter generationem, qui enim generando vitam dedit, etiam quantum in ipſo eſt, & quantum neceſſe eſt, operam dare debet, ut vita, quam dedit, conſervetur. Hinc etiam bruta ex inſtinctu naturali fœtibus ſuis neceſſaria ſubminiſtrant alimenta. Falluntur ergo, qui putant, rationi naturali ſatìs quidem conſentaneum eſſe,

ut liberi à parentibus alantur, non verò eſſe debitum juſtitiæ commutativæ, utpote quæ inter patrem, & filium quà talem propter defectum alteritatis perſonarum non datur. Durat autem hoc debitum eò usque duntaxat, donec liberi ſe ipſos alere poſſint. Grot. §. 4.

IV.

Planè quod paulò antè diximus, etiam liberis ulterioris gradûs alimenta deberi, hoc ita intelligendum eſt, ut eo demum caſu procedat, quo parentes proximiores deceſſerunt; tunc enim æquum eſt, ut avus, & avia pro mortuo filio, & filiâ curam ſuſcipiant nepotum, & neptium, & ſic deinceps, unde jus repræſentationis originem ſuam traxiſſe videtur. Si autem parentes primi gradûs exſtent, avus, & avia alimenta nepotibus dare haud tenentur. Grot. §. 6.

V.

Deinde debentur alimenta parentibus; ſi enim Proximo in neceſſitate conſtituto tenemur ſuccurrere, quantò magìs parentibus, à quibus vitam, & alia plurima accepimus beneficia? Nihilominus tamen ratio naturalis, etiam ſepoſitâ lege civili, ad ſucceſſionem primo loco vocat liberos, poſtea demum parentes; in liberis enim per ſe eſt, quòd alimentis indigeant; nam quando naſcuntur, nihil ſecum afferunt, unde vivant, in parentibus autem tantum per accidens eſt, quòd ſe ipſos non poſſint alere. A. §. 5.

VI.

Non aliter autem liberi parentibus ab inteſtato ſuccedunt, quàm ſi conſtet, ex illis eos eſſe natos, præſumuntur verò nati eſſe, ſi inter illas perſonas matrimonium ſit contractum, quamvìs hæc præſumptio per certiores conjecturas elidi poſſit. Deinde ita demum ſuccedunt, ſi parentes eos non excluſerint à ſucceſſione, quo tamen caſu alimenta ſaltem ipſis ſunt relinquenda, niſi tale commiſerint delictum, propter quod mortem ſint promeriti. Porro evenire poteſt non tantùm ex lege, ſed & ex pacto, ut, qui ex juſto conjugio ſunt nati, ſola alimenta habeant, aut ſaltem, à præcipuâ hæ-

reditate excludantur, exemplo ſit matrimonium ad morganaticam contractum. Grot. §. *7. & 8.*

VII.

Poſt liberos, & parentes ex præſumptâ defuncti voluntate propter naturalem propenſionem erga familiam ſuam, ex qua ortum aliquis trahit, ab inteſtato ſuccedunt collaterales. Quis autem ordo inter eos ſervandus ſit, non ſatis eſt expeditum. A. §. *9.* & meo judicio rectè diſtinguendum eſſe putat inter bona paterna, & avita, & inter noviter acquiſita. In bonis paternis, & avitis ſuccedunt primò liberi ejus, à quo bona immediatè profecta ſunt, & ſic deinceps; cùm enim moriturus non poſſit ampliùs dominium in res ſuas retinere, non creditur is voluiſſe perdere benefaciendi materiam, in beneficiis autem naturalis ordo hic eſt, ut imprimis gratiam referamus ei, à quo beneficium accepimus, & poſtea demum amico conferamus beneficium. Refertur verò gratia vel viventibus, vel jam mortuis in eorum liberis, qui naturaliter pars ſunt parentum, & quibus, ſi viverent parentes, maximè vellent, benefieri. Cùm igitur bona provenerint à parentibus, præſumitur defunctus voluiſſe, ut illa ad parentes, unde provenerunt, vel iis non ampliùs exiſtentibus, ad eorum liberos revertantur. In bonis autem noviter acquiſitis, ceſſante officio referendi gratiam, ſucceſſio ei defertur, qui defuncto chariſſimus fuiſſe creditur, qualis ex communi hominum ſanorum inclinatione cenſetur eſſe, qui gradu cognationis proximè defunctum attingit. Idem dicendum eſt de bonis paternis, & avitis, ſi nec ipſi, à quibus venerunt, nec eorum liberi extent, ita ut officium referendi gratiam ceſſet. Ita Grot. §. *9. & 10.* qui jam tranſit ad ſucceſſionem regnorum, quam materiam in Jure Publico Univerſali plenè excuſſimus. P. 2. c. un. §. 4. per tot.

CAPUT

CAPUT VIII.

De acquiſitionibus, quæ vulgò dicuntur Juris Gentium.

SUMMARIA.

I. *Ex modis acquirendi, quos JCti Romani Juris Gentium eſſe dicunt, ſola occupatio bellica ad Jus Gentium propriè dictum pertinet.*

II. *In libertate naturali exiſtunt etiam feræ in ſylvis circumſeptis, & piſces in ſtagno, aut lacu.*

III. *Si fera capta cuſtodiam noſtram evaſerit, etiamſi eidem ſignum aliquod ſit appenſum, tamen noſtra eſſe deſinit.*

IV. *Dominium feræ in naturali libertate exiſtentis etiam per apprehenſionem mediatam nobis acquiri poteſt.*

V. *Res littorales, & pro derelictis habitæ, nec non theſaurus perinde ut feræ beſtiæ, jure naturæ occupanti cedunt.*

VI. *Acceſſiones fluviatiles non Juri naturæ, ſed Juri Civili originem ſuam debent.*

VII. *Nam Jure naturæ incrementum alluvionis cedit populo.*

VIII. *Idem dicendum de integrâ terræ parte ripis adjectâ, poſtquam coaluit.*

IX. *Et Inſulis vado cohærentibus.*

X. *Ut & parte alvei ſiccatâ, vel toto alveo deſerto.*

XI. *Agri inundati poſſeſſio Jure naturæ piſcando retinetur.*

XII. *Fœtus animalium Jure naturæ ſemper ex integro pertinent ad dominum matris.*

XIII. *Jure naturæ fructus ex re alienâ percepti non fiunt bonæ fidei poſſeſſoris.*

XIV. *Acceſſiones artificiales, puta ſpecificatio, adjunctio, inædificatio, ſcriptura, & pictura Juri naturæ ſunt incognitæ.*

XV. *Etiam plantatio, & ſatio modi acquirendi naturales haud ſunt.*

I.

ACquiſitionem, quæ fit beneficio legis naturalis, excipit illa, quæ fit beneficio Juris Gentium; quamvis autem JCti Romani

mani complures acquirendi dominii modos recenſeant, quos Juris Gentium vocant, ſola tamen huc pertinet occupatio bellica, de qua *in lib. 3.* agemus, cœteri omnes vel referendi ſunt ad jus naturæ, vel ad jus Civile, non ſolius populi Romani, ſed multarum circa Nationum: quod tantùm eſt jus Gentium impropriè dictum, quia non pertinet ad mutuam Gentium inter ſe ſocietatem, ſed ad cujusque populi tranquillitatem, unde & ab uno populo aliis inconſultis mutari poteſt. A. §. *1.*

II.

Ad jus naturæ refertur occupatio rerum, quæ nullius ſunt, quæ in duas abit ſpecies, venationem, & inventionem. Venatio porro in venationem in ſpecie, aucupium, & piſcationem. Qui ergo feram beſtiam capit, ipſo jure naturæ fit dominus captæ, modò in naturali extiterit libertate, in quâ non illa tantùm animalia exiſtere dicuntur, quæ in infinitum vagari poſſunt, verùm etiam, quæ certo loco, tantæ tamen vaſtitatis, incluſa ſunt, ut ad lubitum capi, & apprehendi nequeant, veluti ſunt feræ in ſylvis circumſeptis, & piſces in ſtagno, aut lacu. Nec quicquam refert, utrùm inde adhuc elabi poſſint, vel non, & porro, utrùm ſtagna, aut lacus ipſâ loci naturâ, vel operâ hominum ita muniti ſint, ut omnem piſcibus exitum præcludant, nam qui ſtagnum, aut lacum munit, non hoc ipſo piſces capit, ſed eorum capturam duntaxat faciliorem, & ſpem ſuam certiorem reddit. Diſpar ratio eſt piſcium, qui in piſcinam conjecti, & ferarum, quæ vivariis incluſæ ſunt, quæ procul dubio à nobis poſſidentur, ac per conſequens non ampliùs exiſtunt in libertate naturali, nam piſces in piſcinam conjecti, & feræ vivariis incluſæ ad lubitum capi, & extrahi poſſunt, non autem, qui in ſtagno, aut lacu ſunt, & feræ, quæ in ſylvis circumſeptis vagantur, ac proinde nec dici poſſunt, naturali libertate excidiſſe, quippe, quæ non quâvis incluſione amittitur, ſed eâ demum, quâ ita coërcentur, ut ad libitum capi, & apprehendi poſſint. *l. 3. §. 14. ff. de A. vel A.* P. Dn. Braun. *de Venat. cap. 1. §. 3. num. 11. & 12.* diſſentit Grot. §. *2.*

III.

Quodſi fera capta cuſtodiam noſtram denuo evaſerit, & in libertatem naturalem ſeſe receperit, etiam noſtrā eſſe deſinit, & rurſum fit occupantis: uti enim feræ per amiſſionem libertatis noſtræ fiunt, ita & per recuperationem libertatis noſtræ eſſe deſinunt. Diverſum obtinet in cæteris rebus, quarum dominium à poſſeſſione initium habet; tametſi enim earum poſſeſſio amittatur, non tamen propterea amittitur dominium. Ratio diverſitatis eſt, quia aliæ res ſine vi in poteſtate noſtrâ retinentur: feræ autem non niſi vi occupari, nec niſi vi in poteſtate noſtrâ retineri poſſunt. Unde cùm perpetuò poſſeſſioni obluctentur, etiam perpetuâ velut occupatione opus eſt. Aliter Grot. qui in §. *3.* exiſtimat, per ſe non amitti dominium feræ, quæ cuſtodiam noſtram evaſit, ſed ex ſolâ probabili conjecturâ, quòd ob difficillimam perſecutionem eam pro derelictâ habere credamur, præſertìm, cùm internoſci, quæ noſtra fuerit, ab aliis non poſſit, quam conjecturam per alias conjecturas ait elidi poſſe, ut ſi γνωρίσματα, ſive crepundia feræ eſſent appenſa, aliæve notæ impreſſæ. At ejusmodi ſigna, & ſymbola infinitam illam, quam feræ beſtiæ à naturâ inſitam habent, vim vagandi non coërcent, ac proinde efficere haud poſſunt, ut dominium earum retineatur. Intelligitur autem fera cuſtodiam noſtram evaſiſſe, & in ſuam naturalem laxitatem rediiſſe, quando vel oculos noſtros effugit, vel in conſpectu quidem noſtro eſt, ita tamen, ut difficilis ſit ejus perſecutio, veluti ſi lepus captus è manibus noſtris elapſus rurſus nemora petat.

IV.

Ut igitur ferarum in naturali libertate exiſtentium dominium acquiramus, opus eſt apprehenſione; nam ferarum dominium ſine poſſeſſione acquiri nequit, poſſeſſionem autem non aliter, quàm apprehenſione adipiſcimur. Non tamen præciſè requiritur apprehenſio immediata, ſed ſufficit mediata, ſeu quæ fit idoneis inſtrumentis, modò duo concurrant. Primum eſt, ut inſtrumenta ſint in noſtra poteſtate; aliàs enim fera dici non poteſt in noſtram poteſtatem perveniſſe. Alterum, ut fera iisdem ita concluſa ſit,

ut

ut ſaltem intra id tempus, quo ad eam perventuri ſumus, ſe inde extricare haud poſſit. Unde facilè reſolvi poteſt quæſtio, utrùm ſufficiat, feram vulnerâſſe? refert nimirum utrùm fera ita ſit vulnerata, ut non potuerit ampliùs evadere poteſtatem vulnerantis procul abeundo, vel utrùm adhuc poterat effugere per ſaltus, & ſeſe oculis venatoris ſubducere. Illo caſu ſufficit, feram vulnerâſſe, perinde enim eſt, ac ſi laqueo eam tenerem, aut lanceâ, vel gladio transverberâſſem. Hoc autem caſu vulnerâſſe non ſufficit, etſi enim, qui vulneravit, ſpem fortè capiendi habeat, multa tamen accidere poſſunt, quæ ſpem iſtam fruſtrentur, & ut fera evadat, ſiquidem multa cadunt inter calicem, ſupremáque labra. Grot. §. *3. in fin. &* §. *4.* Moribus hodiernis feram vulneratam, quamdiu eandem perſequimur, alius capere haud poteſt, ſed, qui vulneravit, ſanguinantem etiam extra proprium ſaltum XXIV. horis, nonunquam etiam diutius perſequi poteſt, modò in ipſo perſecutionis inceptæ loco ſignum aliquod, puta, pileum vel ſimile quid in rei teſtimonium deponat. Knipſchilt *de Nobilit. lib. 3. cap. 5. num. 186.*

V.

Inventio vel earum rerum eſt, quæ nunquam ullius fuerunt, vel quæ dominum habere deſierunt. Illius generis ſunt res in mari, aut littore maris natæ. Hujus generis verò theſaurus, & res pro derelictis habitæ, quæ omnes non minùs, ac feræ beſtiæ, jure naturæ primo occupanti cedunt. Uti autem Principes jus venandi, excluſis ab eo ſubditis, ita etiam jus quærendi, & occupandi res littorales paſſim ad ſe traxerunt, ſed & theſauros in quocunque loco repertos in ſolidum ſibi vindicare ſolent.

VI.

Ex adverſo ad jus civile, exceptâ fœturâ animalium, referendæ ſunt omnes cœteræ acceſſionis ſpecies, quod ut appareat, breviter easdem percurremus. Eſt igitur acceſſio vel naturalis, vel artificialis: naturalis porrò vel continua, vel diſcreta. Species acceſſionis naturalis continuæ ſunt alluvio, accretio, inſulæ productio, & alvei derelictio. At hi modi acquirendi naturales haud ſunt, ſed originem ſuam debent juri civili à diverſis populis

 citra

citra mutuam obligationem recepto, nituntur enim hoc fundamento, quod & ripæ, & alvei ſimul atque à flumine derelicti fuêre, eorum ſint, qui proximos fundos poſſident, quod juri naturæ haud quaquam congruit; ſi enim flumen publicum eſt, etiam omnes fluminis partes ſunt publicæ: atqui partes fluminis ſunt etiam ripæ, & alveus, ergo &c. Neque audiendi ſunt, qui alveum eatenus tantùm publicum eſſe contendunt, quatenus aquam profluentem continet; ſi enim ſub hoc reſpectu publicus eſt, etiam publicus erit, poſtquàm aqua exſiccavit, aut curſum mutavit; quidquid enim à populo per univerſitatem ſemel fuit occupatum, nec poſtea privatis aſſignatum, id manet in dominio populi: ergo cùm alveus tanquam pars fluminis per territorium fluentis à populo per univerſitatem ſemel fuerit occupatus, nec poſtea privatis aſſignatus, manebit is in dominio populi, tametſi aqua exſiccaverit, aut curſum mutaverit. Grot. §. *8. & 9.*

VII.

Quamvis igitur Jure Romano incrementum alluvionis ei cedat, cujus prædio illimitato adjectum eſt, jure tamen, naturæ tale incrementum cedit populo, cujus ſunt ripæ, ſi populus flumen dominio occupaverit, quod in dubio præſumitur, quia tamen ex unâ parte ejuſmodi alluvionum incrementa publicis reditibus plerumque parum momenti afferunt, ex alterâ autem vicini agri à fluminibus multa ſæpè incommoda patiuntur, ideo ſi populus agrum alicui ita aſſignâſſet, ut ad flumen usque pertingeret, hoc ipſo etiam jus alluvionis conceſſiſſe videtur, præſertim ſi poſſeſſores privatis ſumptibus ripas ſoleant munire. Grot. §. *11. & 12.* Puffendorf. *de J. Nat. & Gent. lib. 4. cap. 7. §. 12.*

VIII.

Quòd ſi violentiâ fluminis integra terræ pars prædio alieno detracta, & alibi ripæ fuerit adjecta, palam eſt, eam, antequam coaluerit, prioris domini permanere, & ab eo vindicari poſſe, poſtquam autem coaluit, idem dicendum eſſe videtur, quod modò de alluvione diximus.

IX.

Quod Jus Romanum de inſulis in flumine natis conſtituit, itidem naturale non eſt, non minus enim inſulæ, quæ vado cohærent, quàm quæ virgultis ſuſtinentur, tanquam pars, & quaſi partus fluminis publicæ ſunt, ſi flumen ſit publicum, uti enim inſula in flumine privato nata privatorum eſt, ita, quæ nata eſt in flumine publico, populi eſt, aut ejus, cui populus dedit. Quod igitur JCtus in *l. 1. §. 6. ff. de flumin.* dicit, inſulam occupantis eſſe, ſi agri ſint limitati, non aliter, tanquam naturale recipi poteſt, quàm ſi flumen à nullo populo fuerit occupatum, ſed adhuc ab omni proprietate vacuum ſit. Grot. *cit.* §. *9.*

X.

Quod de inſulis in flumine publico natis diximus, idem etiam de parte alvei, quam flumen relictâ ripâ ſiccam reliquit, vel alveo in totum deſerto dicendum eſt, nam, ut ſuprà diximus, ſi populus flumen occupaverit, alveus in dominio populi manet, tametſi is aquam profluentem non ampliùs contineat. Si tamen populus, vel is, qui jus populi habet, agros privatis ita conceſſiſſet, ut non alium terminum, quàm ipſum flumen haberent, hoc caſu ſimul conceſſiſſe videretur, ut poſſeſſores eorum agrorum partem alvei propè ripam ſiccatam ſibi vindicare poſſint. Aliud dicendum, ſi flumen omninò exaruiſſet, aut alveo in totum deſerto novum feciſſet alveum, tametſi enim privati à populo agros ita accepiſſent, ut ad flumen usque pertingerent, nihil tamen hoc caſu ex alveo ſibi vindicare poterunt, ſed is manet in dominio populi, quia flumen defecit, ac proinde non poteſt amplius agros terminare, ſed alveus ita ſiccatus, aut derelictus impoſterum tales privatorum agros terminabit. Grot. §. *13. & ibi.* Hennigeſ.

XI.

Sæpè accidit, ut flumen imbribus, vel nivibus auctum in vicinos campos ita ſe effundat, ut nec ripas, nec alveum mutet, hoc caſu proprietatem non amitti rectè quidem tradiderunt JCti Romani; licet enim ſumma pars agri in arenam diſſolvatur, manet

tamen ſolida pars fundi inferior, & ut maximè de qualitate aliquid mutet, ſubſtantiam tamen non mutat, non magis, quàm pars agri, quæ à lacu hauritur, cujus jus non mutari certum eſt, quod autem poſſeſſio amittatur, ita ut ne quidem piſcando retineri poſſit, hoc juri naturali non congruit, cùm enim etiam ſtagna, & lacus poſſideri poſſint, & poſſeſſio eorum per piſcationem retineatur, nulla apparet ratio, cur non agri quoque inundati poſſeſſio piſcando queat retineri. Planè ſi ager longo tempore merſus eſſet, nec ulla extarent retinendi dominii indicia, hoc caſu facilè præſumi poteſt, eundem pro derelicto habitum eſſe; quantum verò temporis ad inducendam derelictionis conjecturam requiratur, natura propter varietatem circumſtantiarum non determinavit; alicubi tamen legibus civilibus hoc definitum eſt. Vid. Grot. §. *10*.

XII.

Acceſſionis naturalis diſcretæ duæ ſunt ſpecies. Prima eſt fœtura animalium; quidquid enim ex animalibus dominio noſtro ſubjectis naſcitur, noſtrum eſt, & quidem, ſi etiam pater in noſtro exiſtat dominio, vel is fortè ignoretur, res dubio caret. At quid ſi pater ad alium pertineat, & probabili ratione de eo conſtet? Hoc caſu exiſtimat A. §. *18*. fœtum editum etiam ex parte ad dominum maris pertinere. Nobis contrarium verius eſſe videtur; nam primò fœtus, antequam edatur, portio fuit viſcerum matris, non patris. Deinde mater in alendo fœtu omnia confert de ſuo, quæ & ipſa interim à domino alenda eſt, domino autem maris, qui fœmellam imprægnavit, propterea nihil decedit. Denique mater, dum uterum gerit, non poteſt nobis eum uſum præſtare, quem aliàs præſtat. Planè ſi quis eum in finem admiſſarios alat, utique ipſi pro eorum uſu aliquid ſolvendum eſt. Confer. Puffendorf. *de J. N. & G. ſupra cit. cap. 7. §. 4.*

XIII.

Altera ſpecies eſt perceptio fructuum, quem modum acquirendi jus naturæ ignorat; nam hoc jure bonæ fidei poſſeſſor fructus ex re alienâ percipiendo ſuos non facit, ſed impenſas tantùm, & operam imputare, & fructus conſumptos hactenus compenſare, vel

ex-

extantes, ſi aliter ei non fiat reſtitutio, retinere poteſt. Quin jure naturæ etiam in malæ fidei poſſeſſore ratio habetur impenſarum, ne dominus rei ex alienâ jacturâ lucrum faciat, quod & JCtus agnovit *in l. 36. §. fin. ff. de petit. hæred.* Grot. §. *23. & 24.*

XIV.

Acceſſio artificialis vel pura eſt, vel mixta. Puræ plures ſunt ſpecies, ſcilicet ſpecificatio, adjunctio, ædificatio, ſcriptura, & pictura, qui modi acquirendi itidem omnes juri naturæ incogniti ſunt, ſi quis enim ex alienâ materiâ novam fecerit ſpeciem, materia, ſecluſâ lege civili, prioris domini manet, forma verò ejus eſt, qui eam fecit, ſive deinde nova ſpecies ad priorem rudem materiam reduci poſſit, ſive non, & ſive is bonâ, ſive malâ fide novam formam in alienam introduxerit materiam, nam, quòd ille, qui ſcit, materiam alienam eſſe, ſpeciem perdat, hæc cauſa eſt, quia jus civile in pœnam fingit, eum non ſuo, ſed ejus nomine ſpeciem feciſſe, cujus eſt materia, jus autem naturæ nec fingit, quia fictio eſt mera creatura juris civilis, nec pœnas determinat, nec cuiquam per ſe propter delictum dominium aufert. Similiter, ſi quis rem alienam ſuæ rei adjunxerit, quod pars minor majori, vel ſi eadem ſit magnitudo, minus pretioſa pretioſiori cedat, non repugnante quidem naturâ conſtitutum fuit, juris tamen naturalis haud eſt, ſicut nec eſt, quòd ædificium Solo, ſcriptura chartæ, tabula picturæ cedat. Grot. §. *19. 20. & 21.* add. Thomas. *Jurisprud. divin. lib. 2. cap. 10. §. 216. & ſeqq.*

XV.

Species acceſſionis artificialis mixtæ ſunt plantatio, & ſatio, qui modi itidem naturales haud ſunt, quamvis enim plantata, & conſita ex Solo alimentum trahant, non poteſt tamen jure naturæ hæc ratio efficere, ut in ſolidum ad Soli dominum pertineant, cùm alimentum rei jam exiſtentis, non niſi partem faciat, quæ domino ſeminis, plantæ, aut arboris jus ſuum non tollit. Grot. §. *22.*

CAPUT

CAPUT IX.

Quando imperia vel dominia deſinant.

SUMMARIA.

I. *Referuntur turpes errores, quos A. in* §. *11. commiſſit.*
II. *Hæres quoad dominii continuationem eadem perſona cum defuncto eſſe cenſetur.*

I.

QUæ A. in hoc *cap.* tradit, partim ſuprà, ubi de derelictione egimus, partim in Jure Publico Univerſali à nobis ſunt explicata. Quæ verò *in* §. *11.* ſcripſit, non unum continent errorem, nam ut cœtera ibidem tradita ſilentio prætercam, ait ille primò, populum Romanum retinuiſſe ſibi jus probandi, vel improbandi Electionem Regis Romanorum, ita ut,qui ab Electoribus S.R.I. electus ſit, jus quidem habeat Germanis ſecundùm eorum mores imperandi, Rex autem, vel Imperatòr Romanorum demum fiat, poſtquam populus Romanus electionem factam approbaverit, hanc autem approbationem edici, & ſolenniter teſtatam fieri per Pontificem peculiari coronatione. Secundò ait, Pontificem, vacante imperio, tanquam primam perſonam populi Romani tali tempore liberi, ejus nomine tribuere inveſtituras feudorum Imperii. Tertiò, ſi Imperator morbo, aut captivitate impediatur, fungi imperio, poſſe ei vicarium dari ab ipſo populo Romano. Tot ſanè propemodum errores, quot verba, qui jam dudum à ſcriptoribus Juris Publici Romano-Germanici exploſi, & refutati ſunt. Vid. latè Limn. *Tom. 5. in addit. ad lib. 1. cap. 4. num. 24.*

II.

Illud certum eſt, quòd perſona hæredis quoad dominii continuationem eadem cum defuncto perſona eſſe cenſeatur. Si quis autem nec inter vivos, nec mortis cauſâ de bonis ſuis diſpoſuiſſet, nec ullum ab inteſtato reliquiſſet hæredem, omne jus, quod habuit, interiiſſet, & ejus bona, ſecluſâ lege, aut conſuetudine, quæ ejus-

modi

modi bona vacantia fiſco addicit, primo occupanti cederent. Grot. §. *1. & ult.*

CAPUT X.

De obligatione, quæ ex dominio oritur.

SUMMARIA.

I. *Qui rem alienam penes ſe exſtantem habet, tenetur, quantum in ipſo eſt, efficere, ut illa in poteſtatem domini veniat.*

II. *Cui obligationi ſemper cedit obligatio ex contractu nata.*

III. *Si res non ampliùs extet, tenetur bonæ fidei poſſeſſor, in quantum ex re alienâ factus eſt locupletior.*

IV. *Qui rem ab altero perditam invenit, tenetur debitam diligentiam adhibere, ut deveniat in notitiam domini.*

V. *Cui rem reſtituere tenetur, nec ab eo pretium inventionis petere poteſt.*

VI. *Quòd ſi poſt debitam diligentiam non pervenerit in notitiam domini, non tenetur rem erogare in uſus pios, vel in pauperes.*

VII. *Utrùm is, qui rem alienam emit, pretium à domino repetere poſſit?*

VIII. *Ad quid teneatur, qui rem alienam bonâ fide emptam rurſus vendidit, aut donatam rurſus alteri donavit?*

IX. *Bonæ fidei poſſeſſor ad nihil tenetur, tametſi res ejusdem culpâ perierit.*

X. *Præter rem etiam fructus rei reſtituere tenetur.*

XI. *Fructus autem merè civiles nec bonæ, nec malæ fidei poſſeſſor reſtituere tenetur.*

XII. *Acceptum ob turpem cauſam jure naturæ reſtituendum haud eſt.*

XIII. *Quod autem ob cauſam honeſtam ex juſtitiâ debitam acceptum eſt, illud danti reſtitui debet.*

XIV. *Idem dicendum eſt, ſi pro opere ex charitate debito, niſi illud laborioſum, vel ſumptuoſum ſit, aliquid fuerit acceptum.*

XV. *Utrùm is, qui rem furtivam bonâ fide emit, poſtquam cognovit furtivam eſſe, eam furi reſtituere poſſit, ut pretium recipiat?*
XVI. *Refellitur ſententia, quæ tradit, rerum fungibilium dominium ſine conſenſu domini tranſire.*

I.

POſtquam A. expoſuit jus, quod nobis vel in perſonas, vel res competit, progreditur jam ad obligationem, quæ illi incumbit, qui rem alienam penes ſe extantem habet, vel ex eâ factus eſt locupletior. Qui rem noſtram penes ſe extantem habet, tenetur, quantum in ipſo eſt, efficere, ut illa in noſtram poteſtatem veniat, ſive deinde bonâ, ſive malâ fide nactus ſit rei noſtræ poſſeſſionem, etiamſi eandem ex ignorantiâ fortè non repetamus, in quam obligationem omnes in ipſa dominiorum introductione conſenſiſſe cenſeri debent, cùm illa ad conſervandam pacem, & tranquillitatem humanæ ſocietatis omninò ſit neceſſaria. Inter eum tamen, qui bonâ, & eum, qui malâ fide adeptus eſt poſſeſſionem rei alienæ, hoc intercedit diſcrimen, quod prior non teneatur rem reſtituere ſuis impenſis, ſed ſufficiat, ſi domino indicet, rem apud ſe eſſe, neque ſe impediturum, quò minùs is eandem recipiat, poſterior verò teneatur rem ſuis ſumptibus reſtituere. Ratio eſt, quia tenetur dominum omnino indemnem ſervare, quod non fieret, ſi is pro recuperandâ re ſuâ ſumptus facere cogeretur. Grot. §. *1. num. 2. & 3. & ibi* Hennigeſ.

II.

Cùm igitur obligatio, reſtituendi rem alienam ſuo domino, ex ipſo jure naturæ deſcendat, ideo obligatio nata ex contractu ſemper eidem cedit; nemo enim contrahendo ſe aliter obligare poteſt, quam ſalvâ manente obligatione eidem ab ipſo jure naturæ impoſitâ. Hinc ſi dominus rem ſuam à latrone aut prædone depoſitam repetat, præferendus eſt dominus etſi bona deponentis ſint publicata, res depoſita fiſco, tanquam domino, non deponenti reſtitui debet, nihil enim refert, utrum dominium ex jure naturæ, vel civili quæſitum ſit, quia ſemper naturam ſuam retinet. Vid. *l. 31. in princ. & §. 1. ff. depoſit.* Planè, ſi quis rem ſibi pignori tradi-

traditam apud alterum depoſuiſſet. Illa non domino ante ſolutum debitum eandem repetenti, ſed ei, qui depoſuit, cùm ejus interſit, reſtituenda foret. Grot. *cit.* §. *1. n. 4. & 5.*

III.

Quòd ſi penes illum, qui ex re acceptâ tantùm ad reſtitutionem obligatus eſt, res non ampliùs extet, tunc is in tantum duntaxat tenetur, in quantum ex re alienâ factus eſt locupletior, quia hactenus plus, alter autem minus habet, quàm eum habere oportet, non patitur autem æquitas naturalis, ut aliquis ex bonis alterius ſine ullâ ipſius culpâ, conſenſu, aut lege, quæ juſtâ ex cauſâ id permittat, lucrum ſentiat, & hanc æquitatem JCti Romani extra legum præſcripta in multis caſibus, quos A. §. *2.* recenſet, ſecuti ſunt. Ex quibus infertur

IV.

Primò, quòd is, qui rem ab altero perditam invenit, debitam pro rei qualitate diligentiam adhibere teneatur, ut deveniat in notitiam domini. Tenetur autem ad hoc non tantùm ex charitate, quæ obligat ad cavendum damnum proximi, ſi ſine incommodo caveri poſſit, ſed etiam ex juſtitiâ, quia hoc ipſo quòd rem, quam alienam eſſe ſcit, tollat, ſe ad inquirendum dominum obligare cenſetur; nam hoc facto ultrò ſe obligat ad reſtituendum: ergo etiam ultrò ſimul ſe obligat ad inquirendum, cujus res illa ſit, qui enim ſe obligat ad reſtituendum, etiam ſe obligat ad omne id, quod ad hunc finem eſt neceſſarium, modò in ejus ſit poteſtate. Eſt autem debita inquiſitio ad reſtituendum neceſſaria, & in poteſtate inventoris, ergo &c. Infertur

V.

Secundò, quòd inventor rem domino reſtituere teneatur, tametſi hic eidem nolit dare præmium inventionis; ſi enim non aliter rem reſtituere vellet, quam accepto inventionis præmio, directè lucrum quæreret ex re alienâ, quod, ut ſupra diximus, ſine conſenſu domini, aut lege id permittente licitum haud eſt, & ideo JCtus. in *l. 43.* §. *9. ff. de furt.* rectè dixit, *eum non probè facere, qui pretium inventionis petit.*

VI.

Quòd ſi inventor poſt debitam inquiſitionem non pervenerit in notitiam domini, multi putant, inter quos etiam eſt Leſs. *lib. 2. de J. & J. cap. 14. dubit. 7. num. 49.* eum teneri rem inventam impendere in pauperes, vel alios pios uſus. Contraria tamen ſententia, quòd eandem ſibi poſſit retinere, mihi probabilior videtur; cùm enim dominus poſt longum etiam tempus adhuc comparere poſſit, cenſetur is potiùs velle, ut res ab inventore aſſervetur, vel bonâ fide diſtrahatur, aut abſumatur cum obligatione reſtituendi, quantum inde locupletior factus eſt, quàm ut impendatur ad pios uſus ſine ullâ deinde ſpe recipiendi, ſi fortè, ut ſæpè contingit, poſtea compareat. Confer. P. Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 5. cap. 1. Controverſ. 1. §. 3. n. 28. & ſeqq.* Infertur

VII.

Tertiò eum, qui rem alienam authoritate judicis facilè recuperabilem emit, non poſſe à domino repetere pretium erogatum. Si verò recuperatu difficilem, aut moraliter impoſſibilem comparaverit, v. g. à latrone, piratâ &c. hoc caſu tantum is repetere poteſt, quantum dominus pro recuperandâ re ſuâ libenter fuerat impenſurus, tametſi non eo animo emerit, ut domino reſtituat, nam ipſa poſſeſſio facti recuperatu facilis, quæ antea erat difficilis, aut moraliter omnino impoſſibilis, pretio eſt æſtimabilis, & hactenus dominus poſt rem amiſſam cenſetur eſſe factus locupletior. Certè nemo tenetur rem alioquin perituram alteri gratìs ſervare. Confer. Leſs. *cit. cap. 14. dubit. 3. num. 20.* & Grot. §. *9.* Infertur

VIII.

Quartò eum, qui rem alienam bonâ fide emit, & rurſus vendidit, hactenus tantùm ad reſtitutionem teneri, quatenus pluris vendidit, eum verò, qui rem ſibi donatam vendidit, teneri ad reſtituendum totum pretium, quod accepit, niſi fortè illud prodegerit, aliàs non prodacturus. Ex adverſo, qui rem ſibi donatam rurſus alteri donavit, ad nullam reſtitutionem tenetur, niſi etiam ſine hac re tantundem donaturus fuiſſet, tunc enim lucrum erit, rei ſuæ peper-

peperciſſe. Leſs. *cit. cap. 14. dubit. 1. num. 4. & 6.* Grot. §. *7. & 8.* Infertur

IX.

Quintò, bonæ fidei poſſeſſorem ad nihil teneri, ſi res ſine ejus culpâ perierit, quia nec rem habet, nec lucrum ex re: imò nequidem tenetur, ſi res culpâ ejus perierit; ſi enim hoc ſaltem caſu ad reſtitutionem teneretur, tunc is teneretur ex injuſtâ læſione; atqui nequidem ex hoc capite tenetur, quia quaſi rem ſuam neglexit, ac proinde damnum proximi ipſi nullo modo fuit voluntarium: ergo &c. *cit. Dubit. 1. num. 7.* Grot. §. *3.*

X.

Sextò bonæ fidei poſſeſſorem teneri præter rem etiam fructus rei, non tantùm extantes, ſed etiam conſumptos reſtituere, modò aliàs quoque tantundem conſumpturus fuiſſet, nam in hoc factus eſt locupletior, quòd conſumptis rebus alienis ſuas ſervaverit. Poſtquam autem jure Romano bonæ fidei poſſeſſor fructus ex re alienâ percipiendo ſuos interim facit. *l. 48. in prin. ff. de A. R. D.* is fructus conſumptos reſtituere haud tenetur, tametſi ex illis locupletior ſit effectus, quia non ex re alienâ, ſed ex re ſua factus eſt ditior. Nec adverſatur, quòd fructus tantum *interim* ſuos faciat; quemadmodum enim dominium revocabile vi præſcriptionis fit irrevocabile, ita etiam per conſumptionem bonâ fide factam fit irrevocabile, ac proinde lucrum ex conſumptione natum non ampliùs retinet naturam fructuum exſtantium. Grot. §. *5.*

XI.

Planè fructus civiles, qui tantùm occaſione rei percipiuntur, non autem ex ipſo corpore rei proveniunt, nec bonæ nec malæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere, tametſi adhuc exſtarent, vel ex illis facti fuiſſent locupletiores; uti enim fructus rei rem, ita fructus induſtriæ induſtriam ſequuntur. Deinde nec fructus, quos bonæ fidei poſſeſſor percipere neglexit, is reſtituere tenetur, quia nec rem habet, nec quidquam, quod rei loco ſuccedat. Grot. §. *4. & 6.*

XII.

Illud non ſatis expeditum eſt, utrùm acceptum ob turpem cauſam, aut honeſtam, ad quam accipiens aliàs obligabatur, jure naturæ reſtituendum ſit? Continet hæc quæſtio duos caſus, qui non eandem admittunt deciſionem. Primus eſt, utrùm acceptum ob turpem cauſam, opere impleto, jure naturæ reſtituendum ſit? Alter, utrùm hoc jure reſtituendum ſit, quod acceptum fuit ob cauſam honeſtam, ad quam accipiens antea erat obligatus? Primum quod attinet, Theologi poſt S. Thomam uno ferè ore docent, reſtituendum non eſſe; licet enim opus turpe, quà tale, non ſit pretio æſtimabile, æſtimatur tamen inter homines, quatenus eſt delectabile, vel utile uni, & alteri periculoſum, vel laborioſum: ergo qui pro tali opere turpi mercedem proportionatam accipit, nec ex re acceptâ, nec ex injuſtâ læſione danti ad reſtitutionem tenetur. Confer. Leſs. *ſæpè cit. cap. 14. Dubit. 8. num. 52.* & P. Haunold *de J. & J. Tom. 1. tract. 2. cap. 3. contr. 5. num. 354. & ſeqq.* Conſentit Grot. §. *12.*

XIII.

In altero caſu ſi actio, vel omiſſio, actionis ſit alteri debita ex juſtitiâ, acceptum ob eam cauſam danti reſtituendum eſt, niſi appareat, eum, qui dedit, habuiſſe animum donandi. Ratio eſt, quia aliàs non ſervaretur æqualitas, cùm talis actio, vel omiſſio actionis alteri debeatur ſine ullâ bonorum ſuorum jacturâ. Deinde is, qui pro actione, vel omiſſione ex juſtitiâ debitâ aliquid dedit, vel ſcivit, talem actionem, vel omiſſionem gratis eſſe debitam, vel ignoravit? ſi ſcivit, vel habuit animum donandi, & ſumus extra caſum, vel dedit ad redimendam vexam, & evitandum majus damnum, & tunc eſt rationabiliter invitus, ut, quod dedit retineatur. Si ignoraverit, itidem eſt rationabiliter invitus. Leſs. *cit. cap. Dubit. 9. num. 63.* Haunold *ubi ſupra num. 351. & ſeqq.* Diſſentit Grot. *cit.* §. *12.*

XIV.

Idem dicendum eſt, ſi pro opere ex charitate debito, niſi fortè ſit laborioſum, vel ſumptuoſum, aliquid fuerit exactum, & ſolutum, nam communi hominum judicio hæc opera charitatis non ſunt pretio æſtimabilia, & cùm valdè interſit proximi, ut hæc fiant, ſi quid exigatur, & detur, cenſetur coactè, non ſpontè dari pro re nullius pretii. Unde nihil potes exigere, ut mihi indices, ubinam fur res mihi ablatas depoſuerit, ſi id ſine periculo, labore, vel ſumptu facere poſſis, ac proinde ita acceptum danti reſtituendum eſt. Aliud obtinet, ſi quid datum ſit pro actione, vel omiſſione, quæ tantùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, cùm enim nemo emat actiones, vel omiſſiones liberas ſoli agenti, vel omittenti commodas, aut Deo honorificas, ad quas ille aliàs tenebatur, ideo, quod ita datum eſt, cenſetur merè liberaliter datum fuiſſe. Leſs. *ubi ſupra num. 69. & 70.*

XV.

Non minùs dubium eſt, utrùm is, qui rem alienam e. g. furtivam bonâ fide emit, poſtquam cognovit, rem alienam eſſe, eam venditori reſtituere poſſit, ut pretium recipiat? Negat Grot. §. *10. quia* inquit, *ex quo res in emptoris poteſtate fuit, jam cœpit obligatio reſtituendi.* Affirmat ex adverſo cum pluribus aliis Leſs. *ſæpè alleg. cap. 14. Dubit. 3. num. 14. & ſeqq.* Quam ſententiam probabiliorem eſſe arbitror, quia emptor in hoc caſu jus habet à contractu recedendi; quicunque enim alterius contrahentis dolo, qui cauſam dedit contractui poſt ſui valorem reſcindibili, deceptus eſt, ei jure naturæ permiſſum eſt, à contractu recedere; atqui emptor in hoc caſu deceptus eſt venditoris dolo, qui cauſam dedit contractui poſt ſui valorem reſcindibili: ergo eidem jure naturæ permiſſum eſt à contractu recedere. Atqui non aliter ab eo recedere poteſt, quàm ſi recepto pretio rem venditori reſtituat: ergo poteſt eidem rem emptam reſtituere, ut recipiat pretium. Quamvis igitur emptor ſtatim, ex quo res in ipſius poteſtatem pervenit, ad eam domino reſtituendam fuerit obligatus, poſtquam tamen eandem venditori reſtituit, nec ex re acceptâ, nec ex injuſtâ læſione domino ampli-

ampliùs eſt obligatus. Non ex re acceptâ, quia nec rem habet, nec ex re alienâ factus eſt locupletior. Non etiam ex injuſtâ læſione, quia reſtituendo rem venditori jure ſuo uſus eſt, ac per conſequens jus alienum non læſit, qui enim jure ſuo utitur, nemini infert injuriam. Certè, qui rem reponit in eum ſtatum, in quo erat, antequam fuerit empta, non infert domino, præjudicium. Atqui in propoſito res reponitur in eum ſtatum, in quo erat, antequam fuerit empta: ergo non infertur domino præjudicium. Nec adverſatur, quòd apud emptorem fuerit in meliori ſtatu, uti enim is non obligatus erat, ut rem in meliori ſtatu conſtituat, ita nec obligatus eſt, ut rem in meliori ſtatu conſtitutam cum ſuo damno conſervet. Planè ſi rem eo demum tempore venditori reſtituere vellet, quo dominus ab eo rem ſuam repetit, hoc ei permiſſum haud eſſet, quamvìs enim jus habeat à contractu recedendi, & rem venditori reſtituendi, non aliter tamen habet, quàm ſub hac conditione, niſi dominus ab eo rem ſuam repetat, hoc ſi fiat, rem domino reſtituere tenetur; cùm enim uterque, dominus ſcilicet, & emptor jus habeat, ille rem ſuam ab emptore repetendi, hic rem emptam reſtituendi venditori, potior erit ille, qui alterum prævenerit, ſi dominus rem repetendo prævenerit emptorem, jus domini potius eſt, ſi emptor dominum prævenerit rem venditori reſtituendo, emptoris jus prævalet, ita, ut is nec ex re acceptâ, nec ex injuſtâ læſione ampliùs à domino conveniri poſſit.

XVI.

Cœterùm quod Medin. *Quæſt. 10. de reſtit.* tradit, rerum fungibilium dominium etiam ſine conſenſu domini tranſire, cùm functionem recipiant, & ita res aliæ ex eodem genere reſtitui poſſint, neutiquam admitti poteſt, nam res, quæ pondere, numero, vel menſurâ conſtant, non aliter functionem recipiunt, quàm ſi conſenſus domini vel expreſſus, vel præſumptus præceſſerit, vel res, utpote jam conſumpta, in ſpecie reſtitui nequeat, ſecùs functio locum non habet, ac proinde, ſi talis res fungibilis ſine conſenſu domini ad alium pervenerit, & adhuc extet, tenetur is, ſi dominus petat, rem in ſpecie reſtituere, nec poteſt aliam ejusdem generis invito obtrudere, ut rectè advertit. Grot. §. *ult.*

CAPUT

CAPUT XI.

De Promiſſis.

SUMMARIA.

I. *Refutatur Connan. qui ſtatuit ex pactis nudis nullam jure naturæ naſci obligationem.*

II. *Reſpondetur ad primum ejus argumentum.*

III. *Diluitur ſecundum.*

IV. *Enervatur tertium.*

V. *Proſternitur quartum.*

VI. *Tres gradus loquendi de rebus futuris in propoſito ſunt diſtinguendi.*

VII. *Promittere ille demum poteſt, qui uſum rationis habet.*

VIII. *Quo jure regantur pactiones, quæ in mari, aut inſulâ vacuâ, vel inter abſentes per litteras fiunt?*

IX. *Alieno nomine ille demum promittere poteſt, qui mandatum vel generale vel ſpeciale habet.*

X. *Si is, qui rem illicitam promiſit, conventionem turpem impleverit, alter mercedem promiſſam jure naturæ ſolvere tenetur.*

XI. *Quid dicendum ſit, ſi quis alteri pro actione ex juſtitia debitâ aliquid promiſerit?*

XII. *Si res tempore promiſſionis nondum ſit in poteſtate promittentis, poſſit tamen eſſe, efficacia promiſſionis interim eſt in ſuſpenſo.*

XIII. *Ad efficaciam promiſſionis requiritur ejus acceptatio.*

XIV. *Quæ debet ſigno quodam externo manifeſtari.*

XV. *Utrùm neceſſe ſit, ut acceptatio promiſſori innoteſcat?*

XVI. *Promiſſio ante acceptationem revocari poteſt.*

XVII. *Utrùm acceptatio locum habere poſſit, ſi miniſter promiſſionis, ante commiſſum ſibi negotium mortuus ſit.*

XVIII. *Utrùm miniſtro promiſſionis conſtituto neceſſe ſit, ut revocatio ante acceptationem facta eidem innoteſcat?*

XIX. *Utrùm donatio abſenti facta acceptari poſſit: ſi donator ante acceptationem mortuus ſit?*

XX. *Utrùm poſſim acceptare promiſſum mihi factum de re alteri dandâ?*

XXI. *Utrùm acceptare poſſim promiſſionem in perſonam tertii collatam?*

XXII. *Ante acceptationem promiſſor vel in ſuum, vel in tertii commodum promiſſioni ſuæ onus adjicere poteſt.*

XXIII. *Refertur effectus perfectæ promiſſionis.*
XXIV. *An, & quatenus obligetur ille, qui alterum daturum, vel facturum promiſit?*
XXV. *An, & quatenus error dans cauſam promiſſioni eandem vitiet?*
XXVI. *Quid ſi dolus dans cauſam contractui oneroſo commiſſus ſit à tertio, altero contrahente ignaro?*
XXVII. *Error incidens in contractum eundem jure naturæ non reddit irritum.*
XXVIII. *Quæ de promiſſione errantis ſit ſententia authoris?*
XXIX. *Metus intrinſecus nullum contractum facit irritum, aut irritabilem.*
XXX. *Uti nec metus extrinſecus juſtè incuſſus.*
XXXI. *Quid ſi metus incuſſus ſit ab altero contrahente ad extorquendum contractum?*
XXXII. *Quid ſi incuſſus ſit à tertio, altero contrahente ignaro?*
XXXIII. *Metus gravis, & ad extorquendum contractum injuſtè incuſſus eundem probabilius ipſo jure naturæ irritum reddit, ſi poſt ſui valorem non amplius ſit reſcindibilis.*
XXXIV. *Quid ſi metus injuſtus non ſit incuſſus ad extorquendum contractum, ſed contractus tantùm eligatur tanquam medium evitandi malum intentatum?*
XXXV. *Quomodo promiſſio nulla, & irrita ex poſt convaleſcere poſſit?*

I.

PErduxit nos ordo ad obligationem, quæ ex promiſſo oritur; quamvìs enim Connan. *lib. 5. cap. 1. num. 5. & ſeqq.* contendat pacta nuda, ſeu quæ in nudis placiti finibus ſtant, neque traditione, aut ſtipulatione ſunt firmata, nullam jure naturæ parere obligationem, honeſtè tamen impleri, ſi facta ſint de rebus, quas etiam citra promiſſum præſtare æquum erat, meritò tamen hæc ſententia ab omnibus, qui veritatem amant, improbatur; ſi enim voluntate ſufficienter declaratâ jure naturæ etiam citra traditionem transferri poteſt rei dominium, transferri quoque poteſt jus, vi cujus alter nos obſtrictos teneat, aut ad transferendum dominium, aut ad aliquid aliud agendum, cùm in actiones noſtras par jus habeamus, ac in res noſtras. Atqui voluntate ſufficienter declaratâ

jure naturæ etiam citra traditionem transferri poteſt rei dominium: ergo transferri quoque poteſt jus, vi cujus alter nos obſtrictos teneat, aut ad transferendum dominium, aut ad aliquid aliud agendum. Neminem ſanè eſſe arbitror, qui non ex dictamine rectæ rationis agnoſcat, fidem etiam nudis, & fortuitis verbis datam non ſolùm ex honeſtate, ſed & ex juſtitiâ, etiamſi res adhuc integra ſit, ſervandam eſſe, aliàs pactorum inter Reges, & populos diverſos nulla eſſet vis, quamdiu nihil ex iis præſtitum foret, quippe quæ non ſolenni ſtipulatione, cùm hæc ſit mera juris civilis creatura, ſed ſimplicibus duntaxat verbis fieri ſolent, quod quàm ab omni ratione alienum ſit, nemo non videt. Deinde jure naturæ quivis ſolenni ſtipulatione ſe alteri obligare poteſt: ergo etiam nudo pacto ſe alteri obligare poteſt; quid enim intereſt, utrùm aliquis in promittendo ſolennibus, vel nudis, ac ſimplicibus verbis utatur? voluntas promittentis quomodocunque declarata cauſa eſt obligationis, non ſolennis ſtipulationis formula. Denique quamvis pacta nuda nullam jure naturæ parerent obligationem, lex tamen civilis, ut ipſe Connan. fatetur, iis addere poteſt vim obligandi: ergo nihil obſtat, quò minus dicamus, illa per ſe parere obligationem, cùm voluntas promittentis, niſi lex impedimentum ponat, non minùs efficax ſit, quàm voluntas legiſlatoris: ſupereſt, ut jam frivolas Connani rationes diluamus. Ait igitur

II.

Primò non minorem eſſe culpam ejus, qui temerè nullâ de cauſâ pollicenti credit, quàm ejus, qui vanitatem adhibuit promiſſionis. Sed hîc debuiſſet is explicare, quid ſit nullâ de cauſâ polliceri, ſi enim idem eſt, ac talia polliceri, quæ nullam omninò utilitatem ei afferre poſſunt, cui promiſſa ſunt, verum eſt, quod dixit: ſic licèt e. g. alteri promiſerim, quòd nolim ire per viam publicam, vel ad bibendum, aquam haurire ex flumine publico, nulla tamen ex hac promiſſione in me naſcitur obligatio, nec alter jure me prohibere poteſt, ne eam per viam publicam, aut ex flumine publico ad bibendum, aquam hauriam, cùm jus proprietatis vi eſſentiæ ſuæ debeat reſpicere utilitatem illius, qui id habet. Si verò nullâ de cauſâ polliceri idem eſt, ac gratuitò polliceri, ſeu

alteri animo erga eundem liberalitatem exercendi aliquid promittere, falſum eſt, quòd culpa ſit, & polliceri, & pollicenti credere.

III.

Secundò ait, fortunis omnium magnum imminere periculum, ſi promiſſo, quod ſæpè ex oſtentatione magìs, quàm ex voluntate proficiſcitur, aut ex voluntate quidem, ſed levi, ac parùm conſideratâ, tenerentur homines. At quis unquam dixit, ex verbis etiam ex ſolâ oſtentatione, aut humanitatis duntaxat cauſâ prolatis obligationem naſci? non niſi ſeriis, & ex deliberato animo profectis promiſſis, & quidem talibus, quibus alteri jus proprium tribuere volumus, vim obligandi ex juſtitiâ tribuimus. Quòd ſi promiſſum ſerium quidem ſit, & deliberatum, appareat autem, quod nullum jus exigendi alteri tribuere velim, ex eo naſcitur quidem obligatio, non autem juſtitiæ, ſed tantùm fidelitatis, ut paulò poſt explicabimus.

IV.

Tertiò ait juſtum fuiſſe, aliqua honeſtati cujusque, & liberalitati relinquere, nec ad neceſſitatem obligationis omnia revocare, & exigere; & quamvìs turpe ſit promiſſa non implere, non ideo tamen turpe eſſe, quòd hoc injuſtum ſit, ſed ideo duntaxat, quia ita detegitur promiſſionis levitas. At licèt ex pacto nudo naſcatur obligatio, multa tamen adhuc honeſtati, & cujusque liberalitati relinquuntur. Deinde promiſſa non implere aliquando turpe eſt, quia injuſtum, aliquando verò turpe, quia eſt contra fidelitatem, refert nimirum, utrùm promittendo alteri adverſùs me jus tribuere velim, vel non. Illo caſu promiſſa non implere turpe eſt, quia injuſtum: hoc autem caſu turpe eſt, quia eſt contra fidelitatem.

V.

Quartò utitur teſtimonio Ciceroni, qui *lib. 1. de offic.* dixit, *nec promiſſa ſervanda eſſe, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia, nec, ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris.* At primum, quod attinet, nos ipſi paulò antè diximus, illa promiſſa ſervanda non

eſſe,

eſſe, quæ nullam omnino utilitatem alteri afferre poſſunt. Alterum verò non aliter procedit, quàm ſi tale ſit promittentis damnum, ut pro naturâ actûs cenſeri poſſit, fuiſſe exceptum, nec alia mens Ciceron. fuiſſe videtur, nam mox ſubjungit: *contra officium eſt, majus damnum anteponi minori, ut ſi conſtitueris te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium, non facere, quod dixeris, magisque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur.* Falſum igitur eſt, quòd jure naturæ nonniſi pacta contractibus in continenti adjecta, vel quæ traditione, aut ſtipulatione firmata ſunt, obligationem pariant. Quòd autem jus Romanum non dederit ex pacto nudo actionem, ratio non in eo ſita eſt, quòd hujusmodi pacta non cenſeantur fieri animo ſerio ſe obligandi, aliàs nequidem exceptio ex pacto nudo naſceretur, ſed in hoc, quòd expediat quieti reipublicæ, ut non ex quovis pacto tribunalia poſſint moleſtari. Grot. §. *1. & 4. num. 2.* Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 3. cap. 5. num. 9. & ſeqq.*

VI.

Sunt autem in propoſito tres gradus loquendi de rebus futuris, quæ noſtræ ſunt poteſtatis, aut fore putantur, diſtinguendi. Primus eſt, ſi ſimpliciter aſſeram, me animum habere, hoc, vel illud agendi. Ubi ne contra veracitatem peccem, quidem requiritur, ut verba menti congruant, non autem eſt neceſſe, ut in eâ cogitatione perſeverem, ſed ab eâ pro libitu diſcedere poſſum; & licèt fortè animum, quem habui, perperam mutem, id tamen non ex eo provenit, quòd non habuerim jus mutandi, ſed quia prior ſententia erat melior. Secundus gradus eſt, ſi non tantùm aſſeram, me animum habere hoc, vel illud agendi, ſed ſimul indicem, me velle eſſe obligatum ad perſeverandum, ita tamen, ut nolim propterea alteri jus tribuere exigendi. Et talis promiſſio pollicitatio vocari poteſt, ex qua jure naturæ naſcitur quidem obligatio fidelitatis, non autem juſtitiæ. Tertius denique gradus eſt, ſi inſuper jus exigendi alteri conferre velim. Et hæc demum perfecta promiſſio eſt, ex qua naſcitur obligatio juſtitiæ. Grot. §. *2. 3. & 4.*

VII.

Cauſa efficiens promiſſionis duplex eſt, Principalis, & Inſtrumentalis. Principalis eſt is, qui ſuo: Inſtrumentalis verò, qui alieno nomine promittit. Poteſt autem tum ſuo, tum alieno nomine ille demum promittere, qui uſum rationis habet. Quando autem aliquis uſum rationis habere incipiat, nequit certò definiri, ſed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, deſumendum eſt. Jure Romano ſeptennis ætas definita eſt, ita tamen, ut etiam poſt illam ætatem promiſſiones pupillorum, & minorum vel irritas pronunciet, ſi ſcilicet ſine tutorum auctoritate, vel curatorum conſenſu ſint factæ, vel ſaltem adverſùs eas reſtitutionem in integrum concedat, ſi læſos ſe eſſe probare poſſint; & hoc jure tenentur etiam peregrini, ſi cum ejusmodi perſonis in loco, ubi jus Romanum receptum eſt, contrahant, qui enim in aliquo loco contrahit, tanquam ſubditus temporarius legibus loci ſubjicitur. Grot. §. *5. num. 1. & 2.*

VIII.

Dubium eſt, quo jure regantur pactiones, quæ in mari, aut inſulâ vacuâ, vel inter abſentes per litteras fiunt? Grot. *cit.* §. *5. num. 3.* putat, talia pacta ſolo jure naturæ regi. Mihi diſcrimen faciendum eſſe videtur inter pactiones, quæ fiunt in mari, aut inſulâ vacuâ, & inter eas, quæ fiunt inter abſentes per litteras. Quoad pacta, quæ fiunt in mari, aut inſulâ vacuâ intereſſe arbitror, utrùm contractus jure civili utriusque contrahentis ſit irritus, aut irritabilis, vel tantùm unius. Illo caſu, niſi de contrariâ intentione conſtet, cenſentur contrahere voluiſſe ſecundùm jus utrinque domi ſuæ receptum. Hoc autem caſu, ſi non appareat, quòd unius, vel alterius jus voluerint valere, puto deciſionem ex ſolo jure naturæ deſumendam eſſe. Quoad pacta verò, quæ fiunt inter abſentes per litteras, ſemper Jus Civile valere credo, ſive in loco utriusque idem jus receptum ſit, ſive non; ſi enim in propoſito diverſo jure utantur illius loci jus attendendum eſſe arbitror, in quo contractus ultimum accepit complementum.

IX.

Alieno nomine ille demum promittere poteſt, qui mandatum habet. Poteſt autem aliquis duplici modo ad paciſcendum loco noſtri conſtitui. Primò ſub formulâ generali, ut is habeat poteſtatem agendi, quidquid ipſi ex re noſtrâ eſſe videbitur. Secundò, ut ipſi certi fines præſcribantur. Qui ſub formulâ generali ei cognitâ, cum quo paciſcendum, conſtitutus eſt, ille nos obligat, tametſi mandata arcana exceſſerit; nam vi mandati generalis promittimus, nos ratum habituros, quidquid is in tali negotiorum genere geſſerit, mandata autem arcana tantùm tendunt ad eum obligandum, ut non agat, niſi ex præſcripto, ſecùs ſi fecerit, ut nobis teneatur ad id, quod intereſt. Cui verò certi fines præſcripti ſunt, is ultrà illos nos obligare haud poteſt. Ex quibus patet, actionem exercitoriam, & inſtitoriam in ipſo jure naturæ fundatas eſſe, nam præpoſitio magiſtri, & inſtitoris vim habet mandati generalis. Quòd autem plures exercitores jure Romano ex facto magiſtri ſinguli in ſolidum teneantur, hoc naturali æquitati non convenire putat Grot. §. *13*. cui tamen contradicunt Ziegler, Teſmar, Obrecht, & alii.

X.

Objectum promiſſionis ſunt ea, quæ promittuntur. Poſſunt autem illa demum promitti, quæ vel ſunt, vel ſaltem eſſe poſſunt in jure, ſeu poteſtate promittentis, ac proinde res impoſſibiles, ſive naturâ, ſive jure tales ſint, non cadunt in promiſſum, cùm res impoſſibilis, vel illicita nec ſit, nec eſſe poſſit in poteſtate promittentis, ſi tamen is, qui rem illicitam promiſit, conventionem turpem impleverit, alter mercedem promiſſam jure naturæ ſolvere tenetur, poſtquam enim factum turpe promiſſum præſtitum eſt, conventio deflexit in contractum innominatum, qui dum obligat ad ſolvendam mercedem, non obligat ad aliquid turpe; tametſi enim, ſcelere nondum perpetrato turpe ſit, mercedem ſolvere, poſtquam tamen eſt perpetratum, deſinit hoc turpe eſſe, cùm enim ſolutio ſtare poſſit cum actuali deteſtatione comiſſi ſceleris, non eſt ſuâpte naturâ, & per ſe virtualis ejusdem approbatio. At, *inquis*, ſaltem obliga-

obligatio ſolvendi mercedem fovet peccata; ſi enim alter ſciret, poſt commiſſum ſcelus nullam ſubeſſe obligationem ſolvendi, non comitteret ſcelus. Verùm non fovet per ſe, & directè, ſed tantùm per accidens, indirectè, & remotè, quod non obſtat, aliàs dicendum foret; eum, qui puellæ matrimonium promittit ſub conditione, ſi ipſa uſum corporis ſui conceſſerit, ſecuto actu non eſſe ex juſtitiâ obligatum ad illam ducendam. Confer P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. tract. 2. cap. 3. controv. 5. num. 356.* Dn. Gletle *Part. 3. Quæſt. ex ff. cap. 6. num. 9.* Grot. §. *9.*

XI.

At quid dicendum eſt, ſi quis alteri pro actione ex juſtitia debitâ aliquid promiſerit? Hoc caſu nulla, nequidem actione ſecutâ, videtur naſci obligatio, nam, ut ſupra diximus, acceptum pro tali actione danti reſtituendum eſt, tum quia aliàs non ſervaretur æqualitas, cùm actio ex juſtitiâ debeatur gratuitò, tùm quia is, qui dedit, non ſpontè, ſed magis coactè dediſſe cenſetur. Verùm ex hoc, quòd acceptum ſit reſtituendum, non poteſt inferri, promiſſionem eſſe ipſo jure nullam; nam & quod quis metu injuſto coactus promiſit, & tradidit, reſtitui debet, & tamen ex tali promiſſione jure naturæ naſcitur obligatio. Deinde inæqualitas non reddit promiſſionem irritam, ſed alter tantùm eſt obligatus ad eam reparandam. Unde arbitror, promiſſorem quidem hoc caſu obligatum eſſe, alterum autem teneri ad eum liberandum, ita, ut ſi liberare nolit, promiſſor jure naturæ ab obligatione contractâ liberè reſilire queat. Conſentit Grot. §. *10.*

XII.

Quòd ſi res tempore promiſſionis nondum quidem ſit in poteſtate promittentis, poſſit tamen eſſe, efficacia promiſſionis interim in ſuſpenſo erit, quia facta eſſe cenſetur ſub conditione, ſi in poteſtatem venerit; & ſi etiam in poteſtate promittentis ſit, ut conditio exiſtat, tenetur is facere, quidquid moraliter æquum eſt, ut res in ejus poteſtatem veniat. Grot. §. *8.*

XIII.

XIII.

Forma promiſſionis ſtat in mutuo promittentis, & promiſſarii conſenſu ſigno quodam externo ſufficienter manifeſtato. Ut igitur promiſſio jure naturæ ſit efficax, & jus in promiſſarium transferat, requiritur inprimis ejusdem acceptatio, ſine quâ promiſſio nullam vim habet; ſi enim ad translationem dominii jure naturæ requiritur acceptatio, requiritur etiam ad translationem juris ad rem. Atqui ad translationem dominii jure naturæ requiritur acceptatio, ut omnes fatentur: ergo etiam requiritur ad translationem juris ad rem. Certè jus ad rem non minùs exiſtit in dominio humano, ac res corporalis: atqui rem corporalem non aliter acquiro, quàm ſi velim eandem acquirere: ergo etiam jus ad rem non aliter acquiro, quàm ſi velim illud acquirere. Deinde obligatio juſtitiæ pro menſurâ ſuâ habet voluntatem alterius in ſuum commodum obligantis: ergo ex promiſſione alteri factâ non aliter naſcitur obligatio juſtitiæ, quàm ſi is promittentem ſibi velit eſſe obligatum. At qui promittentem ſibi vult eſſe obligatum, hoc ipſo promiſſionem acceptat: ergo &c. Quòd ſi rogatio præceſſerit, illa durare, & vim acceptationis habere intelligitur. Non adverſatur, quòd pollicitatio Reipublicæ, vel civitati ex juſtâ cauſâ facta ſtatim obſtringat promittentem. *l. 4. & 7. ff. de Pollicitat.* quamvis enim lex civilis non poſſit conſtituere, ut talis pollicitatio ante omnem acceptationem jus ad rem transferat in Rempublicam, aut Civitatem, poteſt tamen eandem nomine Reipublicæ, vel Civitatis acceptare, & etiam acceptat. Aliter reſpondet Grot. §. *14.* ubi ait, quòd lex Romana non dicat, ante acceptationem pollicitationis plenam eſſe vim, ſed tantùm revocari vetet, ut acceptari ſemper poſſit. Idem contingit in collatione beneficii ab Epiſcopo abſenti factâ, quæ ante acceptationem nullum quidem jus tribuit, interim tamen ab Epiſcopo haud ampliùs revocari poteſt *cap. 17. de Præbend. in 6.* Promiſſio igitur non aliter jure naturæ producit obligationem, quàm ſi fuerit acceptata, & à lege civili non irritata. Confer Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 18. Dubit. 6. num. 39. & ſeqq.* & P. Haunold. *de J. & J. Tom. 3. Tract. 9. cap. 1. Controv. 3. num. 19. & ſeqq.*

XIV.

Deinde requiritur, ut non tantùm promiſſio, ſed etiam acceptatio ſigno quodam externo ſufficienter manifeſtetur, ita, ut per ſe loquendo poſſit venire ad notitiam promittentis, quamdiu enim manet inter ſecreta cordis humani, perinde eſt, acſi non eſſet. Unde non ſufficit, donationem per litteras ſibi ſignificatam nullo præſente acceptare, ſed neceſſe eſt, ut acceptatio alicui homini manifeſtetur. P. Haunold. *ubi ſuprà num. 25.*

XV.

Dubium eſt, utrùm ad hoc, ut promiſſio plenum conſequatur effectum, neceſſe ſit, ut acceptatio innoteſcat promiſſori? Placet intereſſe, utrùm ſatis conſtet, quòd promiſſor ita ſit conſtitutus, ut tunc demum ſuam promiſſionem valere velit, ſi acceptatam eſſe intellexerit, vel utrùm non conſtet. Illo caſu promiſſio non aliter efficax eſt, quàm ſi acceptatio promittenti innoteſcat. Hoc autem caſu diſtingui debet inter promisſiones merè gratuitas & liberales & inter oneroſas, ubi alter viciſſim aliquid, promittere debet. In promiſſionibus merè liberalibus in dubio præſumitur, quòd promiſſor ſuam promiſſionem ſtatim valere velit, ſi alter eandem debito modo acceptaverit, tametſi acceptatam non intellexerit, quia de hoc cognoſcendo donans non ſolet multùm eſſe ſollicitus, cùm ipſius nihil, aut ſaltem parùm interſit, utrùm ſciat, donationem fuiſſe acceptatam, vel non fuiſſe acceptatam, ac proinde non videtur is beneficium ſuum velle ad hoc reſtringere, ut non aliter habeat vim, quàm ſi acceptatum eſſe ſciverit, ſed potiùs cenſetur velle, ut donatio ſtatim valeat, quamprimùm debito modo illa fuerit acceptata. In promiſſionibus verò oneroſis præſumitur promiſſor non aliter velle ſuam promiſſionem eſſe efficacem, quàm ſi vel ipſe, vel ab eo miſſus procurator acceptatam eſſe intellexerit, cùm multùm ipſius interſit, ut is ſciat, utrùm alter repromiſerit, vel non; ſufficit tamen, ut dixi, ſi procuratori meo innoteſcat, nam hoc ipſo, quòd aliquis deſtinatus ſit ad offerendam promiſſionem, etiam deſtinatus eſſe cenſetur ad recipiendam repromiſſionem. Leſs. *ubi ſuprà. num. 43.* Grot. §. *15.*

XVI.

Cùm igitur promiſſio ante acceptationem nullum jus transferat in promiſſarium, ideo absque injuſtitiâ, imò etiam ſine vitio levitatis, ſeu inconſtantiâ revocari poteſt, ſi revera eo animo facta ſit, ut ab acceptatione demum valere incipiat. Idem dicendum eſt, ſi promiſſarius ante acceptationem mortuus ſit, quia acceptatio videtur collata in ipſius arbitrium, non etiam in arbitrium hæredum, utpote ad quos promiſſio directa non eſt, ac proinde jus acceptandi eſt meritiſſimè perſonale, nec ad hæredes transmittitur; aliud enim eſt, me velle dare jus ad hæredes tranſitorium, aliud me velle dare jus hæredibus, multùm enim refert, in quem beneficium conferatur. Leſs. *ſupra cit. Dubit. 6. num. 35.* P. Haunold. *allegat. Contr. 3. num. 27. in fin.* Grot. §. *16.* At

XVII.

Quæres I. utrùm acceptatio locum habere poſſit, ſi miniſter promiſſionis, antequam commiſſum ſibi negotium expediret, deceſſerit? Placet intereſſe, utrùm is electus ſit ad promittendum, vel ad promiſſionem tantùm ſignificandam, ſeu, quod in idem recidit, utrùm ſit procurator, vel nudus nuncius. Procuratore, re integrâ, mortuo, nequit acceptatio ampliùs locum habere, quia promiſſio nec facta eſt, nec ampliùs à mortuo fieri poteſt, quod autem nec eſt, nec eſſe poteſt, nequit acceptari. Mortuo autem nuncio, cui litteræ promiſſionis indices ad alterum perferendæ traditæ ſunt, promiſſio, niſi fuerit revocata, rectè acceptatur, quia tabellarius non eſt inſtrumentum obligationis, ſed tantùm perlator inſtrumenti obligatorii, quod per quemvis ad alterum perferri poteſt. Grot. §. *17. in princip.* & Puffendorf. *lib. 3. cap. 9.* §. *3.*

XVIII.

Quæres II. utrùm miniſtro promiſſionis conſtituto neceſſe ſit, ut revocatio ante acceptationem facta eidem innoteſcat? Placet rurſus intereſſe, utrùm is conſtitutus ſit ad promittendum, vel ad promiſſionem tantum ſignificandam. Si conſtitutus ſit ad promittendum, neceſſe eſt, ut revocatio eidem ante promiſſionem inno-

 teſcat,

teſcat, quia jus promittendi ab ipſius voluntate pendet, quæ necdum cognitâ revocatione omni culpâ vacat, ac proinde mandans promiſſionem bonâ fide factam ratam habere tenetur. Si verò conſtitutus ſit ad promiſſionem tantùm ſignificandam, neceſſe non eſt, ut revocatio eidem innoteſcat, ſed vim ſuam habet, tametſi eidem non innotuerit, modò ante acceptationem ſit facta; qui enim aliquem ad promiſſionem tantùm ſignificandam conſtituit, ſolo ejusdem miniſterio corporali vult uti, adeóque jus promittendi in illum non transfert, ſed ſibi retinet Leſs. *dict. Dubit. 6. num. 44.* Grot. *cit.* §. *17.*

XIX.

Quæres III. utrùm donatio, quæ fit abſenti, acceptari poſſit, ſi donator ante acceptationem mortuus ſit? R. itidem intereſſe, utrum fiat per nuncium, vel epiſtolam, vel per procuratorem. Illo caſu etiam poſt mortem donantis acceptari poteſt, velut patet ex acceptatione hæreditatis, & legatorum. Ratio eſt, quia voluntas nuncio, vel litteris impreſſa, ſi ante mortem non ſit revocata, poſt mortem perdurat, & cùm ex parte donantis perfecta ſit, nihil eſt, quod acceptationi obſtet. Hoc autem caſu porrò refert, utrùm procurator vivente adhuc mandante fecerit donationem, vel non. Si vivente, donatio rurſùs poſt mortem rectè acceptatur, quia procurator poſt mortem mandantis nihil ampliùs agendum habet, ſi autem poſt mortem mandantis demum fecerit donationem, quia mandatum, mandante, re integrâ, mortuo, expiravit, acceptatio fruſtranea eſt, niſi procurator ignorans, mandantem mortuum eſſe, mandatum eſſet executus, nam hoc caſu mors mandantis tam parùm obeſſe videtur, quàm parùm obeſt expreſſa mandati revocatio, quæ procuratori nondum innotuit. Leſs. *ubi ſupra num. 45. & ſeqq.* Grot. §. *17. & ibi.* Hennigeſ. *ad finem.*

XX.

Quæres IV. utrum acceptare poſſim promiſſionem mihi factam de re alteri danda, veluti, ſi quis mihi promiſerit, quod alteri centum florenos dare velit? Jure Romano quidem nemo alteri paciſci poteſt, niſi paciſcentis interſit, vel pœna fuerit adjecta. At

jure

jure naturæ talis promiſſio valet, adeò, ut ſi acceptem, jus habeam efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, ſi & ille acceptet, & ideo promiſſor medio tempore promiſſionem mihi factam revocare haud poteſt, quamvis ego, ſi velim, eandem ipſi remittere queam, cùm alteri, antequam is acceptet, nullum jus quæſitum ſit, nam primò hic ſenſus ex unâ parte juri naturæ non repugnat, ex alterâ autem verbis talis promiſſionis maximè congruit. Deinde hoc ſaltem meâ intereſt, ut alter per me beneficium acquirat. Grot. §. *18. num. 1.* Puffendorf. *cit. cap. 9.* §. *5.* Conſent. Leſs. *alleg. cap. 18. Dubit. 7. num. 49. & ſeqq.*

XXI.

Quæres V. utrùm etiam acceptare poſſim promiſſionem in perſonam tertii collatam, veluti, ſi quis dixerit, promitto, me Sempronio, te teſte, daturum centum florenos? Quòd ſi mandatum habeam, vel ſpeciale, vel generale, ita, ut ei jus acceptandi incluſum eſſe cenſeatur, dubium non eſt, quin acceptare poſſim, & acceptando Sempronio jus acquiram, exigendi centum, quæ alter promiſit, nam quod procurator vi mandati facit, ipſe mandans feciſſe cenſetur. Deficiente autem mandato acceptare non poſſum, ita, ut acceptatio habeat aliquem juris effectum vel reſpectu mei, vel reſpectu illius, in cujus perſonam promiſſio collata eſt, nam mihi noluit ſe ullo modo obligare, ſed me teſtem duntaxat ſuæ promiſſionis adhibuit, alter autem, ut ſuppono, promiſſionem ſibi factam nondum acceptavit, ac proinde, antequam acceptet, promiſſor pro libitu eandem revocare poteſt; ſi tamen tertius promiſſionem alteri factam, volente promiſſore, acceptet, & antequam is, quem ſpectat promiſſio, eam ratam habuerit, aut irritam, ſine juſtâ cauſâ revocet, videtur is ſaltem contra fidem facere, ad quam adſtringendam teſtem adhibuit. Grot. *cit.* §. *18. num. 2.* Puffendorf. *cit. num. 5.*

XXII.

Ex hactenus dictis per ſe ſequitur, quòd ante acceptationem promiſſor, vel in ſuum, vel in tertii commodum promiſſioni ſuæ onus adjicere poſſit; ſi enim ante acceptationem totam promiſſio-

 nem

nem revocare licet, multò magìs licebit onus eidem adjicere: ſi verò promiſſio per acceptationem fuerit completa ſine conſenſu promiſſarii onus ampliùs adjici haud poteſt, quia eidem jam jus ad rem quæſitum eſt ſine onere, *perfecta donatio*, ajunt Imperatores, *in l. 4. Cod. de donat. ſub mod. conditiones poſtea non capit.* Quòd ſi onus promiſſioni in commodum tertii ſit adjectum, promiſſor illud tamdiu revocare poteſt, quamdiu tertius non acceptaverit, ſi autem promiſſor ante acceptationem à tertio factam deceſſerit, ejus hæredibus ampliùs revocare haud licet, ſed jus revocandi morte exſpiravit. Grot. §. *19.* Leſs. *Dubit. 9. num. 64. & 65.*

XXIII.

Effectus perfectæ promiſſionis ex parte promittentis eſt obligatio juſtitiæ, ex parte autem promiſſarii jus ad rem, qui duplex effectus jure naturæ naſcitur, tametſi in promiſſione nulla promittendi cauſa ſit expreſſa, qui enim, nullâ expreſſâ cauſâ, promittit aliquid, quod ſcit ſe non debere, donare cenſetur. Grot. §. *21.* Vitriar. *Quæſt. 38.*

XXIV.

At quid, ſi quis alterum daturum, facturúmve promiſerit? Jure Romano quidem talis promiſſio irrita eſt, adeò ut promiſſor ne quidem operam dare teneatur, ut alter det, vel faciat. §. *3. Inſt. de Inutil. ſtipul. l. 83. in pr. ff. de V. O. l. 65. ff. de fidejuſſor.* Jure autem naturæ, quia inconveniens eſt, ut promiſſio ſerio, ac deliberato animo facta nullum habeat effectum, talis promiſſio valet, ita, ut promiſſor operam dare teneatur, ut alter det, vel faciat, ac proinde ſi hoc omiſerit, tenetur promiſſario ad id, quod intereſt, ſi autem operam omnem adhibuerit, nec quidquam tamen potuerit obtinere, ad nihil tenetur, niſi verba, vel negotii natura ſtrictiorem inducant obligationem. Sic qui dixit, *rem ſuo periculo fore*, is non liberatur, tametſi omnem diligentiam moraliter poſſibilem adhibuerit, ut alter det, vel faciat, quia quaſi per averſionem præſtationem facti alieni in ſe recepiſſe cenſetur. Idem dicendum eſſe arbitror, ſi dixerit, *ſe effecturum eſſe*; nam & hic non diligentiam tantùm, & operam ſuam, ſed effectum ipſum promi-

ſiſſe intelligitur; aliud eſt, ſi tantùm dixerit, *ſe curaturum eſſe*, qui ſanè ad plus non tenetur, quàm ut debitam adhibeat diligentiam, ut alter det, vel faciat. Sed & natura negotii ſæpè ſtrictiorem inducit obligationem. Sic qui promittit, alterum pro ſe fidejuſſurum eſſe, non liberatur, tametſi omnem diligentiam adhibeat, ut pro ipſo fidejubeat. *l. 14.* §. *2. ff. de conſtit. pecun.* Sic nec liberatur procurator, qui dominum ratihabiturum promiſit, ſi in hoc operam ſuam fruſtrà inſumpſit. *l. 18. ff. rem rat. haberi.* Sic quoque licèt facto tertii liberaliter promiſſo promiſſor ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi nihil ex ſuâ parte omittat, ut factum ſequatur, in oneroſis tamen non liberatur, ſed obligatur ad id, quod intereſt. Grot. §. *22. & lib. 3. cap. 21.* §. *30.*

XXV.

Contraria ſunt, quæ promiſſionem vel ipſo jure nullam, & irritam, vel ſaltem inefficacem, & irritabilem reddunt, quò pertinet primò error. Contingit autem error, vel circa rei ſubſtantiam, vel tantùm circa accidentia. Ille ſubſtantialis: hic accidentalis vocatur. Error ſubſtantialis, quia conſenſum tollit, promiſſionem ipſo jure naturæ irritam reddit, ſive ex dolo alterius provenerit; ſive citra dolum contigerit. Error accidentalis vel movit ad promittendum, ita ut cognitâ veritate aliquis promiſſurus non fuiſſet, vel non movit. Si movit ad promittendum, refert, utrùm promiſſio ſit merè liberalis, & gratuita vel utrùm alter etiam ex ſuâ parte viciſſim aliquid promiſerit. Si promiſſio ſit merè liberalis, & gratuita, puto illam, detecto errore, pro arbitrio promittentis revocari poſſe, tametſi ad promittendum dolo promiſſarii non fuerit inductus, quia ex communi hominum judicio non aliter cenſetur voluiſſe promittere, quàm ſi factum, quod ſuppoſuit, ſubſit, ac proinde talis error potiùs ſubſtantialis eſt, quàm accidentalis. Si verò promiſſio non ſit merè liberalis, & gratuita, ſed alter etiam ex ſuâ parte viciſſim aliquid promiſerit, ulteriùs intereſt, utrùm contractus ſit indiſſolubilis, veluti eſt matrimonium, vel utrùm poſt ſui valorem adhuc reſcindi poſſit. Contractus indiſſolubilis abſolutè, & ſimpliciter valet, licèt error accidentalis dolo alterius contrahentis eidem cauſam dederit, nam nolitio, quæ re ipſá non ex-

ſtitit,

ſtitit, ſed ſolùm extitura fuiſſet, ſi ſciviſſes rem aliter ſe habere, non tollit obligationem, ſed, ſi ſciviſſes, tantùm ſuſtuliſſet. Planè ſi reverà ita conſtitutus eſſes, ut non aliter velis eſſe obligatus, quàm ſi res ita ſe habeat, ut putas, utique hoc caſu matrimonium propter defectum conſenſûs nullum foret, quamvis in foro externo præſumeretur eſſe validum. Contractus poſt ſui valorem reſcindibilis, ſi error ex dolo alterius contrahentis provenerit, vel is doli à tertio commiſſi particeps fuerit, non quidem jure naturæ ſimpliciter, & abſolutè irritus eſt, claudicat tamen, ita ut deceptus liberè reſilire poſſit, deceptor autem eidem ſtare teneatur, ſi deceptus eundem ſervare velit. Ratio primi membri eſt, quia error, qui tantùm verſatur circa cauſam extrinſecam contrahendi, non tollit conſenſum, qui ſufficiens ſit ad naturam contractûs, aliàs non poſſet contractus ſtricti juris, cui dolus cauſam dedit, jure civili eſſe validus, quia quod jure naturæ propter defectum conſenſûs nullum, & irritum eſt, non poteſt jure Civili eſſe validum. Atqui contractus ſtricti juris, cui dolus cauſam dedit, jure Civili valet, cùm ex tali contractu naſcatur actio, quam deceptus oppoſitâ doli exceptione elidere poteſt. §. 5. *Cod. de Inutil. Stipul.* ergo &c. Ratio ſecundi membri eſt, quia deceptor tenetur auferre incommoda ex dolo nata, ac proinde conſentire in diſſolutionem contractûs.

XXVI.

Si verò dolus dans cauſam contractui oneroſo commiſſus ſit à tertio, altero contrahente ignorante, hoc caſu contractus, ſaltem ſi jam executioni ſit mandatus, nequidem jure naturæ ad libitum decepti revocari poteſt, deceptor tamen damnum decepto illatum reſarcire tenetur, ſi enim hoc caſu contractus, vel utrinque, vel ſaltem unâ ex parte jam impletus ad libitum decepti revocari poſſet, ideo poſſet revocari, quia ejus animus ita cenſetur fuiſſe limitatus, ut voluerit ſibi reſervare jus reſiliendi, ſi à tertio ſine culpâ contrahentis fortè deciperetur. Atqui hoc dici haud poteſt, aliàs eâdem ratione dici poſſet, quemlibet contrahentem habuiſſe etiam animum limitatum ad reſiliendum, ſi per errorem à ſe ipſo deceptus foret, atque ita plurimi contractus vacillarent, cùm tamen

contrahentium ſecuritas vehementer optabilis ſit commercio humano. Dixi: *Si contractus ſaltem jam executioni mandatus ſit*, ſi enim res adhuc integra foret Leſs. *lib. 2. de J. & J. cap. 17. Dubit. 5. num. 33.* poſt Palao probabile eſſe cenſet, deceptum reſilire poſſe, quod probare vult exemplo ſponſaliorum. Sed magna hac in parte diſparitas eſt inter ſponſalia, quæ tendunt ad contractum matrimonialem, & perpetuam cohabitationem, & inter cœteros contractus, qui pro objecto habent res externas, ubi non tam facilè, ut in ſponſalibus, præſumitur, quemquam propter errorem, qui cauſam dat promiſſioni, ſibi jus reſiliendi reſervare velle, præſertim cùm damnum, ſecùs, ac in ſponſalibus accidit, à deceptore reſarciri poſſit. Accedit, quòd jus reſiliendi à contractu odioſum ſit ac proinde interpretatione non extendi, ſed reſtringi debet. Et hæc dicta ſint de errore, qui cauſam dat promiſſioni.

XXVII.

Multò minùs error incidens in contractum eundem jure naturæ irritum reddit ſi tamen ex dolo alterius contrahentis provénerit, & contractus poſt ſui valorem adhuc reſcindi poſſit, is claudicat, ita, ut decepto liberum ſit à contractu reſilire, non autem deceptori, ſi deceptus eidem ſtare velit, nam, ut ſuprà diximus, deceptor tenetur auferre incommoda ex dolo nata, inter illa autem etiam hoc eſt, quòd deceptus ex contractu doloſo obligetur: ergò deceptor tenetur hoc incommodum auferre, conſentiendo in diſſolutionem contractûs, ſi deceptus velit. Si autem non provénerit ex dolo alterius, ſed uterque contrahens in bona fide fuerit, in pretio tamen fortè erratum ſit, hæc inæqualitas minus habenti reſarcienda eſt, quia utrique propoſitum fuit, ut quilibet tantundem habeat. Conferri poſſunt cum hactenus dictis ea, quæ habent Leſs. *cit. Dubit. 5. num. 28. & ſeqq.* & P. Haunold. *de J. & J. Tom. 3. tract. 8. cap. 2. Controv. 1.* §. *3. per tot.*

XXVIII.

Aliam planè viam in hac perplexâ materiâ ingreſſus eſt A. §. *6.* qui intereſſe putat, utrùm promiſſio fundata ſit in præſumptione quadam facti, quod non ita ſe habet, vel utrùm non ſit fundata.

Illo caſu, ait, promiſſionis nullam eſſe vim, eò quòd promiſſor non conſenſerit in promiſſum, niſi ſub quâdam conditione, quæ re ipſâ non extitit. Hoc autem caſu, cùm non deficiat conſenſus, promiſſionem eſſe validam. Sed hæc diſtinctio non videtur eſſe diverſa ab illâ, utrùm error det cauſam promiſſioni, vel non. Hinc ab iis, quæ diximus, non diſcedendum eſſe arbitramur.

XXIX.

Secundò ad contraria promiſſionis refertur metus, quem JCtus *in l. 1. ff. quod metûs causâ &c.* deſcribit, quòd ſit inſtantis, vel futuri periculi cauſâ mentis trepidatio. Infertur vel ab aliquo principio naturali non libero, v. g. à morbo, periculo naufragii, feris animantibus &c. vel ab alio homine mentis compote. Ille intrinſecus: hic extrinſecus vocari ſolet. Metus intrinſecus nullum contractum facit irritum, aut irritabilem. Non irritum, quia non tollit voluntarium, relinquit enim abſolutam electionem minoris mali præ majore. Non irritabilem, quia reſcindibilitas contractuum metu initorum non niſi ab injuriâ per metum illatâ deſumi poteſt, ſi autem ſit metus intrinſecus, nulla metum paſſo infertur injuria, ac proinde, ſi quis alteri, qui eum ex periculo naufragii cum periculo vitæ ſuæ eripuit, centum promiſerit, promiſſum omninò ſervandum eſt.

XXX.

Metus extrinſecus vel eſt juſtus, vel injuſtus. Juſtus dicitur, ſi alter mihi tale malum intentet, quod jure inferre poteſt. Injuſtus, ſi malum, quod intentat, jure inferre haud poſſit. Metus juſtus itidem nullum pactum, aut contractum facit irritum, aut irritabilem, quia nec tollit voluntarium, nec annexam habet injuriam.

XXXI.

Metus injuſtus vel eſt incuſſus ad extorquendum pactum, aut contractum; vel pactum, aut contractus tantùm eligitur tanquam medium ad depellendum malum intentatum. Illo caſu refert, utrùm contractus poſt ſui valorem adhuc reſcindibilis ſit, vel non.

Si reſcindibilis ſit, ulteriùs intereſt, utrùm metus ab altero contrahente incuſſus ſit, vel à tertio, contrahente ignaro; ſi ab altero contrahente, pactum, aut contractus quidem valet, quia, ut diximus, metus non tollit voluntarium, is tamen, qui metum incusſit, tenetur ad liberandum promiſſorem ob damnum injuriâ datum; ſi promiſſor velit. Nec intereſt jure naturæ utrùm metus fuerit gravis, vel levis, nam & qui per metum injuſtum levem ab altero obtinuit promisſionem, hoc damnum utpote injuſtè illatum, reparare, ac per conſequens eundem liberare tenetur. Ab hac communi ſententia recesſit Puffendorf. *lib. 3. cap. 6.* §. *10.* qui putat, ex promisſione metu extortâ nullam jure naturæ naſci obligationem, eò quòd metum incutiens non posſit ex injuriâ, quàm alteri infert, ſibi jus acquirere; ſed falſo is nititur ſuppoſito, nam jus exigendi promiſſum non naſcitur ex injuriâ per metum illatâ, ſed ex promisſione ab eo, qui metum incusſit, acceptatâ, ex injuriâ autem naſcitur obligatio reparandi damnum, in quod is, qui metum incusſit, alterum conjecit; aliàs ſanè dicendum foret, etiam alienationem metu extortam invalidam eſſe, nec eum qui metum incuſſit, rei ſibi traditæ dominum fieri. Grot. §. *7.*

XXXII.

Si metus à tertio incuſſus ſit, altero contrahente ignaro, is qui metum paſſus eſt, jure naturæ, invito altero contrahente, à pacto, aut contractu recedere haud poteſt; quamvis enim ei illata ſit injuria, non tamen illata eſt ab altero contrahente, ac proinde non tenetur hic conſentire, ut is à pacto, aut contractu valido reſiliat, ſed ſufficit, quòd damnum illatum ab eo, qui metum incusſit, reparari posſit, & debeat. Aliud conſtituit jus Romanum nam *in l. 14.* §. *3. ff. Quod metûs causâ &c.* dicitur, in hac actione non quæri, utrùm is, qui convenitur, num verò alius metum intulerit; ſed ſufficere, ſi doceatur, metum illatum eſſe: ergo hoc jure etiam eo caſu reſtitutio conceditur, quo metus à tertio fuit illatus.

XXXIII.

Si contractus poſt ſui valorem non ampliùs reſcindibilis ſit, porro refert, utrùm metus incuſſus fuerit gravis, vel levis. Si

gravis, contractus non tantùm jure poſitivo, ſed probabiliùs etiam jure naturæ nullus, & irritus eſt, ſive deinde metus incuſſus ſit ab altero contrahente, ſive à tertio, contrahente ignaro. Ratio eſt, quia omnimoda annullatio contractuum indiſſolubilium ex unâ parte ſervit metum paſſo, ut ne innocens, & invitus damnum ſubire cogatur nullâ ſuâ induſtriâ declinabile, & ex alterâ parte nulla trahit poſt ſe ſpecialia inconvenientia, quia omnes fatentur, hujusmodi contractus defacto jure ſaltem poſitivo eſſe nullos, & invalidos, ac proinde, niſi dicere velimus, naturam in defendendâ innocentiâ defeciſſe, rectè infertur, tales contractus ipſo jure naturæ eſſe irritos. Non adverſatur, quòd contractus poſt ſui valorem non ampliùs reſcindibiles non ſint ipſo jure naturæ irriti, ſi dolo malo ponantur eſſe initi; nam in propoſito inter dolum, & metum magna eſt diſparitas, magis enim alliciuntur homines ad committendum dolum, quàm ad incutiendum metum; cùm enim dolus lateat, ſperant, eum, aut planè non, aut certè non niſi, poſt longum tempus detegendum fore, unde fieret, ut, ſi tales contractus ipſo jure naturæ irriti forent, plurima matrimonia communi omnium opinione valida à parte rei eſſent irrita, & dolo detecto cum ingenti perturbatione Reipublicæ, & damno liberorum irrita deberent declarari, quæ graviſſima incommoda, utique multum præponderant commodo, quod ex irritatione naſceretur, adeóque non debuit natura ejusmodi contractus irritare, præſertim cùm contrahentes per diligentiorem inquiſitionem dolum plerumque cavere, & illis circumſtantiis, in quibus fraudem timent, aut ſuſpicantur, conſenſum ſuum expreſſis verbis alligare poſſint. Metus autem ex adverſo patet, ac proinde ad eum incutiendum non niſi homines effrontes alliciuntur, ac propterea periculum non ſubeſt, ne multa matrimonia communi omnium opinione valida futura ſint nulla, ac irrita. Deinde dolus non imminuit conſenſum circa ſubſtantiam rei, ſed verſatur tantùm circa qualitates, & accidentia, metus autem imminuit libertatem, conſenſûs circa rei ſubſtantiam. Quòdſi metus tantùm fuerit levis, contractus indiſſolubilis etiam jure naturæ valet, nam metus levis, hoc ipſo, quòd ſit levis, ab homine conſtante contemni debet, ac proinde, qui talem metum patitur, jam medium habet, ſe liberandi à malo, quod

per

per contractum ſubiret. Unde cùm per irritationem grave malum inferatur Reipublicæ, non debuit natura ejusmodi contractus irritare, ſed qui metum tantùm levem paſſus eſt, ſibi imputare debet, quòd eundem non contempſerit.

XXXIV.

Si denique metus injuſtus non fuerit eo fine incuſſus, ut contractus extorqueatur, ſed metum paſſus contractum tantùm elegerit tanquam medium ad depellendum malum ſibi intentatum, res difficultate non caret; equidem, ſi metum paſſus pactus ſit, vel contraxerit cum tertio, qui illatæ injuriæ nullo modo particeps eſt, nemo dixerit, pactum, vel contractum, aut ipſo facto invalidum, aut ad libitum metum paſſi reſcindibilem eſſe, cùm enim ex unâ parte alter, cum quo pactus ſum, vel contraxi, ſit innocens, & ex alterâ parte metus non ſit cauſa pacti, aut contractûs, ſed mera occaſio, nulla apparet ratio, cur tale pactum, vel contractum irritum, aut irritabilem eſſe dicamus. At quid ſi ille ipſe, cum quo contraxi, metum injuſtum, non tamen ad extorquendum contractum, incuſſerit? Hoc caſu non conveniunt AA. Quidam enim arbitrantur, contractum indiſſolubilem, modò metus ſit gravis, ipſo jure nullum, diſſolubilem verò reſciſſioni obnoxium eſſe, propter injuriam illatam. Alii autem putant, talem metum nullum contractum aut irritum, aut irritabilem facere, tum quòd hoc caſu contractus libero, & ſpontaneo conſenſu ſit electus, tum quia aliàs metum paſſus ſæpè nullum haberet medium, quo poſſet malum ſibi imminens avertere. Ego cuilibet liberum relinquo, quamnam amplecti velit ſententiam. Cœterà conferri poſſunt. P. Haunold. *ſupra cit. cap. 2. Controv. 2. per tot.* Dn. Gletle *de Pact. & contract. cap. ult.* §. *1.* Dn. P. Franciſ. Schmier. *eod. tract. cap. 1. ſect. 7.* §. *2.*

XXXV.

Planè quamvis promiſſio ipſo jure nulla, & irrita ſit, illa tamen ex poſt convaleſcere poteſt, ſi promiſſor, ceſſante nullitatis cauſâ, eam ultrò ſervare velit, modò hanc ſuam voluntatem ſigno quodam externo exprimat, ſolus enim actus internus etiam cum priore actu externo conjunctus ad hoc non ſufficit, quia prior actus

externus non poteſt eſſe ſignum actûs interni ſubſequentis, non tamen præciſè verba requiruntur, ſed & alia ſigna externa ſufficiunt. Si autem promiſſio ipſo jure valida, pro arbitrio tamen promiſſoris irritabilis ſit, tamdiu valida manet, quamdiu eandem non revocat. Atque ita §. *20.* explicandum eſſe arbitror.

CAPUT XII.

De Contractibus.

SUMMARIA.

I. *Utrùm contractus, & pacta jure naturæ ab invicem differant?*

II. *Dividuntur contractus in principales, & acceſſorios, principales in beneficios, & permutatorios, & hi porrò in diremtorios, & communicatorios.*

III. *Contrahens vitia rei ſibi nota, niſi per ſe manifeſta ſint, alteri ſignificare tenetur.*

IV. *Neutri ab altero metus injuſtus inferri debet.*

V. *In contractibus permutatoriis non poteſt plùs exigi, quàm par eſt.*

VI. *Quòd ſi inter res, quæ commutantur, deprehendatur inæqualitas, illa corrigenda eſt, tametſi dolus abfuerit.*

VII. *Quatenus in contractibus beneficis ſpectetur æqualitas?*

VIII. *Pretium eſt vel legale, vel vulgare, quod moralem habet latitudinem.*

IX. *In communi pretio determinando ratio haberi ſolet laborum, & expenſarum.*

X. *Item damni emergentis, & peculiaris affectûs.*

XI. *Ut & lucri ceſſantis.*

XII. *Poteſt etiam augeri pretium propter periculum non obtinendi ſolutionem.*

XIII. *In emptione, & venditione pretium debet conſtitui in pecuniâ numeratâ.*

XIV. *Utrùm periculum ante translatum dominium ſit venditoris, vel emptoris?*

XV. *Quisnam potior ſit, ſi res duobus ſucceſſivè ſit vendita?*

XVI.

XVI. *Poſſunt à ſummâ poteſtate monopolia ex juſtâ causâ permitti.*
XVII. *Quid ſi plures mercatores inter ſe conſpirent, ut nullus rem minoris vendat?*
XVIII. *Quid ſi quidam vi, aut fraude impediant, ne major copia importetur, ut maneat caritas?*
XIX. *Quid ſi aliqui merces certæ ſpeciei in maximâ quantitate vili pretio coëmant, ut poſtea alii cogantur pretio majori emere?*
XX. *Utrùm ad locatorem, vel conductorem jure naturæ pertineant ſterilitates, & alii caſus uſum impedientes?*
XXI. *Si una, eadémque opera pluribus æquè utilis eſſe poſſit, à ſingulis integra merces exigi poteſt.*
XXII. *Utrùm merces augeri, vel minui poſſit, ſi res in gratiam alterius locetur, vel conducatur?*
XXIII. *Uſuræ lucratoriæ ipſo jure naturæ vetitæ ſunt.*
XXIV. *Utrùm ſecluſo omni alio titulo vi legis humanæ moderatum aliquid ultra ſortem principalem in foro interno exigi poſſit?*
XXV. *Contractus aſſecurationis non aliter valet, quàm ſi uterque periculum ſubeſſe putet.*
XXVI. *Ut ſponſio juſta ſit, requiritur, ut utrique parti ſpes lucrandi affulgeat.*
XXVII. *Qualémnam partem quisque ſociorum ferat in ſocietate negotiatoriâ?*
XXVIII. *Valet pactio, ut aliquis ſociorum lucri ſit particeps, & immunis damni.*
XXIX. *De ſocietate navali.*
XXX. *Jure gentium ratione inæqualitatis, quæ citra dolum contingit, non datur exactio, aut coactio.*

I.

HActenus de promiſſis in genere, tranſit jam A. ad contractus in ſpecie, ubi tamen non facilè dixeris, utrùm pacta, & contractus jure naturæ ab invicem differant, vel non? Et ſi differant, in quonam hæc differentia conſiſtat? Titius *obſerv. 354.* ad Puffendorf *de offic. homin. & civ.* nullam inter hæc agnoſcit differentiam. Ex adverſo Grot. §. 7. omnes actus aliis utiles, extra merè beneficos, contractuum nomine ait appellari. Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 5. cap. 2. §. 4.* ad pacta in ſpecie refert omnes conven-

tiones

tiones negativas, quibus aliquid non facturos nos, aut non petituros paciſcimur, quod facere, vel petere poteramus: item promiſſiones de præſtandâ operâ non mercenariâ. Vitriar. ad. Grot. *hoc cap. Quæſt. 2.* inter pactum, & contractum non unam conatur aſſignare differentiam, ſed cùm ſaltem quoad effectum ab invicem non differant, & jure naturæ eandem vim, ac efficaciam habeant, non putamus, operæ pretium eſſe, ut huic rei pluribus inhærcamus, & relatas opiniones ſub examen vocemus.

II.

Dividi poſſunt contractus in principales, qui per ſe ſtant, & acceſſorios, qui alteri contractui accedunt, quò pertinet fidejuſſio, & contractus pignoratitius. Principales vel ſunt benefici, vel permutatorii. Ad beneficos refertur commodatum, mandatum, & depoſitum. Permutatorii vel dirimunt partes, vel communionem adferunt. Illi diremtorii: hi verò communicatorii vocantur. Contractus diremtorii in genere ſunt, do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, & facio, ut facias, ſub quibus quatuor generibus comprehenduntur non tantùm contractus, quos JCti Romani innominatos vocant, eò quòd ſpecificum nomen non habeant, ſed & illi, quos vocant nominatos propterea, quòd certum, ac ſpecificum nomen acceperint, veluti ſunt emptio, venditio, locatio, conductio, emphyteuſis, mutuum, averſio periculi, ſeu aſſecuratio &c. contractus communicatorius eſt ſocietas. Latiùs A. §. *2. & ſeqq.* & Puffendorf. *cit. cap. 2. num. 8. & ſeqq.*

III.

In omnibus autem contractibus natura æqualitatem imperat, quæ conſiſtit partim in actibus, partim in eo, de quo agitur. Actus vel ſunt præcedanei, vel principales. Ad actus præcedaneos pertinet, quòd contrahens cum aliquo vitia ſibi nota rei, de quâ agitur, eidem ſignificare teneatur, niſi per ſe eſſent manifeſta, & ultrò in oculos incurrerent. Et quidem ſi deſuper interrogetur, hoc ſatis expeditum eſt; ſed etſi non interrogetur, ſi tamen vitium ſit alteri periculoſum, vel res eidem ſit inutilis, aut parùm utilis ad finem, ad quem petit, de hoc eum monere tenetur. Illa autem, quæ rem

ſubje-

ſubjectam per ſe non contingunt, ſed extra rem ſunt, & non niſi ex accidenti rem afficiunt, veluti ſi quis ſciat, multas naves in curſu eſſe, quæ frumentum afferant, quod cœteri omnes ignorant, nemo ex juſtitiâ tenetur indicare. Videatur præter Grot. §. 9. Dn. P. Melch. Friderich *de Empt. & vendit. Part. 5. cap. 1. art. 1.*

IV.

Deinde ad actus præcedaneos etiam pertinet, ut in uſu quoque voluntatis inter utrumque contrahentem ſit æqualitas, adeóque neutri ab altero metus injuſtus inferri debet ad extorquendum contractum, vel ſi incuſſus fuerit, jus naturæ jubet, ut dematur. A. §. *10.* ſed de hoc ſatis ſuperiore *cap.* dictum eſt.

V.

In actu principali æqualitas poſtulat, ut ne in contractibus permutatoriis, plus exigatur, quàm par eſt, adeò, ut ſi plus fuerit exactum, & ab altero promiſſum, vel ſolutum, id ei remittendum, vel reſtituendum ſit; nec enim in dubio donatum cenſeri poteſt; quia talis creditur fuiſſe animus contrahentium, qualem exigit natura contractûs. Natura autem contractuum permutatoriorum hæc eſt, ut quisque poſt commutationem tantum habeat, quantum antea habuerat. Grot. §. *11.*

VI.

Æqualitas in eo, de quo agitur, in hoc conſiſtit, ut ſi inter res, quæ commutantur, deprehendatur inæqualitas, fortè propter vitium rei ignotum, aut quia in pretio fuit erratum, hæc inæqualitas ei reſarciatur, qui minus habet, etiamſi neuter habuerit animum alterum decipiendi, ſed uterque in bonâ fide fuerit, quia, ut dixi, utrique propoſitum fuit, ut quilibet tantundem habeat, quantum antea habuit. Cœterùm jus Romanum ei, qui citra alterius dolum læſus eſt, non aliter dat remedium, quàm ſi læſio excedat dimidium juſti pretii, ſi enim ob quamcunque læſionem Prætor adiri poteſt, nulla tribunalia expediendis litibus ſufficerent, interim in foro interno is, qui plus accepit, nihilominus obligatus manet, ut quod plus accepit, læſo reſtituat, & rem ad æqualitatem

reducat. Aliud eſt, ſi lex civilis non tantùm actionem deneget, ſed exigente publicâ utilitate vi eminentis dominii etiam jus uni adimat, & in alterum transferat, uti contingit in præſcriptione, nam in hoc caſu aliquem etiam in foro conſcientiæ ſecurum reddit. Inter eos igitur, qui legibus civilibus ſubjecti haud ſunt, veluti ſunt ſummi Imperantes, jus naturæ valet. Grot. §. *12*.

VII.

In contractibus beneficis hactenus ſaltem ſpectatur æqualitas, ut ne quis ex beneficio damnum ſentiat, & ideo mandatarius non tantùm indemnis præſtari debet à ſumptibus in negotium ſibi commiſſum factis, cùm nihil niſi operam, induſtriam, & fidem gratis promiſerit, ſed & à damno, in quod ex cauſâ rei mandatæ incidit. Commodatarius tenetur rem reſarcire, ſi periit, niſi caſu fortuito perierit, aut eodem modo apud dominum fuiſſet peritura. Ex adverſo depoſitarius non tenetur, ſi res periit, quia præter fidelitatem nihil promiſit, nec beneficium accepit, ſed dedit, quod non Romanis tantùm legibus, ſed & æquitati naturali congruit, nam ex dictamine rectæ rationis majorem in cuſtodiendâ re diligentiam adhibere tenetur, qui beneficium accepit, ut eſt commodatarius, quàm ille, qui dedit, ut eſt depoſitarius, inter quos, patet, illos eſſe medios, quorum neuter alteri beneficium dedit, aut ab altero accepit, ut accidit in contractibus permutatoriis, qui proinde majorem quidem quàm depoſitarius, minorem autem, quàm commodatarius diligentiam tenentur adhibere; interim ex omiſſione debitæ diligentiæ non aliter jure naturæ naſcitur obligatio reſarciendi damnum inde ſecutum, quàm ſi omiſſio conjuncta ſit cum culpâ Theologicâ, & quidem culpâ debet eſſe gravis, ſi damnum ſit grave, nam ex culpâ tantùm levi, & veniali non naſcitur jure naturæ obligatio reſtituendi damnum grave, ut ſolidè probat. P. Haunold *de J. & J. tom. 1. tract. 2. cap. 2. Controv. 5. num. 195. & ſeqq.* adde Grot. §. *13*.

VIII.

Hæc de contractibus in genere. Progreditur jam A. ad contractus in ſpecie, inter quos principem locum tenet emptio, & vendi-

venditio, vi cujus res cum certo, ac nummario pretio commutatur. Eſt autem pretium duplex, legale ſcilicet, & naturale, ſeu vulgare. Legale eſt, quod publicâ auctoritate, conſideratâ rei qualitate, & aliis circumſtantiis, conſtitutum eſt, & hoc conſiſtit in indiviſibili; naturale verò, ſeu vulgare, quod ex communi hominum judicio, & æſtimatione conſurgit, nam *pretia rerum*, ut Paulus JCtus *in l. 63. ff. ad leg. falcid.* loquitur, *non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur*, id eſt, tanti res quælibet æſtimatur, quantum pro ea communiter offerri, aut dari ſolet, ſeu, ut *in l. 33. ff. ad leg. Aquil.* explicat, *quanti omnibus valet*, & hoc pretium non conſiſtit in indiviſibili, ſed moralem habet latitudinem, ita, ut vel ſit ſummum, ſeu rigoroſum, vel mediocre, ſeu moderatum, vel infimum, ſeu pium: quanta autem ſit diſtantia inter pretium ſummum, & infimum, non poteſt unâ regulâ definiri, quia ex variis dependet circumſtantiis, perinde ut valor rerum, qui quandoque creſcit, quandoque decreſcit. Sic valor earum rerum, quibus communiter indigemus, propter penuriam creſcit, propter abundantiam decreſcit. Grot. §. *14. num. 1.*

IX.

Deinde in communi pretio determinando ratio haberi ſolet laborum, & expenſarum, quas mercatores faciunt. Dixi I. *laborum*, quia pretio æſtimabile eſt, quod pro bono communi tempus, cogitationes, & curas occupant in mercibus conquirendis, ſervandis, & diſtrahendis; & ſanè valde inhumanum foret, ſimúlque opprimendæ hominum induſtriæ idoneum, ex negotiatione, aut quavis aliâ artis exercitatione, ac ſolertiâ non plus lucri alicui velle concedere, quàm quantum ad parcè, ac duriter tolerandas ipſius neceſſitates ſufficit. Huc etiam referri debent difficultates, longitudo & pericula itinerum, quæ certè nemo gratìs in gratiam aliorum ſubire tenetur. Dixi II. *Expenſarum*, & quidem non earum duntaxat habetur ratio, quas mercator in coëmendis mercibus, aut artifex in comparandâ pro artefactis materiâ fecit, ſed illas quoque imputare poteſt, quas in conducendâ famulorum operâ, ſolvendis vectigalibus, portoriis. &c. facere neceſſum habuit. Sumptuum autem extraordinariorum nulla habetur ratio, ac pro-

inde non poteſt mercator ex eo capite rem ultra commune, & ordinarium pretium vendere, quòd in comparandis, aut advehendis mercibus damnum aliquod paſſus ſit per naufragium, furtum, incendium &c. aut quia vi tempeſtatum, morbo, vel inundatione diutiùs detentus in itinere plures, quàm alii ſumptus fecit. Multò minùs illas expenſas emptoribus imputare poteſt, quas vel lautiùs, quàm decebat, vivendo, vel contra leges prudentiæ mercatoriæ negotiando ſuâ culpâ fecit; neque enim ratio æquitatis patitur, ut emptores luant venditorum vel peccatum, vel infortunium. Videantur præter Grot. *cit.* §. *14. num. 2.* Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 5. cap. 1.* §. *10.* & Dn. P. Melchior Friderich *de Empt. & Vend. Part. 3. cap. 2. art. 1. num. 301. & ſeqq.*

X.

Sunt & quædam accidentia, propter quæ rem ſupra, vel infra commune pretium vendere, vel emere jure naturæ permiſſum eſt. Huc pertinet primò damnum emergens, nam venditor pretium in tantum augere poteſt, in quantum ex venditione læditur, & emptori tantum de pretio detrahere licet, quantum eſt damnum, quod ex emptione ſubit, nam damnum emergens eſt pretio æſtimabile: ergo ſi ab eo, in cujus gratiam illud patior, compenſari poteſt, etiam compenſari debet; aliàs ſanè non ſervaretur æqualitas, ſi enim ex venditione emergat, morali æſtimatione auget valorem rei venditæ, quia perinde eſt, ac ſi illa tanti valeret, ſi autem eveniat ex emptione, auget pretium, ac proinde ſi non haberetur ratio damni, illo caſu venditor, hoc autem emptor læderetur. Ut autem damnum imputari poſſit, neceſſe eſt, ut reverà ex venditione, vel emptione naſcatur. Deinde, ut illud ſubeam in gratiam alterius contrahentis. Denique præmonendus eſt emptor, vel venditor, quòd propter hoc damnum mihi emergens pretium commune augeatur, vel minuatur, nam forſan alter, ſi ſciret, venditionem venditori damnoſam eſſe, & damnum ſibi ferendum, nollet emere. Ad damnum emergens etiam revocari poteſt illa jactura, quam facit venditor, dum in gratiam emptoris vendit rem, quam peculiari complectitur affectu, *peculiari*, inquam, nam propter affectum duntaxat levem, aut ſi par eſſet affectus erga

pretium

pretium commune rigoroſum, plus peti haud poteſt. Deinde neceſſe eſt, ut affectus ille peculiaris juſtâ aliquâ ratione nitatur, ob quam res prudenter tanti poſſit æſtimari, & denique emptor ſcire debet propter peculiarem venditoris affectum pretium rei augeri. Præterea etiam ſupra, vel infra commune pretium rem vendi, vel emi poſſe, putat. Grot. *cit.* §. *14. num. 2.* Si illa in gratiam alterius vendatur, vel ematur, alioquin non vendenda, aut emenda. At hoc non aliter admitti poteſt, quàm ſi venditio, quæ fit in gratiam alterius, cum aliquo incommodo, vel moleſtiâ venditoris conjuncta ſit, aut ſi ei, qui in gratiam alterius emit, aliàs non empturus, res parùm ſit utilis. Confer. Dn. P. Friderich. *cit. cap. 2. num. 306. & ſeqq. & num. 338.* & Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 21. num. 27. 31. & 32.*

XI.

Secundò huc pertinet lucrum ceſſans; eadem enim in propoſito videtur eſſe ratio damni emergentis, & lucri ceſſantis: ergo ſi propter damnum, quod ex venditione, vel emptione in gratiam alterius factâ naſcitur, pretium augeri, vel minui poteſt etiam propter lucrum ceſſans augeri, vel minui poterit. Uti autem paulò antè diximus, emptorem, vel venditorem de damno emergente præmonendum eſſe, ita, & de lucro ceſſante erit præmonendus. Dn. P. Friderich. *ubi ſupra num. 311. & ſeqq.*

XII.

Tertiò augeri poteſt pretium propter periculum non obtinendi ſolutionem; ſæpè enim venduntur res fide de pretio habitâ, & datâ emptori ſolvendi morâ, quæ ratio vendendi frequenter conjuncta eſt cum periculo perdendi pretium; propter hoc igitur periculum, modò id revera ſubſit, & non tantùm ſubeſſe fingatur, pretium commune augeri poteſt, nam exponere ſe tali periculo omnium judicio eſt pretio æſtimabile: ergo poteſt pro eo aliquid exigi. Debet tamen venditor emptori indicare, quòd ex hoc titulo plus petat, fortè enim nollet is eo titulo quidquam dare. Laudatus Dn. P. Friderich. *num. 323. & multis ſeqq.*

XIII.

Debet autem pretium conſtitui in pecuniâ, aliàs emptio, & venditio non eſt, ſed negotium in alium contractum degenerat, quamvìs poſtea, ſalvâ manente naturâ contractûs, venditori volenti res alia in ſolutum dari poſſit, nam pecunia non in hoc duntaxat ſenſu functionem recipit, quòd unus nummus ſubire poſſit vicem nummi alterius ejusdem quantitatis, & qualitatis, quod etiam in cœteris rebus fungibilibus obtinet, ſed in ſenſu magis generali, quatenus omnium aliarum rerum æſtimabilium pretium in ſe continet, & ita earum vice fungitur. Quemadmodum autem pretia aliarum rerum, quibus indigemus, propter earum raritatem, aut copiam vel creſcunt, vel decreſcunt, ita etiam valor nummi quamvìs eâdem conſtet materiâ, & pondere, mutari poteſt, ut jam plus, jam minus valeat. Grot. §. *17.*

XIV.

Cœterùm jam ſupra diximus, traditione ad translationem dominii jure naturæ neceſſariam haud eſſe, ac proinde in emptione, & venditione ſtatim ipſo contractûs momento etiam citra traditionem dominium in emptorem transferri poteſt. At quid ſi non ſtatim translatum ſit, cujus periculo res interim erit? an venditoris? an emptoris? Grot. §. *15. num. 1.* putat, periculum, & omne commodum interim ad venditorem pertinere, ſecùs ac jus Romanum conſtituit. Sed malè, modò certa rés in ſpecie, ſeu, ut Philoſophi loquuntur, in individuo ſit vendita, & illa ſine culpâ, ac morâ venditoris perierit, naturali enim rationi omnino conſentaneum eſt, ut emptor hoc ipſo, quòd is etiam ante translationem dominii velit habere commodum, fructus, & alias acceſſiones rei ſibi venditæ, conſentiat quoque in incommodum, & periculum. Deinde caſuali interitu rei venditæ traditio redditur venditori impoſſibilis: ergò obligatio, quam habuit, eam tradendi, extincta eſt. Solutio autem pretii non redditur emptori impoſſibilis: ergo obligatio ſolvendi extincta non eſt, ſed manet. Si autem emptor nihilominus pretium ſolvere tenetur, per ſe ſequitur, periculum ad eum, & non ad venditorem pertinere. Planè ſi res vendita culpâ vendi-

venditoris, aut poſt moram ab eo commiſſam perierit, hoc caſu damnum utique venditoris, non emptoris eſt, modò apud emptorem non æquè fuiſſet interitura, ſi enim apud eundem æquè periiſſet, emptori per culpam, aut moram venditoris in effectu nullum illatum eſt damnum; in dubio tamen, an eodem modo res apud emptorem periiſſet, præſumendum erit contra moroſum venditorem tam in foro interno, quàm externo. Confer poſt Molin. & Lugon. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 4. tract. 10. cap. 1. Controv. 9. num. 39. & ſeqq.* & Dn. P. Friderich. *ſæpè cit. tract. Part. 5. cap. 3. num. 708. & ſeqq.* item Hahn ad Weſenbec. *ad tit. ff. de Pericul. & commod. rei vendit. num. 1.*

XV.

Quòd ſi certa res in ſpecie duobus in ſolidum ſit vendita, refert, utrùm in unum ſit translatum dominium, vel in neutrum ſit translatum. Illo caſu potior erit, in quem dominium translatum eſt, ſive is ſit emptor primus, ſive ſecundus. Hoc autem caſu prima venditio valet, ſecunda autem nulla, & irrita eſt, quia poſtquam aliquis primò ſe obligavit ad transferendum in eum rei dominium, non potuit is ampliùs ſecundò ſe obligare ad dominium ejusdem rei in eum transferendum, cùm nemo ſe obligare poſſit ad injuriam alteri inferendam. Grot. *cit.* §. *15. num. 2. & paſſim D. D.*

XVI.

Supereſt, ut & quædam de monopoliis dicamus, quæ à ſummâ poteſtate ex juſtâ quidem cauſâ permitti poſſunt, ſi verò juſta cauſa deſit, injuria fit ſubditis, quivis enim jure naturæ libertatem habet emendi, à quo vult, &, quod emit, rurſus vendendi, quæ ſine juſtâ cauſâ ipſis adimi, aut reſtringi non poteſt. Præterea ſi ſumma poteſtas uni, aut paucis monopolium permittat, curare debet, ne monopolæ vendendo juſtum excedant pretium, & ideo ſaltem in mercibus, quæ non ad luxum, aut voluptatem ſerviunt, ſed communiter Reipublicæ ad politicam vitam neceſſariæ ſunt, pretium, quo ejusmodi res vendendæ ſint, determinari ſolet; aliàs periculum foret, ne vendant pretio iniquo, ſi determinatio arbitrio monopolarum relinqueretur, unde Respublica

blica magnum pateretur damnum, quod Princeps vi officii ſui tenetur impedire. Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 21. Dubit. 21. num. 148.*

XVII.

Accidit haud rarò, ut plures mercatores inter ſe conſpirent, ut nullus eorum minoris vendat, quo caſu intereſt, utrùm excedant pretium vulgare ſummum, vel non. Si excedant peccant contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, quia pretia rerum non dependent ex libidine mercatorum, ſed vel ex ſuperioris determinatione, vel ex communi æſtimatione citra talem conſpirationem, ſpectatâ copiâ, aut raritate mercium, item emptorum, vel venditorum, & cœteris circumſtantiis. Si verò non excedant pretium vulgare rigoroſum, non peccant quidem contra juſtitiam, peccant tamen contra charitatem. Planè, ſi quidam alios minis, aut fraude impedirent, ne minoris vendant, hoc caſu illi etiam contra juſtitiam peccarent, ac proinde damnum emptoribus illatum tenerentur reparare; uti enim quivis jus rigoroſum habet, ne teſtator vi, aut dolo impediatur, quò minùs ei legatum in teſtamento relinquat, ita etiam quivis jus rigoroſum habet, ne alius vi, aut dolo impediatur, quò minùs ei rem minoris vendat. Leſs. *ubi ſuprà. num. 145. & ſeqq.*

XVIII.

Idem dicendum eſt, ſi quidam vi, aut fraude impediant, ne major copia importetur, ut maneat caritas in Republica; tales enim injuriam inferunt tum Reipublicæ, quæ jus habet, ne invectio mercium hoc modo impediatur, tum aliis mercatoribus, quos à probabili lucro impediunt, tum denique emptoribus, qui propterea majori pretio rem emere coguntur. Si verò ſine vi, aut fraude invectionem mercium impediant, veluti ſi rogati ab exteris mercatoribus, num itinera ſint tuta, & ſecura, bonâ fide dixerint, eſſe propter hoſtiles excurſiones periculoſa, & ideo exteri ab importandis mercibus abſterrerentur, hoc caſu eos nequidem contra charitatem peccare exiſtimo. Confer. Leſs. *num. 153.*

XIX.

Sæpè etiam contingit, ut unus, vel pauci merces alicujus certæ ſpeciei in maximâ quantitate pretio vili tunc currente coëmant, ut poſtea cogantur alii emere pretio majore ob defectum mercis ab aliis comparabilis, eſtne hoc licitum, vel illicitum? Senſus autem quæſtionis non eſt, utrùm hoc caſu peccetur contra charitatem, ſed utrùm peccetur contra juſtitiam? P. Haunold. *ſuprà cit. tract. 10. cap. 1. contr 26. num. 278.* putat, non peccari contra juſtitiam, eò quòd tales utantur jure in coëmendo, & vendendo omnibus communi, addit tamen hanc notabilem limitationem, modò poſtea vendendo non excedat pretium rigoroſum, quod fuerat eo tempore, quo haſce merces coëmerunt. At ſi actio, ex qua provenit e. g. caritas annonæ, non eſt contra juſtitiam, cur non poſſunt vendere eo pretio, quod ſuppoſitâ caritate juſtum eſt? Utique ante exortam caritatem non tenebantur ex juſtitiâ vendere, quia ad hoc pacto ſe non obligârunt, nec cives habuerunt jus rigoroſum ad emendum, niſi ipſis vendere volentibus: ergo nec coëmendo, nec nolendo vendere peccârunt contra juſtitiam. Sed hoc Theologis diſcutiendum relinquimus. Et hæc dicta ſint ad §. *16*.

XX.

Emptioni & venditioni proxima eſt locatio, & conductio, vi cujus uſus rei, vel operæ perſonæ pro certâ mercede conceduntur. In locatione rerum ſpectato jure naturæ ſterilitates, & alii caſus, qui uſum impediunt, damno ſunt conductoris, non locatoris, qui enim rem alteri locat, eidem quaſi vendit facultatem utendi: ergo ſi eandem tradiderit, non poſſunt non tales caſus ad conductorem quaſi emptorem pertinere. Spectato igitur jure naturæ non tenetur locator ob ſterilitatem, vel ſimiles caſus penſionem remittere, ſi ſpei fructuum, æſtimato ſimul periculo probabili futuræ ſterilitatis penſio ſit proportionata. Grot. §. *18*. Hahn ad Weſenbec. *ad tit. ff. locat. conduct. num. 16.* P. Haunold. *cit. tract. 10. cap. 4. num. 492.*

XXI.

In locatione operarum ſi una, eadémque opera pluribus æquè utilis eſſe poſſit, ut itineris ſuſceptio, permiſſum eſt, eandem ſingulis in ſolidum locare, & à ſingulis illam mercedem exigere, quam ab uno exigeret; ſi enim ſinguli ex operâ eandem utilitatem habent, quam haberent, ſi uni ſoli fuiſſet locata, etiam eadem merces exigi poteſt, quæ exigi poſſet, ſi uni ſoli fuiſſet locata. Atqui ſinguli eandem utilitatem habent, hoc ipſo, quòd ponatur, operam pluribus æquè eſſe utilem: ergo &c. ac proinde, quòd opera uni locata alteri quoque proſit, merè per accidens eſt. Certè ſi proprii negotii cauſâ aliquò ire velim, omnes fatentur, me poſſe ab alio, qui me eò vult mittere, tantum paciſci, quantum paciſci poſſem, ſi proprii negotii cauſâ iturus non fuiſſem: ergo idem dicendum eſt de eo, qui ex pacto cum quodam inito aliò ire debet. Leſs. *lib. 2. cap. 24. Dubit. 5. num. 28.* Grot. §. *19.*

XXII.

Si res, aut opera in gratiam alterius locetur, vel conducatur, aliàs non locanda, aut conducenda, putat Grot. *cit.* §. mercedem augeri, vel minui poſſe. At hoc non aliter admitti poteſt, quàm ſi, ut ſupra de ejusmodi emptione, & venditione dixi, locatio, & conductio cum aliquo incommodo conjuncta, vel res, aut opera conducta conductori parùm utilis ſit.

XXIII.

Progreditur jam A. ad mutuum, ubi omnes Catholici uno ore docent, uſuras lucratorias non tantùm jure Divino, ſed & jure naturæ vetitas eſſe; ſi enim ultra ſortem principalem aliquid exigi poſſet, tunc ex eo capite poſſet exigi, quòd mutuans privet ſe jure utendi, & illud transferat in mutuatarium. Atqui ex hoc capite nihil ultra ſortem principalem exigere poteſt, quia jus utendi rebus fungibilibus non diſtinguitur ab earum dominio, ac proinde ſi propter translatum dominium nihil ultra ſortem principalem exigi poteſt, nec aliquid exigi poteſt propter translatum jus utendi. Aliud eſt in rebus non fungibilibus, quarum uſus non conſiſtit in abuſu;

licèt

licèt enim commodatum æquè debeat eſſe gratuitum, ac mutuum, uſus tamen rerum non fungibilium ſeparabilis eſt à dominio, adeóque ſi rerum non fungibilium uſus pro certâ mercede concedatur, id injuſtum non eſt, ſed contractus tantùm in aliam ſpeciem tranſit, ſi enim uſus gratìs concedatur, commodatum eſt. Si verò pro certâ mercede, vocatur locatio, & conductio, utroque tamen caſu dominium manet penes concedentem. Hoc argumentum infringere conatur Grot. §. *20.* ex eo capite, quòd etiam quaſi uſusfructus conſiſtat in rebus ipſo jure conſumptibilibus, & tamen ſit jus pretio æſtimabile, cùm certum ſit, quòd ſi quaſi uſufructuarius hoc ſuum jus proprietario cedat, is eo nomine pecuniam exigere poſſit. Rectè, at quid hoc ad rem? non enim dicimus, jus abſumendi rem mutuò datam non eſſe aliquid pretio æſtimabile, ſed tantùm non poſſe æſtimari ultra id, quod datum eſt.

XXIV.

Uſuræ autem moratoriæ, & compenſatoriæ omni jure juſtæ, & licitæ ſunt, velut communis tenet Theologorum, & Canoniſtarum ſententia. Controverſum tantùm eſt, utrum ſecluſo omni alio titulo, vi conſuetudinis, vel legis humanæ moderatum aliquid, veluti in noſtro Imperio V. pro C. ultra ſortem principalem in foro interno exigere licitum ſit? Negant plerique, affirmant ex adverſo P. Haunold. *de J. & J. Tom. 3. tract. 9. cap. 3. Controv. 10. num. 421. & ſeqq.* Dn. Gletle *in aſſert. jurid. aſſert. 54.* Clariſſ. Dn. P. Vit. Pichler *ad tit. Jur. Can. de Uſur. num. 8. & ſeqq.* quorum ſententiam ad tranquillandas multorum conſcientias omninò amplectendam eſſe arbitror; poteſt enim legislator humanus vi alti, & eminentis dominii de bonis ſubditorum diſponere, prout exigit ſalus, & felicitas Reipublicæ: ergo ſi exigat, ut moderatum aliquid ultra ſortem principalem exigi poſſit, poteſt legislator humanus id permittere. Atqui ſalus, & felicitas Reipublicæ hoc exigit, tum ut litibus, & controverſiis, quæ aliàs ſuper damno emergente, lucro ceſſante, vel periculo amittendi ſortem naſcerentur, via præcludatur, tum ut ſubditis media ſuppeditentur declinandi mala imminentia, quæ ſæpè alioqui declinare non poſſent: ergo &c. Certè ſi jus naturæ prohibitivum reſpiciat talem materiam, quæ pendet à voluntate

humanâ, poteſt illa ita immutari, ut, quæ antea erat prohibita, jam non ampliùs ſit prohibita: atqui in propoſito jus naturæ prohibitivum reſpicit talem materiam, quæ pendet à voluntate legislatoris humani: ergo poteſt ab eo ita immutari, ut non ampliùs ſit prohibita. Uti ergo ſtatuere potuit, ut rem alienam longo tempore poſſeſſam neceſſe non ſit, priori domino reſtituere, ita etiam ſtatuere poteſt, ut ultra ſortem principalem aliquid exigere liceat, quia res uſuris obnoxiæ non minùs pendent ab eminenti legislatoris Civilis dominio, quàm res uſucapioni ſubjectæ. Ad contraria ſolidè reſpondet Dn. P. Pichler. *num. 11.* quo lectorem remitto.

XXV.

Sequitur contractus avertendi periculi, quem aſſecurationem vocant. Hic contractus non aliter valet, quàm ſi uterque contrahentium periculum ſubeſſe putet, licèt revera non ampliùs ſubſit, ſi enim unus rem jam periiſſe, vel jam ſalvam eò, quò deſtinabatur, perveniſſe ſciat, contractus nullus, & irritus eſt; qui enim ſcit, nullum ampliùs ſubeſſe periculum, ſubeſſe tamen ſimulat, vel qui ſcit, rem jam periiſſe, decipit alterum, qui putat, rem eſſe dubiam, & periculoſam. Unde qui ſcit, non ampliùs tantum ſubeſſe periculum, quantum ſubeſſe communiter æſtimatur. v. g. qui ex litteris amici cognovit, piratas eo tempore aliò excurriſſe, non poteſt pro periculo communiter exiſtimato totum pretium exigere, ſed eatenus duntaxat, quatenus adhuc ex tempeſtatibus timendum eſt, ſicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet minus ad minus. Nec adverſatur, quod is, qui privatâ ſcientiâ ſcit, paulò poſt futuram abundantiam frumenti, nihilominus frumentum eo pretio vendere poſſit, quo communiter venditur ab aliis; nam in venditione frumenti non menſuratur pretium ex æſtimatione periculi de futurâ abundantiâ frumenti, nec hoc periculum in pactum deducitur, ſed ab hoc præſcinditur. At in propoſito damnum deducitur in contractum, quatenus incertum eſt. Hinc univerſaliter verum non eſt, quod Grot. *in fin.* §. *23.* aſſerit, periculi hujus pretium ex communi æſtimatione petendum eſſe. Confer. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 4. tract. 10. cap. 12. Controv. 4. num. 1096. & ſeqq.*

XXVI.

Cum aſſecuratione quandam affinitatem habet ſponſio, ſeu contractus, quo duo de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes aliquid ponunt, vel promittunt eâ lege, ut fiat ejus, qui veritatem fuerit aſſecutus; ut enim talis ſponſio juſta ſit, requiritur, ut utrique parti ſpes lucrandi affulgeat, aliàs non ſervaretur æqualitas, quæ in omnibus contractibus utrinque onerofis ſervari debet, ac proinde ſi unus de eventu, vel veritate certus foret, ſponſio non valeret. At quid, ſi is, qui certus eſt, alteri certitudinem ſuam conteſtaretur, aſſerendo, ſe ob certitudinem non poſſe ſpondere, poterítne altero nihilominùs pertinaciter inſiſtente ſpondere, & prœmium exigere, vel retinere? Puto intereſſe, utrùm alter ita ſit comparatus, ut malit Summam ſponſione expreſſam perdere, quàm notam incurrere temeritatis, quod plerumque præſumi poteſt, quia plerique homines ingenui ita conſtituti ſunt, ut malint ſufferre modicam jacturam patrimonii, quàm pati confuſionem aliquam; vel utrùm non ita ſit comparatus. Illo caſus is, qui de veritate certus eſt, proemium exigere, vel ſolutum retinere poteſt. Hoc autem caſu non poteſt, quia per conteſtationem unius, & pertinaciam alterius non tollitur inæqualitas, ac per conſequens neque ſponſio efficitur juſta. Confer. P. Haunold. *ubi ſupra controv. 2. num. 1087. & ſeqq.*

XXVII.

Tandem A. in hoc *cap.* agit de ſocietate negotiatoriâ. Ubi intereſt, utrùm utrinque conferantur pecuniæ, vel utrinque operæ, vel ex unâ parte pecunia, ex alterâ operæ. Si utrinque conferantur pecuniæ, vel utrinque operæ, ſiquidem æquales ſint, etiam æquales oportet eſſe partes in lucro, & damno: ſi verò inæquales, quisque ſociorum pro ratâ ejus, quod contulit, partem feret. Quòd ſi ex unâ parte conferatur pecunia, ex alterâ verò opera, tunc intereſt, utrùm opera tam pretioſa ſit, ut ipſi dominio pecuniæ æquivaleat, vel utrùm non ſit tam pretioſa, ut ipſi dominio, ſed tantùm uſui pecuniæ æquivaleat. Illo caſu pecunia fit communis, adeóque cum eo, qui operam contulit, finito contractu dividi de-

 bet,

bet. Hoc autem caſu non fit communis, ſed finito contractu ille, qui eandem contulit, totam recipit; nam hoc caſu comparatur cum operâ non ſors, ſed periculum amittendæ ſortis, & lucrum, quod probabiliter ex eâ ſperare poterat. Illo autem caſu pecunia, & opera in unam velut maſſam coaleſcunt. Cœterùm quod de operâ diximus, idem & de labore, ac periculo navigationis, & ſimilibus intelligi debet. Leſs. *de J. & J. cap. 25. Dubit. 2. num. 9. & ſeqq.* Grot. §. *24. num. 1. & 2.* Dn. Gletle *ex 3. part. ff. cap. 16. num. 13. & ſeqq.*

XXVIII.

Quamvis autem contra naturam ſocietatis ſit, ut quis damnum ſentiat ſine lucro, adeóque talis pactio non valeat, valet tamen conventio, ut aliquis lucri ſit particeps, immunis damni, quo caſu contractus erit mixtus ex ſocietate, & ex contractu averſi periculi, ut autem ſervetur æqualitas, requiritur, ut, qui damnum in ſe recepit, tantò plus lucri ferat, quàm alioquin laturus fuiſſet. In ſocietate univerſorum bonorum non conſideratur id, quod uni, aut alteri obvenit, ſed quod probabiliter ſperari poterat, ac proinde ſi ſpes ex utraque parte fuit æqualis, etiam æquales ferent partes, licèt uni fortè plus, quàm alteri obvenerit. Grot. *cit.* §. *24. num. 3.*

XXIX.

In ſocietate navali, quam admiralitatem vocant, communis utilitas conſiſtit in defenſione adverſùs piratas, & hoſtes, & interdum etiam in prædâ. Ut autem conſtet, quam quisque partem ferat, & lucri ex prædâ, & damni, ſi quod evenerit, quò & vulneratorum impendia pertinent, ideo æſtimari ſolent & naves, & quæ in navi ſunt, & ex his una ſumma confici, quam quisque jam partem in eâ ſummâ habet, pro ratâ ejus etiam lucrum, & damnum fert. Grot. §. *25.*

XXX.

Planè quamvis jure naturæ omnis inæqualitas, quæ in contractibus utrinque oneroſis intervenit, ad æqualitatem reducenda, & id, quod alter minus habet, eidem reſarciendum ſit, jure tamen

Gentium

Gentium propter illam inæqualitatem rerum, quæ citra dolum contigit exactio, aut coactio non datur, ut hac ratione infinitæ, & ob incerta rerum pretia inter eos, qui communem judicem non habent, inexplicabiles controverſiæ præcidantur, quæ ſanè vitari non poſſent, ſi ob ejusmodi inæqualitatem à pactis diſcedere liceret. Et ita intelligi debent leges civiles, quæ dicunt, in pretio emptionis & venditionis *naturaliter* conceſſum eſſe contrahentibus ſe circumvenire, ſenſus enim eſt, recepti paſſim moris eſſe, quòd, etſi aliquis rem ultra juſtum pretium emat, propter talem tamen læſionem, niſi dimidium excedat, nulla in foro detur actio, ſed toleretur, ſalvâ interim manente obligatione in conſcientiâ exceſſum reſtituendi, vel id, quod juſto pretio deeſt, ſupplendi. Grot. §. *ult.*

CAPUT XIII.

De Jurejurando.

SUMMARIA.

I. *Definitur, & dividitur jusjurandum.*

II. *Qui animo ſimulato jurat, non tenetur ex vi juramenti.*

III. *Qui ſerium animum jurandi habet, obligatur ex juramento, licet non habeat animum ſe obligandi.*

IV. *Illud tantùm juratò promitti poteſt, quod juranti eſt poſſibile,*

V. *Et licitum.*

VI. *Quid ſi id, quod juratò promittitur, non quidem illicitum ſit, majus tamen bonum morale impediat?*

VII. *An, & quatenus per creaturas jurari poſſit?*

VIII. *Utrùm juramentum ab idololatra per falſos deos præſtitum obliget?*

IX. *Qualis ex juramento naſcatur obligatio?*

X. *Etiam juramentum metu extortum, aut dolo obtentum obligatorium eſt.*

XI. *Utrùm is, qui metu gravi injuſto coactus, aliquid promiſit, momentaneâ ſolutione defungi poſſit?*

XII.

XII. *Utrùm id, quod contra juramentum fit, illicitum tantum ſit, an verò etiam irritum?*

XIII. *Quamvis obligatio Religionis in hæredes non tranſeat, ſi tamen juramentum reale ſit, hæredes illud exequi tenentur.*

XIV. *In juratis mutuis promiſſionibus, ſi unus fidem non ſervet, nec alter ſervare tenetur.*

XV. *Si juramentum factum ſit in alicujus hominis utilitatem, poteſt illud ab eo remitti.*

XVI. *Expirat obligatio Religionis, ſi qualitas, ſub qua juramentum præſtitum eſt, ceſſet.*

XVII. *Utrùm, & quomodo poteſtas ſæcularis juramentum relaxare poſſit.*

XVIII. *Quinam juramenta poſſint irritare?*

XIX. *Affinis juratis promiſſionibus ſunt illæ, quæ fiunt ſub fide Regiâ, vel Principali.*

I.

MAximam vim pollicitationes, promiſſa, & contractus roborandi apud omnes populos, & ab omni ævo habuit jusjurandum; *nullum vinculum*, inquit Cicer. *de offic. lib. 3. ad adſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt.* Poteſt autem jusjurandum definiri, quòd ſit invocatio divini nominis in teſtimonium veritatis. Aliud eſt promiſſorium, aliud aſſertorium. Promiſſorium eſt, quo futurum aliquid promittitur. Aſſertorium. quo quis aliquid eſſe, vel non eſſe, aſſeverat. Promiſſorium porro vel eſt promiſſorium in ſpecie, vel confirmatorium, quod actum aliquem ſeparatum præſupponit, & ad illum confirmandum interponitur. Nobis in propoſito tantùm de juramento promiſſorio non aſſertorio ſermo erit, poterunt tamen quædam etiam ad aſſertorium applicari.

II.

Jurare omni jure licitum, & permiſſum eſſe, certa, & indubitata eſt omnium orthodoxorum ſententia, modò, ut Jerem. *cap. 4. verſ. 2.* dicitur, *juretur in juſtitia, in judicio, & in veritate.* Poteſt autem jure naturæ jurare omnis, qui uſum rationis habet, ut tamen jurare intelligatur, neceſſe eſt, ut etiam animum jurandi habeat. Unde

qui

qui formulam juramenti tantùm legit, aut aliis prælegit, non jurat. Sed nec ille jurat, qui animo deliberato quidem, ſimulato, tamen profert verba jurantia, quamvis contra veracitatem peccet, & ſi alteri hoc modo damnum intulerit, illud reſarcire teneatur, niſi fortè per injuriam juramentum fuiſſet extortum. Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 42. Dubit. 8. num. 36.* P. Haunold. *Tom. 5. tract. 4. cap. 6. controv. 3. §. 5. num. 771.* Diſſentit Grot. §. *3.* qui putat, eum, qui animo ſimulato jurat, ex vi juramenti obligatum eſſe, niſi ſciat, aut probabiliter credat, ab eo, cum quo negotium eſt, verba aliter accipi. Sed malè; quamvis enim verba jurantia animo deliberato fuerint prolata, non tamen fuerunt prolata animo jurandi, & Deum in teſtem invocandi, ſed animo alterum decipiendi: ergo non poteſt proferens ex vi juramenti eſſe obligatus, cùm eſſentia juramenti in invocatione divini nominis conſiſtat, quæ in propoſito deficit.

III.

Aliud dicendum eſt de eo, qui ſerium quidem animum habet jurandi, non autem animum habet ſe obligandi, qui utique ex juramento obligatur, cùm obligatio effectus ſit neceſſarius juramenti promiſſorii, ac proinde ab eo inſeparabilis. Certè nemo poteſt habere animum contrahendi, & tamen nolle ex contractu obligari: ergo etiam nemo poteſt habere animum jurandi, & tamen nolle ex juramento obligari. Item nemo poteſt velle dare damnum, & tamen nolle ex damno dato obligari: ergo nec poteſt aliquis habere animum jurandi, & tamen nolle ex juramento obligari, cùm obligatio religionis non minùs, ac obligatio juſtitiæ ex ipſo actu, & non ex intentione jurantis dependeat. Ne igitur talis Deum in teſtem falſi adduxiſſe videatur, omnino exequi tenetur, quod ſe facturum juravit. Leſs. *cit. Dubit. 8. num. 38.* P. Haunold. *ubi ſupra n. 774. & ſeqq.* Grot. §. *2. in fin.*

IV.

Materia juramenti promiſſorii eſt id, quod juratò promittitur. Poteſt autem illud demum jurato promitti, quod promittenti eſt poſſibile, nam ad impoſſibile nemo ſe obligare poteſt. Quòd ſi

aliquid tantùm pro tempore, aut ex ſuppoſitione impoſſibile ſit, obligatio interim erit in ſuſpenſo, ita, ut is, qui ex ſuppoſitione juravit, operam, quam poteſt, dare teneatur, ut quod juravit, poſſibile reddat, veluti, ſi quis juraverit, ſe pacem facturum eſſe cum hoſte, debet is operam dare, ut alter velit cum ipſo pacem facere, & ita ipſi poſſibile fiat, quod juravit. Grot. §. *8. & 9.*

V.

Deinde illud tantùm juratò promitti poteſt, quod juranti eſt licitum, promiſſio jurata de re illicitâ nullas habet vires, cùm juramentum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis, & licèt res, quæ tempore præſtiti juramenti erat illicita, poſtea facta ſit licita, juramentum tamen nullum, & irritum manet, cùm id, quod nullum eſt, non poſſit tractu temporis convaleſcere, niſi cauſa nova accedat. Grot. §. *6.*

VI.

At quid ſi res, quæ promittitur, non quidem illicita ſit, majus tamen bonum morale impediat? etiam hoc caſu juramentum nullum eſſe, putat Grot. §. *7.* eò quòd profectum in bono Deo debeamus, ita, ut ejus libertatem eripere nobis ipſis non valeamus. Sed hoc non aliter verum eſt, quàm ſi juramentum Deo ſit factum; ſi autem homini factum ſit, validum eſt juramentum, tametſi majus bonum morale impediat, quia ex promiſſione juratâ alteri jus eſt acquiſitum, quod ipſi invito auferri haud poteſt. P. Haunold. *cit. cap. 6. num. 812.* Clariſſ. Dn. P. Schmalzgrueber *ad tit. Jur. can. de Jurejur. num. 74.*

VII.

Forma jurisjurandi conſiſtit in invocatione Dei in teſtem; per creaturas quà tales, ſeu præciſè ſecundùm ſe conſideratas jurari haud poteſt, vel enim non cognoſcunt, quid dicamus, ac proinde teſtes eſſe non poſſent, vel licèt cognoſcant, non ſunt tamen prima veritas. Dixi *quà tales*; ſi enim creaturæ conſiderentur cum reſpectu ad Deum, etiam per creaturas v. g. per cœlum, & terram jurari poteſt, quia tunc in creaturis ipſe Deus in teſtem invocatur,

catur, & ita intelligi debet *cap. 26. X. hoc tit.* ubi Pontifex juramenta per creaturas præſtita obſervari jubet. Leſs. *cit. cap. 42. Dubit. 2. num. 10.* adde Grot. §. *10. & 11.*

VIII.

Dubium eſt, utrùm juramentum per falſos Deos præſtitum obligatorium ſit, ita ut, ſi jurans falſum juraverit, vel promiſſa non ſervaverit, is pro perjuro ſit habendus? veluti ſi ille, qui Jovem Deum eſſe putat, per Jovem juraverit, qui enim ſcit, Jovem nihil eſſe, ille non jurat, perinde enim eſt, ac ſi per chimeram juraret. Affirmat Grot. §. *12.* & rectè; talis enim intentione primariâ vult jurare per verum Deum, intentione autem ſecundariâ tantùm vult jurare per Jovem, quia credit Jovem eſſe verum Deum, adeóque jam vult verum Deum invocare in teſtem. Leſs. *cit. cap. Dubit. 1. num. 5.*

IX.

Effectus juratæ promiſſionis conſiſtit in obligatione. Eſt autem promiſſio vel homini facta, vel ſoli Deo. Ex promiſſione homini factâ præter obligationem religionis etiam naſcitur obligatio juſtitiæ, niſi promiſſio ex parte ejus, cui facta eſt, turpitudinem in ipſâ re juratâ includat, veluti ſi uſuræ merè lucratoriæ juramento promiſſæ ſint, tunc enim naſcitur quidem obligatio religionis, non autem juſtitiæ, quia exigere uſuras turpe eſt, non autem exactas ſolvere. *cap. debitores 6. X. hoc tit.* Ex promiſſione autem ſoli Deo factâ non niſi obligatio religionis naſci poteſt, vi cujus is, qui juravit, tantum, quantum in ipſo eſt, efficere tenetur, ne Deum in teſtem alicujus falſi adduxerit, etiamſi ejusmodi promiſſio Deo facta utilitatem hominum reſpiciat, veluti ſi quis Deo juratò promiſerit, quòd centum florenos in pauperes elargiri velit, quia promiſſor ita promittendo noluit pauperibus adverſùs ſe jus tribuere. Grot. §. *14.*

X.

Producit autem juramentum promiſſorium obligationem religionis non tantùm, ſi ſpontè ſit præſtitum, ſed etiam ſi metu gravi injuſto ſit extortum, aut dolo obtentum, modò dolus non

 ſit

ſit ſubſtantialis, talis enim ſi ſit, juratam promiſſionem ipſo jure nullam, & irritam reddit, quia tollit conſenſum. Hoc tamen intereſt, quòd obligatio, quæ ex juramento promiſſorio ſpontè præſtito nata eſt, non poſſit invito promiſſario, niſi cauſa alia ſubſit, relaxari, quæ autem nata eſt ex juramento, quod vi injuſtâ extortum, aut dolo obtentum eſt, ex hac ſolâ cauſâ relaxari poteſt, quòd jurans ad promittendum metu gravi injuſto, aut dolo fuerit inductus. *cap. 8. X. hoc tit.*

XI.

Dubium eſt, utrùm is, qui metu gravi injuſto coactus v. g. prædoni C. promiſit, momentaneâ ſolutione defungi poſſit? Negat Grot. §. *15. num. 3.* eò, quòd verba juramenti debeant intelligi cum effectu. Affirmat ex adverſo Leſs. *ſæpè cit. cap. 42. Dubit. 6. num. 27.* cujus ſententiam probabiliorem eſſe arbitror; aliud enim eſt ſolvere, aliud ſolutum non repetere: ergo qui juratò promiſit ſolvere, non hoc ipſo ſtatim cenſeri poteſt promiſiſſe, quòd ſolutum nolit repetere. Certè ipſe A. §. 5. fatetur, quòd ultra receptum loquendi morem non ſit extendenda juramenti ſignificatio, extenderetur autem ultra communem loquendi morem, ſi in propoſito ſolutum non poſſet repeti: ergo &c. Eodem ſanè modo Pontifex *in cap. 4. X. de his; quæ vi, metúsve cauſâ &c.* interpretatus eſt juramentum cujusdam clerici, qui ex metu gravi juratò promiſit, renunciare ſuo beneficio Eccleſiaſtico, ait enim, eum non obſtante juramento beneficium, cui renunciavit, repetere poſſe, quia vi juramenti non ad non repetendum, ſed tantùm ad renunciandum tenebatur. Non adverſatur, quòd verba juramenti cum effectu ſint intelligenda, tametſi enim ſolutum in propoſito repeti poſſit, verba tamen ſuum habent effectum, quia per ſolutionem nummi transferuntur in prædonem.

XII.

Dubium quoque eſt, utrùm id, quod contra juramentum fit, illicitum tantùm ſit, an verò etiam irritum? Puto intereſſe, utrùm per juramentum promiſſorium jus in alterum translatum ſit, vel non. Si nullum jus translatum ſit, veluti ſi quis juraverit, ſe nolle teſtamentum ſuum ampliùs revocare, aut mutare, actus contra juramentum factus valet; qui enim jurat, ſe teſtamentum

mentum nolle ampliùs revocare, aut mutare, poteſtatem de rebus ſuis diſponendi non abdicat, ſed retinet, cùm hæc poteſtas fundetur in dominio, quod vivente teſtatore in hæredem inſtitutum non tranſit: ergo non obſtante juramento validè de bonis ſuis aliter diſponere poteſt. Si autem jus in alterum translatum ſit, porro refert, utrùm idem jus poſtea in alium transferre tentet, vel non. Si idem, actus contra juramentum factus eſt nullus, & irritus, quia quod jam in alterum tranſtuli, non poſſum ampliùs in alium transferre. Sic qui ſponſalia jurata contraxit cum unâ, non poteſt ampliùs ſponſalia contrahere cum aliâ, etſi contrahat, poſteriora ſponſalia ſunt ipſo jure nulla, quia idem jus in ſecundam transferre tentat, quod jam tranſtulit in primam. Si verò non idem, ſed aliud jus poſtea in alterum transferre velit, actus contra juramentum factus illicitus quidem eſt, non autem invalidus. Sic licèt ſponſalia jurata contraxerim cum unâ, ſi tamen poſtea matrimonium contraham cum aliâ, matrimonium tamen valet, quia per contractum matrimonialem non idem jus transfero, quod tranſtuli per ſponſalia, nam per ſponſalia tantùm tranſtuli in primam jus ad rem, per contractum autem matrimonialem in ſecundam transfero jus in re, ſeu dominium in corpus meum in ordine ad generationem prolis. Aliter diſtinguit A. §. *19.* qui putat intereſſe, utrùm ſola fides ſit obſtricta, vel ipſa facultas ad actum abdicata. Illo caſu ait, actum contra juramentum factum eſſe validum: hoc autem caſu eſſe invalidum. At hæc diſtinctio difficultatem non tollit; quæro enim, cur ſi quis juraverit, quòd teſtamentum ſuum nolit ampliùs revocare, aut mutare, actus contra juramentum factus valeat; & non etiam valeant ſponſalia, quæ contra fidem alteri juratò datam contracta ſunt? Neuter ſanè, ſaltem verbis, abdicat facultatem ad actum contrarium, ſed uterque ſolam obſtringit fidem. Si dicat poſteriorem ipſo facto abdicare facultatem, non autem priorem, quæro ulteriùs, cur non etiam prior ipſo facto abdicet facultatem? Item cur poſterior ipſo facto non ſimul abdicet facultatem contrahendi matrimonium cum aliâ? Licèt igitur hæc diſtinctio primo intuitu alicui arridere poſſit, rem tamen non conficit, ac proinde noſtris potiùs diſtinctionibus inſiſtendum eſſe arbitror.

XIII.

Tametſi autem obligatio juſtitiæ ex juramento promiſſorio nata in hæredes tranſitoria ſit, obligatio tamen religionis in hæredes jurantis haud tranſit, cùm ex virtute religionis non niſi ille obligari poſſit, qui Deum in teſtem invocavit. Quid ergo, *inquis*, ſi ex juramento ſola naſcatur obligatio religionis, eò quòd jurata promiſſio ſoli Deo ſit facta, ánne hoc caſu hæredes non tenentur juramentum exequi, ſi defunctus, dum viveret, id non ſit executus? R. intereſſe, utrùm juramentum ſit perſonale, vel reale. Si perſonale, hæredes non tenentur. Si verò ſit reale, veluti ſi defunctus Deo juratò promiſerit, quod C. in pauperes elargiri velit, tenentur hæredes juramentum exequi, non quidem ex obligatione religionis, quæ, ut dixi, in hæredes non tranſit, ſed ex obligatione juſtitiæ, quam adeundo hæreditatem contrahunt, juramentum enim reale bona jurantis afficit, qui ergo bona agnoſcit, etiam onera bonis inhærentia agnoſcere debet, & ita explicandus eſt §. *17*.

XIV.

Contraria juramenti promiſſorii ſunt modi, quibus obligatio ex eo nata rurſus tollitur. Tollitur autem primò, ſi fides utrinque juratò data ab uno violetur, modò promiſſa mutuum inter ſe habeant reſpectum, ita ut jurata promiſſio unius juratæ promiſſioni alterius per modum conditionis inſit, velut accidit in fœderibus, & pactionibus pacis; ſi enim unus fœdus, aut pacem perfidè ruperit, neque alter eidem ampliùs ſtare tenetur. Si autem promiſſa diverſi generis ſint, nec ullum ad ſe invicem reſpectum habeant, non tollitur obligatio ex juramento nata tametſi alter ſuum juramentum non ſervet. Grot. §. *16*.

XV.

Tollitur ſecundò remiſſione factâ ab eo, in cujus utilitatem juramentum præſtitum eſt, omni enim juratæ promiſſioni ineſt conditio, niſi alter, in cujus utilitatem juramentum factum eſt, jure ſuo cedere velit, & hoc non eo duntaxat caſu procedit, quo alteri

ex juramento jus quæſitum eſt, ſed etiamſi nullum jus ſit quæſitum, veluti ſi quis Deo promiſerit, quòd Titiæ pauperi puellæ pro dote C. dare velit, ſi Titia hoc juramentum in ſuam utilitatem Deo præſtitum remittat, tollitur obligatio religionis ex juramento nata, quia Deus non vult invitæ obtrudere beneficium. Grot. §. *18*.

XVI.

Tollitur tertiò, ſi qualitas, ſub qua juramentum exactum, vel præſtitum eſt, ceſſet. Si juramentum militare non ampliùs ſtringit jurantem, poſtquam is miles eſſe deſiit. Sic etiam, qui alicui ratione dignitatis, vel officii obedientiam, & fidelitatem promiſit, hoc juramento reſpectu ejus, cui juravit, non ampliùs tenetur, ſi is officium reſignaverit, vel ab eo fuerit remotus, retinet tamen juramentum vires ſuas reſpectu ſucceſſoris, ad quem dignitas, & officium tranſiit. Grot. *cit.* §. *18*. Dn. P. Schmalzgrueber *ad tit. de Jurejur. n. 80.*

XVII.

Quartò tollitur obligatio juramenti, ſi ſuperior juramentum relaxet; quamvis autem poteſtas ſæcularis non poſſit directè juramenta ſubditorum relaxare, cùm juramenti religio ſit res ſpiritualis, poteſt tamen indirectè, vel tollendo ab eo, cui juratum eſt, jus ex juramento quæſitum, vel ſi ei nullum jus quæſitum ſit, vetando, ne quid ex tali juramento accipiat, idque vel in pœnam, vel ob publicam utilitatem ex vi eminentis dominii. Et hoc ſenſu relaxat Camera juramenta iniquè extorta ad effectum agendi. Quin & antecedenter Legislator Civilis ſuum ſubditum inhabilem reddere poteſt ad acceptandam juratam promiſſionem, quo caſu nequidem obligatio ex juramento naſci poteſt. Grot. §. *20. num. 3.* adde Leſs. *ſæpiùs cit. cap. 42. Dubit. 12. num. 56.*

XVIII.

Quintò tollitur juramentum ejusdem irritatione, quæ confundi non debet cum relaxatione; nam irritatio fit vi poteſtatis dominativæ, vel quaſi, puta, patriæ, maritalis, vel dominicæ, relaxatio autem, ſi ſtrictè ſumatur, non fit vi poteſtatis dominativæ, ſed

ſed ſuperioritatis, ſeu jurisdictionis. Si ergo filius, vel filia, aut uxor in præjudicium patris, vel mariti alteri juratò aliquid promiſerit, poteſt pater, vel maritus hoc juramentum irritare, & vetare, ne promiſſum præſtetur; cum enim nemo in præjudicium alterius, eo invito, ſe obligare queat, ejusmodi juramenta hanc conditionem imbibitam habent, ſi pater, vel maritus approbaverit, aut ratum habuerit. Grot. *cit.* §. *20. num. 1. & 2.* P. Haunold. *ſuprà cit. cap. 6. num. 886. & ſeqq.* Plura qui deſiderat, adeat Theologos, & Canoniſtas; *ad tit. de Jurejur.*

XIX.

Affines juratis promiſſionibus ſunt illæ, quæ fiunt ſub fide Regiâ, vel Principali, quas qui violat, æquè deteſtabilis habetur ac ſi pejerâſſet, & meritò; quantò enim Reges, & Principes ſupra cæteros eminent, & tanquam Dei in terris Vicarii propiùs ad divinam accedunt Majeſtatem, tantò turpior in ipſis eſt datæ fidei violatio. Auro digna vox eſt Caroli V. Imperatoris, fidem rerum promiſſarum, etſi toto mundo exularet, tamen apud Imperatorem debere conſiſtere, quam etiam omnes Ejus in Imperio ſucceſſores religioſiſſimè ſemper ſervârunt. At non item alii, qui ut vel ambitioni ſuæ, vel inveterato, & quaſi hæreditario odio ſatisfaciant, pacem perfidè ruperunt, non aliâ pacis ruptæ cauſâ allegatâ, quam in fabula adduxerit lupus, quòd innocens ovicula, quæ inferiùs ex flumine biberat, iisdem aquam turbaverit. Quin nequidem Jurisjurandi, quod tamen apud ipſam etiam gentilitatem maximam ſemper vim habuit, ullam habitam fuiſſe rationem in vulgus notum eſt. Inter privatos fides datis dexteris obſtringi ſolet, quæ olim apud Perſas firmiſſimum fidei vinculum erat. Vid. Grot. §. *ult.*

CAPUT XIV.

De ſummorum Imperantium promiſſis, contractibus, & Juramentis.

SUMMARIA.

I. *Summi Imperantes, ſi læſi ſint, ſe ipſos in integrum reſtituere poſſunt.*

II. *Populus Regi deferendo imperium certas adminiſtrandi regni leges eidem præſcribere, & actus contrarios irritos reddere poteſt.*

III. *In actibus Regum privatis etiam communes Regni leges valent.*

IV. *Utrùm ſummis Imperantibus aliquid liceat in promiſſiones ſuas juratas?*

V. *Subditi ex promiſſis ſummorum Imperantium verum jus exigendi habent, morali tamen cogendi neceſſitate deſtitutum.*

VI. *Contractus Regum perperam dicuntur eſſe leges*

VII. *Utrùm ſucceſſores in regno ex promiſſis ſuorum anteceſſorum obligentur?*

VIII. *Poteſtas obligandi populum nec in infinitum extendi, nec nimiùm reſtringi debet.*

IX. *An, & quatenus ſucceſſor in regno privilegia ab Anteceſſoribus conceſſa revocare poſſit?*

X. *Contractibus invaſorum nec populus, nec veri Reges tenentur.*

I.

TRia ſunt, quæ A. *hoc cap.* examinanda ſuſcepit. Primum eſt, quid ſummis imperantibus liceat in ſuos actus. Alterum, quid ipſis liceat in ſubditos. Tertium denique, quid in ſucceſſores. Primum quod attinet, quæritur, utrùm ſummi Imperantes, uti ſuos ſubditos, ita ſe quoque in integrum reſtituere, & contractus irritos facere poſſint? Ubi is diſtinguit inter actus regios, & inter actus Regis privatos. Adverſùs actus regios putat, Reges ſe in integrum reſtituere haud poſſe, eoquòd reſtitutio in integrum ſit mera juris Civilis creatura, & actus regii eo loco habendi ſint,

quaſi ipſa communitas eos feciſſet; uti ergo, *inquit*, leges ab ipſâ communitate latæ in actus communitatis nullam vim habent, cùm communitas ſe ipſâ ſuperior non ſit, ita nec leges regiæ in actus, quos Rex ùt Rex fecit, ullam vim habere poſſunt, non admittendam igitur eſſe exceptionem Regum adverſùs contractus, quos minores feciſſent. Ita Grot. §. *1*. At, fallitur is in eo, quòd putet, reſtitutionem in integrum ex ſolo jure Civili venire; ipſa enim naturalis æquitas poſtulat, ut, qui metu injuſto ab altero compulſus, vel dolo inductus, aut errore lapſus eidem aliquid promiſit, aut præſtitit, in integrum reſtituatur; & quamvis in ſtatu civili nemo ſe ipſum in integrum reſtituere poſſit, ſed eo nomine ſuperior adeundus ſit, in ſtatu tamen naturali, ubi nulla ſunt judicia, aliter ſe res habet, nam in hoc ſtatu quivis jus ſuum per ſe exequi, ac per conſequens ſi unus alterum ad ſe liberandum, vel ad id, quod ex vitioſo contractu accepit, reſtituendum, aut ſupplendum obſtrictum teneat, hoc ipſe per ſe exequi poteſt, cum ſuperiorem non agnoſcat, apud quem jus ſuum perſequi poſſit, aliàs enim ſi alter obligationi ſuæ ultrò ſatisfacere nollet; nullum daretur medium ſuum conſequendi. Vivunt autem ſummi Imperantes inter ſe in ſtatu naturali: ergo ſi in pactis, aut contractibus ab altero læſi ſunt, poſſunt ipſi per ſe reſtitutionem, aut ſupplementum exigere, modò læſio, aut injuria ſit manifeſta, ſi enim dubia foret, potiùs ad arbitros eundum eſſet. Exceptionem minorennitatis quod attinet, refert, utrùm Rex adhuc ſub tutelâ agat, vel non. Si adhuc ſub tutela agat, vel ipſe cum extraneo, & quidem quà Rex contraxit ſolus, vel per tutorem ſuum. Si ſolus, contractus erit nullus, quia imperii adminiſtrationem non habet. Si per tutorem ſuum, contractus ſub obtentu ſolius minorennitatis revocari haud poteſt, cùm aliàs nemo ſecurè cum Rege minorenni paciſci poſſet; *ſolius* inquam, *minorennitatis*, ſi enim talis ſubſit læſio, ob quam etiam majorennis ſe ipſum in integrum reſtituere poteſt, contractus utique revocari poterit. Si autem Rex non ampliùs ſub tutelâ agat, minorennitatis exceptio fruſtrà opponitur, cùm minorennitas ex ſolo jure poſitivo determinationem ſuam accipiat, talis autem Rex, cui habenæ Imperii conceſſæ ſunt, non ampliùs pro minorenni, ſed publicâ regni lege pro majorenni habetur, quamvis ſubditis major

ætas

ætas præfinita ſit, quâ majorennes fiant. Puffendorf *lib. 8. cap. 10. §. 2. & 3.*

II.

Planè quin populus Regi deferendo imperium certas adminiſtrandi regni leges eidem præſcribere, & actus contrarios irritos reddere poſſit, dubitandum non eſt, quemadmodùm alibi & illos actus irritos eſſe diximus, quibus regnum non-patrimoniale, ſive ex toto, ſive ex parte, vel patrimonium populi ſine ejus, aut Procerum regni conſenſu alienare tentant. Grot. §. *2. n. 1.*

III.

In actibus Regum privatis, quos ſcilicet non ùt Reges, ſed privatorum inſtar cum ſubditis celebrant, etiam leges communes regni valent, imò & leges oppidi illius, ubi Rex habitat, quia Rex ibi ſe habet, ut cœtûs illius membrum, niſi ſint leges pœnales, & coactivæ, quibus nequidem actus Regum privati ſubjecti eſſe poſſunt, aut niſi ex circumſtantiis appareat, quòd actus ſuos ab ejusmodi legibus immunes eſſe velint, nam hoc caſu ex mero jure naturæ judicandi ſunt, ùt pluribus declaratum eſt in *J. P. U. Part. 3. cap. 1, §. 1, n. 18. & 19.* Grot. *cit. §. 2. n. 2. & §. 5.*

IV.

Non ſatis expeditum eſt, utrùm ſummis, imperantibus aliquid liceat in promiſſiones ſuas juratas? Puto intereſſe. Utrùm juratò aliquid promiſerint Deo, vel extero, vel ſubdito. Si Deo, vel extero, nihil ipſis in ejusmodi juratas promiſſiones licere arbitror, ſed ſi juſtam relaxandi cauſam ſubeſſe putent, eum, qui poteſtatem ſpiritualem habet, adire debent. Si verò ſubdito aliquid juratò promiſerint, dicendum videtur, eos per indirectum ex iisdem cauſis juramenta ſua relaxare poſſe, ex quibus relaxare poſſunt juramenta ſuorum ſubditorum, ſcilicet vel vi imperii ſubdito auferendo jus, quod ei quæſitum eſt, vel prohibendo, ne quid ex tali juramento accipiat, idque vel in pœnam, vel ob publicam utilitatem, ex vi eminentis dominii. Diſſentit A. §. *3.* qui putat, Reges non-poſſe juramenta à ſe præſtita irrita reddere, eoquòd talia juramenta non poſſint in ſe habere hanc conditionem, *niſi ſuperior ea irritaverit*, cùm Reges

ſuperiorem poteſtatem civilem non agnoſcant, ita autem jurare, ut teneantur, niſi ipſi teneri nolint, perabſurdum, & naturæ jurisjurandi contrarium eſſe, & quamvis ex jurejurando alteri nullum jus quæſitum ſit, obſtringi tamen jurantem Deo, ne eum adduxerit in teſtem alicujus falſi. At, ex hoc non videtur plus inferri poſſe, quàm quòd Reges non poſſint directè vinculum religionis ex juramentis ſuis ortum tollere, quod ultrò fatemur, cùm id ne quidem in juramentis ſubditorum poſſint, ut ſuperiore *cap.* diximus. Vidimus, quid ſummis Imperantibus in ſuos actus liceat.

V.

Alterum eſt, quid ipſis liceat in ſubditos, quibus ſi quid promiſerint, aut cum ipſis contraxerint, dubium quidem non eſt, quin obligentur, & ſubditi verum jus exigendi habeant, quamvis eos, ſi ultrò ſuæ obligationi ſatisfacere nolint, ad præſtandum promiſſum, vel implendum contractum cogere haud poſſint, cùm ſubditus non poſſit habere jus cogendi ſuperiorem, cui ſubjectus eſt, ſi tamen ſubditi delictum commiſerint, vel Reipublicæ neceſſitas, utilitásve exigat, hoc jus ex promiſſo, aut contractu quæſitum non minùs, ac res aliæ, ſive deinde earum dominium ex jure naturæ, ſive ex jure Civili acquiſitum ſit, ipſis vel in pœnam, vel vi eminentis dominii rurſùs auferri poteſt, modò, ſi ob commune onus ablatum ſit, ei, qui ſuum amiſit, ſi fieri poſſit, ex communi fiat compenſatio. Subjacent autem dominio eminenti etiam res exterorum, ſi in territorio ſummi Imperantis deprehendantur, quæ omnia in J. P. U. latiùs ſunt explicata. Quodſi Rex ſine juſtâ cauſâ ſubdito jus ſuum auferat, haud dubiè injuriam ei infert, & damnum datum reparare tenetur, quia contra verum jus ſubditi facit. Grot. §. *6. cum duobus ſeqq.*

P. 3. c. 2. §. 3. per tot.

VI.

Sunt, qui contractus Regum leges eſſe dicunt. At perperam; nam ex legibus nemini jus naſcitur adverſùs Regem, ac proinde ſi eas revocet, nemini injuriam infert, licèt peccet, ſi ſine juſtâ cauſâ id faciat. Deinde contractibus ligantur ſoli contrahentes, legibus autem obligantur omnes ſubditi. Dicitur quidem in *l. penult. Cod.*

de

de Donat. inter vir. & uxor. imperiales contractus legis vim obtinere. Verùm hoc duntaxat ſenſu, quòd tales contractus ſubſiſtant, ſi Imperator eos legibus civilibus nolit ſubjacere, etiamſi privatorum contractus propter legis repugnantiam non ſubſiſterent. Planè quandóque contractus Regum ſimul rationem legis habere poſſunt, ſi nimirùm quædam ſubditis obſervanda contineant, & ideò ipſis publicentur Grot. §. *9*.

VII.

Tertiùm denique eſt, quid Regibus liceat in ſucceſſores, ac proinde quæritur utrùm ſucceſſores ex promiſſis, & contractibus ſuorum anteceſſorum obligentur? Placet, intereſſe, utrùm anteceſſor obligationem contraxerit regni cauſâ, vel propter ſua propria bona, quæ præter regnum habuit. Obligatio, quam is ob bona ſua propria contraxit, haud dubiè in eos pro ratâ tranſit, qui in hiſce bonis defuncto ſucceſſerunt, nam pro debitis, etiam perſonalibus bona defuncti ſunt obligata. Si verò obligationem contraxerit regni cauſâ, porrò refert, utrùm regnum ſit patrimoniale, vel non. Si patrimoniale, obligatio anteceſſoris itidem directè in regni ſucceſſorem tranſit. Si autem ſit non-patrimoniale, ſucceſſor quà talis directè haud obligatur, quia jus non à defuncto, ſed à populo accepit, obligatur tamen indirectè, ſeu per interpoſitam civitatem, à quâ obligatio in ſucceſſorem tranſit; cùm enim poteſtas obligandi civitatem ad exercendum ſummum Imperium ſit neceſſaria, ideò unà cum imperio hæc poteſtas in anteceſſorem translata fuit, qui proinde regni cauſâ aliquid promittendo, vel contrahendo ipſam obligavit civitatem, à quâ cum ſucceſſor jus imperandi habeat, neceſſariò is etiam in civitatis obligationem ſuccedit. Grot. §. *10. & 11.* J. P. U P. 4. c. 3. §. 1. num. 11.

VIII.

Hæc tamen poteſtas obligandi populum nec in infinitum extendi, nec adeò reſtringi debet, ut contractus tunc demum valeat, ſi res utiliter ſit geſta, ſed ſufficit, ſi Rex probabilem contrahendi habuerit rationem, quod etiam in dubio ob regentium auctoritatem præſumitur. Si tamen contractus ſucceſſu temporis ad publi- J. P. U. cit. §. 1. n. 12. & 13.

cam omnino perniciem vergere incipiat, ita ut ab initio in extenſione ad talem caſum cenſendus fuiſſet injuſtus, & illicitus, is non ampliùs obligaret, quia Rex in talem eventum non potuit populum obligare, ac per conſequens talis caſus ex naturâ rei, ab initio cenſetur fuiſſe exceptus. Quod autem de contractibus diximus, idem etiam de donatione pecuniæ populi, vel alienatione alterius rei, ſi Regi per leges regni eandem bono publico donare, vel alienare permiſſum ſit, dicendum eſt, ita ut, ſi Rex probabilem donandi, vel alienandi habuerit rationem, donatio vel alienatio revocari haud poſſit; ſi verò in homines nauci, & inutiles immodicam pecuniæ quantitatem profuderit, pecunia ab iis, qui publicæ egeſtatis cauſâ extiterunt, repeti queat. Illos verò actus, quibus Reges regnum non-patrimoniale, aut ejus partem, vel patrimonium regale ſine conſenſu populi, aut Procerum regni alienant, nullos, & irritos eſſe jam ſæpè diximus. Sed & in delatione regni populus aliquam materiam, aut certos actus à Regiâ poteſtate excipere poteſt. Grot. §. *12*.

IX.

Similiter qui in regno non-patrimoniali ſuccedit, etiam privilegia ab anteceſſore temerè ſine omni probabili ratione conceſſa pro lubitu revocare poteſt. Si autem probabilem cauſam habuerit ea concedendi, tunc refert, utrùm per modum precarii tantùm, vel cum translatione alicujus juris conceſſa ſint. Quæ per modum precarii tantùm conceſſa ſunt, itidem pro lubitu revocari poſſunt, quia precarium ad nutum ſemper revocabile eſt, continet enim conditionem, *quamdiu voluero*; per modum autem precarii etiam illa privilegia conceſſa eſſe intelliguntur, quæ vinculum legis duntaxat demunt v. g. ſolvendi tributum, ac per conſequens ſemper revocari poſſunt; uti enim lex ſublata univerſaliter reponi univerſaliter ſemper poteſt, ita etiam ſublata particulariter reponi particulariter ſemper poteſt, cùm non magis uno, quàm altero caſu adverſùs legis auctorem jus quæſitum ſit. Quæ verò cum translatione alicujus juris ſubdito conceſſa ſunt, revocari haud poſſunt, niſi ob commiſſum delictum in pœnam, aut exigente neceſſitate vel utilitate Reipublicæ vi eminentis dominii, quo tamen caſu,

niſi privilegium fuerit gratìs datum, compenſatio facienda eſt, nec enim ad rectam gubernationem Réipublicæ major requiritur poteſtas. Certè iniquum eſſet, ſi ſubditi deberent damnum pati ſine compenſatione, ubi hæc fieri poteſt. Jung. Grot. §. *13.* & P. Haunold *Tom. 1. tract. 1. cap. 4. contr. 5. num. 259. & ſeqq.*

X.

Planè contractibus eorum, qui ſine jure imperium invaſerunt, quamdiu invaſionis vitium non purgatur, nec pópuli, nec veri Reges tenentur, niſi exinde locupletiores fuiſſent effecti, nam tunc utique tenentur de in rem verſo. Grot. §. *ult.*

CAPUT XV.

De Fœderibus, ac Sponſionibus.

SUMMARIUM.

I. *Conventiones vel ſunt publicæ, vel privatæ, ad publicas referuntur fœdera, ſponſiones.*

I.

Conventiones vel ſunt publicæ, vel privatæ. Conventionum publicarum multæ ſunt ſpecies, veluti fœdera, ſponſiones, pactiones pacis, induciarum &c. Poſtquam igitur A. de conventionibus in genere egit, progreditur jam in ſpecie ad fœdera, & ſponſiones, quam materiam in *J. P. U. Part. 4. cap. 3. §. 1. & 2.* plenè excuſſimus, quò proinde lectorem remittimus.

CAPUT XVI.

De Interpretatione.

SUMMARIA.

I. *Interpretatio eſt expoſitio voluntatis alienæ dubiæ.*
II. *Dividitur in declarativam, extenſivam, & reſtrictivam.*

III. *Si*

III. *Si aliæ conjecturæ deficiant, verba intelligenda ſunt ex proprietate vulgari.*

IV. *In vocabulis artium ſtandum eſt definitioni cujusque artis.*

V. *Conjecturis opus eſt, ſi verba, aut verborum complexio plures recipiat ſignificationes, aut ſpecies quædam ſit repugnantiæ.*

VI. *Quæ ducuntur vel ex materiâ, vel ex effectu, vel ex conjunctis.*

VII. *Promiſſionum aliæ ſunt favorabiles, aliæ odioſæ, aliæ mediæ.*

VIII. *Adducuntur quædam regulæ interpretandi.*

IX. *Quæ illuſtrantur exemplis.*

X. *Quando interpretatio extenſiva procedat?*

XI. *Utrùm mandatum impleri poſſit per aliud æquè utile, aut utilius, quàm mandans præſcripſerit?*

XII. *Interpretatio reſtrictiva petitur vel ex defectu voluntatis originario, vel ex repugnantiâ casûs emergentis cùm voluntate.*

XIII. *Promiſſa regulariter loquendo non continent conditionem tacitam:* rebus ſic ſtantibus.

XIV. *Repugnantia casûs emergentis cum voluntate colligitur potiſſimùm ex naturali ratione.*

XV. *Referuntur quædam regulæ in caſu colliſionis.*

XVI. *Scriptura in dubio non requiritur ad ſubſtantiam contractûs.*

XVII. *Errant, qui contractus Regum, & populorum ex jure Romano interpretandos eſſe putant.*

XVIII. *Utrùm verba ſtipulantis, vel promittentis potiùs ſint ſpectanda?*

I.

Cùm ſæpè pacta, & contractus interpretatione indigeant, ideò rectè de hoc A. *hoc cap.* agit. Poteſt autem interpretatio ad noſtrum inſtitutum deſcribi, quòd ſit expoſitio voluntatis alienæ dubiæ. Dixi I. *voluntatis alienæ*, nam expoſitio voluntatis propriæ non tam interpretatio eſt, quàm nova lex, vel novum pactum; nova lex eſt, ſi ipſe legislator dubiam ſuam voluntatem declaret; novum pactum, ſi fiat ab ipſis paciſcentibus. Dixi II. *voluntatis dubiæ*, quæ enim certa ſunt, nullâ indigent interpretatione.

II. Di-

II.

Dividitur interpretatio in declarativam, extenſivam, & reſtrictivam. Menſura rectæ interpretationis eſt collectio mentis ex ſignis maximè probabilibus. Hæc ſigna duplicis ſunt generis, ſcilicèt verba, & conjecturæ, quæ aut ſeorſim conſiderantur, aut conjunctim.

III.

Si nulla ſit conjectura, quæ aliò ducat, verba intelligenda ſunt in eo ſenſu, quem habent ex uſu populari, licèt in Grammatica aliam habeant ſignificationem. Perfidus ergo cavillator erat Turcarum Imperator, qui Eubœâ captâ eum medium diſſecuit, cui caput incolume fore antea promiſerat. *Ejusmodi fraudibus adſtringi, non diſſolvi perjurium* rectè dixit Cicer. *de Offic. lib. 3.* Grot. §. *2.* Puffendorf. *lib. 5. cap. 12. n. 3.*

IV.

In vocabulis autem artium ſtandum eſt definitioni prudentûm cujusque artis, veluti ſi quæſtio incidat, quanta militum multitudo exercitum faciat, vel ſi inter duos convenerit, ne in confinio arx exſtruatur, quid nomine arcis intelligatur, nam ejusmodi vocabula plerúmque vulgus non capit. Quodſi periti in definiendo aliquo vocabulo inter ſe diſſentiant, ad præſcindendas lites expedit, ut popularibus verbis exprimatur in quonam ſignificatu vox eo loco accipiatur. Grot. §. *3.* Puffendorf *ubi ſuprà* §. *4.*

V.

Conjecturis aſſumptis opus eſt primò, ſi verba, aut verborum complexio plures recipiant ſignificationes, quorum prius homonymia, poſterius amphibolia vocatur. Secundò ſi adſit ſpecies quædam repugnantiæ, tunc enim conjecturæ quærendæ ſunt, quæ partem unam alteri concilient, ſi fieri poſſit, ſi enim certa ſit pugna, quod poſterius inter contrahentes placuit, prioribus derogavit. Interdum conjecturæ adeò evidentes ſunt, ut ſpontè ſe ingerant, v. g. lex ſit. *Peregrinus, qui mœnia aſcenderit, capite plectatur*, po-

namus jam, peregrinum in obſidione muros aſcendiſſe, & hoſtem ſubeuntem ſcalis dejeciſſe, hic utique capite plectendus non erit; licèt enim peregrino verba legis adverſentur, non tamen eidem adverſatur mens, & ſententia legis; nam ſcopus legis erat, ne peregrinus mœnia aſcendat, exploraturus, quâ parte facillimus in urbem eſſet aditus, quæ ratio in præſenti caſu ceſſat. Grot. §. *4.* & Puffendorf §. *6.*

VI.

Ducuntur autem conjecturæ voluntatis præcipuè vel ex materiâ, vel ex effectu, vel ex conjunctis. Ex materiâ, prout enim eſt ſubjecta materia, ita verba ſunt intelligenda. Sic vox *armorum* modò belli inſtrumenta, modò milites armatos ſignificat, ſi convenerit, ne alter arma nobis inferat, intelligimus milites, & exercitum, ſi verò in obſidione convenerit de tradendis armis, appellatione armorum intelligimus inſtrumenta bellica. Ex effectu, veluti ſi vox ex uſu receptiore ſumpta, abſurdum, & à ratione alienum poſt ſe traheret effectum, in ambiguâ enim voce ea accipienda eſt interpretatio, quæ vitio caret. Conjuncta ſunt aut origine, aut etiam loco. Conjuncta origine ſunt, quæ ex eâdem voluntate proficiſcuntur, licèt alio loco, & aliâ occaſione dicta ſint, unde in dubio naſcitur conjectura, quòd voluntas ſibi fuerit conſentiens. Rectè Cicer. *de Invent. lib. 2. Quâ in ſententiâ ſcriptor fuerit, ex cæteris ejus ſcriptis, ex factis, dictis, ſumi oportebit.* Inter ea, quæ etiam loco conjuncta ſunt præcipuam vim habet ratio legis, quæ non debet confundi cum mente legis; ratio enim eſt cauſa, quæ legislatorem movit ad ferendam legem, mens autem eſt ſententia, ſeu id, quod ex verbis rectè acceptis colligitur. Si certò conſtet, voluntatem legislatoris aliquâ ratione, tanquam cauſâ unicâ, fuiſſe motam, locum habet vulgatum illud: *ceſſante ratione legis, ceſſat ipſa lex,* quod non minùs in pactis, quàm in legibus obtinet. Sic donatio propter nuptias vim nullam habet, ſi nuptiæ ſecutæ non ſint, quia nuptiæ ſunt ſola, & unica cauſa donandi. Si autem plures ſint rationes, etiamſi una ceſſet, non tamen propterea ſtatim ceſſat lex. Ita ferè Grot. *à* §. *5. usque ad 9.* & Puffendorf *à* §. *7. usque ad 11.*

VII.

VII.

Deinde promiſſionum aliæ ſunt favorabiles, aliæ odioſæ, aliæ mixtæ, ſeu mediæ. Favorabiles ſunt, quæ æqualitatem in ſe habent, ita ut utriùsque partis par ſit conditio, vel quæ communem ſpectant utilitatem, quæ, quò major eſt, & latiùs patet, eò major eſt promiſſi favor. Sic eorum, quæ ad pacem faciunt, major eſt favor, quàm quæ ad bellum, & major eſt favor belli defenſivi quàm offenſivi. Odioſa verò ſunt, quæ unam tantùm partem, aut unam magìs quàm alteram gravant, item, quæ pœnam in ſe continent, & quæ actus quosdam irritos faciunt, vel quæ de prioribus aliquid immutant, aut ſocietatem, & amicitiam dirimunt. Quodſi aliquid ſit mixtum, veluti ſi priora quidem immutet, ſed pacis cauſâ, illud pro magnitudine boni aut mutationis, modò favorabile, modò odioſum cenſebitur, ita tamen, ut cœteris paribus favor cenſeatur potior. Ita rurſùs Grot. §. *10.* & Puffendorf §. *12.* Quibus præmiſſis ſequentes ſtatuuntur regulæ quatum

VIII.

Prima eſt. In non odioſis, quæ ſcilicèt media ſunt inter favorem, & odium, ſumenda ſunt verba ſecundùm totam proprietatem uſus popularis, & ſi plures ejusdem vocis in populari uſu ſint ſignificationes, illa ſumenda eſt, quæ eſt latiſſima, quale eſt, ut maſculinum ſumatur pro genere communi, & indefinita locutio v. g. de reſtituendis utrinque captivis pro univerſali. *Secunda.* In favorabilioribus, ſi is qui loquitur, vel ipſe Jurisperitus ſit, vel Jurisperitorum conſilio utatur, verba laxiùs ſumenda ſunt, ita ut, non ſolùm ſignificent id, quod in vulgari eſt uſu, ſed & includant ſignificationem, quæ in diſciplinâ Juris habetur, ſeu, quam lex civilis impoſuit. *Tertia.* Ad ſignificationes autem planè improprias non eſt recurrendum, niſi àlioquin abſurdum ſequeretur, aut pactum, vel lex inutilis foret. *Quarta.* Ex contrario, verba etiam ſtrictiùs, quàm fert eorum proprietas ſumenda ſunt, ſi id neceſſarium ſit ad vitandam abſurditatem, vel iniquitatem. *Quinta.* Si neceſſarium quidem non ſit, ad vitandam abſurditatem, vel iniquitatem, ut verba ſtrictiùs ſumantur, quàm fert eorum proprietas, manifeſta

tamen æquitas, vel utilitas ſit in reſtrictione, ſubſiſtendum erit intra arctiſſimos terminos, niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant. *Sexta.* In odioſis etiam ſermo figuratus, ſeu à proprietate verborum diſcedens aliquantulùm admittitur, ut onus vitetur. Unde in donatione, & Juris ſui remiſſione verba quantúmvis generalia reſtringi ſolent ad ea, de quibus veriſimile eſt, fuiſſe cogitatum, & in fœdere, quo una tantùm pars auxilia promiſit intelligendum eſt, ea debere mitti impenſis ejus, qui poſtulavit, niſi expreſſè aliter fuerit conventum. Ita denuò Grot. §. *12.* & Puffendorf. §. *13.*

IX.

Sic ſi inter duos populos convenerit, ut utriusque ſocii ab utroque populo tuti ſint, appellatione ſociorum illi duntaxat intelligantur, qui jam tempore icti fœderis ſocii erant, non etiam illi, qui poſtea primùm in ſocietatem ſunt aſſumpti, quia naturalis libertas armis cogendi eos, qui injuriam feciſſe creduntur, non cenſetur temerè fuiſſe abdicata, hoc enim odioſum foret. Eodem modo ſi convenerit, ne alter fœderatorum injuſſu alterius bellum gerat, ne nimiùm coarctetur libertas, hoc ad bellum tantùm offenſivum reſtringi debet. Sic Romani, cùm Pœnis, ſi imperata facerent, promiſiſſent, *liberam fore Carthaginem*, jubendo poſtea, ut deſtructâ urbe novam ſibi, & à mari diſſitam exſtruerent urbem, à crimine perfidiæ excuſari haud poſſunt, quamvis enim libertas ſit attributum populi, non urbis, quatenus tectis, & mœnibus conſtat, vulgaris tamen hujus propoſitionis: *Carthago erit libera*, ſenſus eſſe videtur, *populum libertate fruiturum in urbe Carthagine*, quo ipſo comprehenditur, ejus mœnia, & ædificia ſalva debere perſiſtere. Et ſanè duriſſimum fuiſſet, urbem tanto tempore habitatam propriis diruere manibus, inde migrare, & alio in loco novam exſtruere, ac per conſequens verba ita interpretanda erant, ut tam grave onus evitetur. Sic etiam, ſi fœdus ſit factum cum Rege, & ejus ſucceſſoribus, appellatione Regis, & ſucceſſoris non intelligitur invaſor alieni Imperii, quamdiu talis manet, quia ejus cauſa odioſa eſt, & vocabula *Rex*, *ſucceſſor* propriè illum tantùm ſignificant, qui jus habet. Ex adverſo, ſi prœmium promiſſum ſit ei, qui primus ad metam perventurus eſſet, & duo ſimul pervenerint, uterque ad

prœmium concurret, cùm enim virtutum prœmia ſint favorabilia, ideo verba non ſtrictè in ſenſu poſitivo, ſed latiùs in ſenſu negativo ſunt accipienda. Simile exemplum legitur apud Liv. *lib. 26. cap. 48.* ubi corona muralis promiſſa ei, qui primus murum aſcendiſſet, ſed, cùm duobus certantibus res ferè ad tumultum inclinaret, Scipio pronunciavit, utrúmque pariter in murum aſcendiſſe, & ambos coronâ murali donavit. Confer. Grot. §. *13. & ſeqq.* Puffendorf *ubi ſuprà* §. *14. cum duobus ſeqq.* adde *J. P. U. Part. 4. cap. 3.* §. *1.* Et hæc dicta ſint de interpretatione, quæ verborum ſignificationi propriæ, vel impropriæ aptatur.

X.

Tranſimus jam ad eam interpretationem, quæ ſumitur ex conjecturis extra ſignificationem verborum, éſtque vel extenſiva, vel reſtrictiva. Extenſiva difficiliùs procedit, quàm reſtrictiva, nec aliter rectè fit, quàm ſi conſtet, rationem, ſub quam venit caſus, quem volumus comprehendere, eſſe cauſam unicam, & efficacem, quæ promittentem moverit, eámque rationem, ab eo conſideratam in ſua generalitate, quia alioqui promiſſio futura fuiſſet iniqua, aut inutilis, veluti, ſi inter duos populos vicinos conventum ſit, ne certus aliquis locus muris cingatur, eo tempore, quo non erat aliud muniendi genus, talis locus ne terreo quidem aggere cingi poterit, ſi ſatis conſtet, cauſam prohibendi muros unicam fuiſſe, ne iſte locus muniretur. Similiter, ſi quis aliquem teſtamento hæredem ſcripſerit ſub conditione, ſi poſthumus, quem expectabat, mortuus fuerit, hæc diſpoſitio ad eum quoque caſum producenda erit, quo poſthumus natus non eſt, quia teſtator ſolâ conſideratione non exituræ prolis motus fuit, ac proinde ſi præſciviſſet, poſthumum ſibi naſciturum non fuiſſe, alterum citra conditionem hæredem fuerat ſcripturus. Aliud exemplum occurrit *in l. 3. Cod. de Inſtit. & ſubſtit.* ubi mater liberos ſuos ſub conditione emancipationis hæredes inſtituit, antequam autem fuerint emancipati, pater deceſſit, vel ſententiam deportationis paſſus eſt, reſcripſit Imperator, liberos nihilominùs hæredes eſſe, quia ſcilicet mater ad hoc ſolùm reſpexit, ut liberi patriâ poteſtate liberentur. Grot. §. *20.* & Puffendorf. §. *17.* Hac occaſione

XI.

Quæſitum eſt, utrùm mandatum impleri poſſit per aliud æquè utile, aut utilius, quàm mandans præſcripſerat? Placet intereſſe, utrùm certus modus expediendi negotium præſcriptus ſit vi Imperii, vel per nudum, & ſimplicem contractum mandati. Si vi Imperii, non licet ſubdito à modo præſcripto diſcedere, niſi hoc vel diſertis verbis ipſi fuerit conceſſum, vel ſaltem ex rectâ verborum interpretatione conceſſum eſſe colligi poſſit, quia eidem non niſi mera executio injuncta fuiſſe videtur; & ſanè, diſſolveretur Imperantis officium, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſponderet, nec laudem, ſed reprehenſionem meretur miles, qui interpretari juſſa Ducum mavult, quàm exequi. Si verò certus modus per nudum & ſimplicem contractum mandati alicui præſcriptus ſit, porrò refert, utrùm ſatis conſtet, eum non ſub ſpeciali formâ, ſed ſub conſideratione generaliore præſcriptum fuiſſe, vel de eo non ſatis conſtet. Illo caſu res tota mandatarii prudentiæ relicta fuiſſe cenſetur, ac proinde ſi bonâ fide arbitretur, aliâ viâ finem intentum æquè, aut fortè faciliùs obtineri poſſe, is limites mandati neutiquam excedet, tametſi à præſcripto ſibi modo diſcedat. Hoc autem caſu oportet modum præſcriptum obſervare. Confer. Grot. §. *21*. & Puffendorf *lib. 5. cap. 4. §. 5.*

XII.

Interpretatio reſtrictiva extra ſignificationem verborum, quæ promiſſionem continent, petitur vel ex defectu voluntatis originario, vel ex repugnantia caſûs emergentis cum voluntate. Defectus voluntatis originarius colligitur primò ex abſurdo, quod aliàs ſequeretur, nemo enim credendus eſt velle abſurda. Secundò ex ceſſatione rationis, quæ ſola plenè, & efficaciter movit voluntatem, exemplum eſt in *lib. 6. §. 2. ff. de Jur. Patronat.* Sæpè tamen in ratione ſpectatur non præciſè ſolus actus, ſed ipſa potentia, ſeu moralis poſſibilitas actûs, quo caſu, licèt actus ceſſet, reſtrictio tamen locum non habet, quia non ceſſat ratio. Sic ſi in fœdere cautum ſit, ut per fines noſtros non ducatur exercitus, ne damnum fortè nobis

nobis inferatur, non poterit duci, tametſi animus nocendi abſit, ſufficit enim ab exercitu, ſi per fines noſtros ducatur, damnum nobis inferri poſſe. Tertiò defectus voluntatis originarius colligitur ex materiâ, quæ ſemper intelligitur obverſari animo loquentis, etiamſi verba latiùs pateant, ac proinde reſtringenda ſunt ad ſubſtratam materiam. Sic licèt alicui, & hæredibus ſuis datum ſit feudum, appellatione tamen hæredum non intelliguntur fœminæ, & ex fœminis nati, ſed ſoli hæredes feudales, ſeu maſculi ex maſculis nati. Grot. *à* §. *22.* Puffendorf. §. *19. & ſeqq.*

XIII.

Non adeò expeditum eſt, utrùm promiſſa habeant in ſe hanc tacitam conditionem, *ſi res maneant eo, quo ſunt loco?* Affirmant haud pauci, ut videre eſt apud Ziegler. *ad* §. *25.* Rectiùs tamen, ſaltem in genere hoc negare videntur A. *cit.* §. *25. num. 2.* & Puffendorf §. *20.* niſi apertiſſimè pateat, ſtatum, rerum præſentem, ejúſque durationem per modum conditionis ſpectatam fuiſſe. Ratio eſt, quia ejusmodi tacitæ conditiones, cùm promiſſa irrita reddant, ſunt odioſæ, ac per conſequens non facilè præſumendæ.

XIV.

Repugnantia caſûs emergentis cum voluntate colligitur vel ex naturali ratione, vel ex alio ſigno. Dijudicandæ voluntati ex naturali ratione deſervit in intellectu æqui-prudentia, in voluntate verò æquitas, quæ eſt virtus voluntatis correctrix ejus, in quo lex propter univerſalitatem deficit, quod ad teſtamenta quoque, & pacta ſuo modo referri debet; cùm enim, præſertim in legibus, nec prævideri omnes caſus poſſint, nec ob infinitam varietatem exprimi, ideò libertate quâdam opus eſt, eximendi caſus, quos eximeret ille ipſe, qui locutus eſt, ſi præſens adeſſet. Hoc tamen non temerè fieri debet, ſed neceſſe eſt, ut ſufficientia adſint indicia, inter quæ certiſſimum eſt, ſi appareat, ſequi verba illicitum eſſe, nam quæ vel juri naturæ, vel divino adverſantur, obligationis capacia haud ſunt. Sic non poſſum gladium depoſitum reddere deponenti, ſi is furioſus ſit, ne aut ſibi, aut aliis innocentibus noceat. Eodem modo nec rem depoſitam reſtituere poſſum ei, qui depoſuit,

ſi do-

ſi dominus eandem repetat, licèt lex generaliter dicat, rem depoſitam reddendam eſſe deponenti. Alterum indicium eſt, ſi verba ſequi non quidem per ſe illicitum ſit, ſed æquè rem æſtimanti nimis grave, & intolerabile, ſive abſolutè ſpectatâ conditione humanæ naturæ, ſive comparando perſonam, & rem, de quâ agitur, cum ipſo fine actûs. Sic res commodata etiam ante tempus elapſum repeti poteſt, ſi talis caſus ſupervenerit, ut ipſe eâdem indigeat, quia actûs tam benefici ea eſt natura, ut non credendus ſit quiſpiam ad magnum ſuum incommodum ſeſe obligare voluiſſe. Sic qui fœderato auxilia promiſit, excuſatur, ſi ipſe copiis ſuis ad defenſionem Reipublicæ ſibi commiſſæ opus habeat. Sic etiam conceſſio immunitatis à vectigalibus, & tributis non poteſt intelligi de iis, quæ ſumma, & præſens neceſſitas extra ordinem exigit, & quibus Reſpublica carere nequit. Et ita intelligi debet, quod Cicer. *de Offic. lib. 1.* dixit, *non eſſe ſervanda promiſſa, quæ promittenti plus noceant, quàm promiſſario proſint*, velut jam alibi explicavimus. Grot. §. *26. & 27.* Puffendorf §. *21. & 22.*

XV.

Ex alio ſigno colligitur, caſum eximendum eſſe, ſi verba alio loco poſita non quidem directè inter ſe pugnent, ſed velut inſperatò ex ipſo rerum eventu inter ſe committuntur. Ubi ſequentes tenendæ ſunt regulæ. *Prima.* Quod permittitur cedit ei, quod jubetur, aut vetatur, nam quod permittitur voluntarium eſt, quod jubetur, aut vetatur, neceſſarium, & qui aliquid permittit, ita demùm permittere videtur, niſi aliud quid obſtet. *Secunda.* Quod faciendum eſt certo tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri poteſt, ſeu ubi in unum tempus incidit impletio duarum obligationum, quarum uni non niſi certo, eóque præſenti tempore ſatisfieri poteſt, alteram autem quovis tempore impleri nihil intereſt, hâc in aliud tempus dilatâ, iſta ſtato tempore erit implenda. Ratio eſt, quia ſi utrique obligationi ſatisfieri poteſt, etiam ſatisfieri debet. Atqui hoc modo utrique obligationi ſatisfieri poteſt: ergo etiam ſatisfieri debet. *Tertia.* Lex aut pactio vetans vincit jubentem, quia lex jubens ſupponit id, quod jubet, eſſe licitum. *Exceptio* eſt, niſi lex jubens contineat exceptionem à lege prohibente,

nam

nam hoc caſu lex jubens prævalet vetanti. *Quarta.* Inter pactiones, aut leges cæterà æquales præfertur ea, quæ magìs eſt peculiaris, & ad rem propiùs accedit, nam ſpecialia ſolent eſſe efficaciora generalibus. *Quinta.* Si duæ leges pœnales inter ſe collidantur, præferenda eſt illa, quæ reſpectu alterius ſe habet per modum exceptionis, qualis plerúmque cenſetur eſſe illa, quæ pœnam majorem minatur. *Sexta.* Quod habet cauſas magìs honeſtas, aut magìs utiles, præfertur ei, quod habet cauſas minùs honeſtas, aut minùs utiles. Sic major eſt favor minoris, qui filiofamilias contra SCtum Macedonianum pecuniam credidit, quàm filiifamilias majoris, quia jus minori reſtitutionem in integrum concedendo eidem favere vult, SCtum autem Macedonianum factum eſt in odium fœneratorum. *Septima.* Quando pactum juratum cum non jurato certo eventu pugnat, ita ut utrúmque ſimul impleri nequeat, præferendum eſt pactum juratum propter concurrentem obligationem Religionis. Ita A. §. *29.* qui haſce regulas deſumpſit ex Ciceron. *de Invent. lib. 2. cap. 49.* Addatur Puffendorf §. *23.* ubi plures ſubjungit, quas prætereo.

XVI.

Cœterùm quamvis inter contrahentes placuerit, ut contractus in ſcripturam redigatur, in dubio tamen contractus etiam ante confectum inſtrumentum cenſetur eſſe perfectus, quia ſcripturam tantùm facilioris probationis cauſâ requiſiviſſe creduntur. Si ergo non aliter obligari velint, quàm ſi contractus fuerit in ſcripturam redactus, neceſſe eſt, ut hoc exprimant, vel ſaltem dicant, ſe non niſi in ſcriptis contrahere velle. Grot. §. *30.* Ant. Faber *ad Cod. lib. 4. tit. 16. Defin. 14.* Stryk. *de Cautel. contract. Sect. 2. cap. 8.* §. *1. & 2.*

XVII.

Non poſſum hoc loco ſilentio præterire errorem eorum, qui contractus Regum & populorum, quantum fieri poteſt, ex jure Romano interpretandos eſſe contendunt; quamvis enim hoc jus apud plures diverſos populos receptum ſit, non tamen receptum eſt cum mutuâ obligatione, ſed libero cujusvis populi conſenſu, ac proinde

inde non eſt jus gentium propriè dictum, ſed jus Civile, apud plures populos ſimile. Palam autem eſt, populos, & populorum Rectores non teneri jure civili alterius populi, cùm unus populus, aut Rex non ſit ex numero ſubditorum alterius populi, vel Regis. Quare meritò ridendi ſunt legulei illi, qui omnes controverſias, inter ſummos Imperantes exortas, ex jure civili decidere volunt. Grot. §. *31*.

XVIII.

Quæri etiam poteſt, utrùm verba conditionem offerentis, vel accipientis potiùs ſint attendenda? Conditionem offerre dicitur is, qui alterum ſibi daturum, vel facturum ſtipulatur, accipere verò, qui ad verba interrogantis promittendo reſpondet. Quâ in quæſtione intereſſe placet, utrùm verba promittentis ſint abſoluta, & in ſe perfecta, vel determinationem ſuam accipiant ex interrogatione ſtipulantis. Illo caſu attendenda ſunt verba promittentis, quia non poteſt ſtipulanti majus jus accreſcere, quàm voluit promittens. Hoc autem caſu ſpectanda ſunt verba ſtipulantis, quippe quæ ex naturâ vocum relativarum in promiſſione repetita eſſe cenſentur, veluti ſi centum, & equum ſtipulanti reſpondeam, ſpondeo. Grot. §. *ult.*

CAPUT XVII.

De damno per injuriam dato, & obligatione, quæ inde naſcitur.

SUMMARIA.

I. *Ex ſolâ violatione juſtitiæ commutativæ, non etiam diſtributivæ naſcitur obligatio reſtituendi.*

II. *Quamvis is, qui dignus eſt, non habeat jus rigoroſum, ut ipſi conferatur officium, verum tamen jus habet, ne in petendo per vim, aut dolum ab altero impediatur.*

III. *Diverſi generis bona ſunt, in quibus homo lædi poteſt.*

IV. *Quosnam fructus malæ fidei poſſeſſor reſtituere teneatur?*

V. *Eti-*

V. *Etiam ſpes lucri ex noſtro æſtimatur.*
VI. *Sufficit damnum eſſe voluntarium in ſuâ cauſâ.*
VII. *Ad quid teneatur primò homicida?*
VIII. *Secundò qui alterum vulneravit, vel mutilavit?*
IX. *Tertiò adulter ſi proles ex adulterio ſit ſuſcepta?*
X. *Quartò fures & raptores?*
XI. *Quintò qui cauſam promiſſioni dedit per metum aut dolum?*
XII. *Quatenus Reges, & Magiſtratus teneantur ex neglectu?*
XIII. *Utrùm jure naturæ naſcatur obligatio reparandi damnum ab animalibus citra noſtram culpam datum?*
XIV. *Quomodo damnum adversùs honorem & famam illatum reparetur?*
XV. *Quisnam dicatur ad damnum concurrere?*
XVI. *Quinam poſitivè ad damnum concurrant?*
XVII. *Qui ad idem damnum individuum concurrunt, ſinguli tenentur in ſolidum.*
XVIII. *Quinam negativè concurrant?*
XIX. *Cauſæ poſitivæ tenentur ad reſtitutionem ante cauſas negativas.*
XX. *Inter cauſas poſitivas tenetur cauſa phyſica principalis ante cauſam moralem.*
XXI. *Cauſæ acceſſoriæ, & ſecundariæ tenentur omnes æquè immediatè.*
XXII. *Si plures ſint cauſæ æquè principales, aut æquè ſecundariæ, ſingulæ tenentur ad æquales portiones.*
XXIII. *Si cauſa ſecundo loco obligata reſtituat, tenetur cauſa primaria eidem reſtituere, quod pro eâ exſolvit.*

I.

EJus, quod nobis debetur, tres ſunt fontes, ſcilicet pactio, delictum, & lex. De Pactionibus hactenùs diximus, tranſimus jam ad delictum, cujus nomine intelligimus quamcunque doloſam, vel culpoſam juris alieni rigoroſi læſivam actionem, vel omiſſionem. Quicunque igitur dolo, vel culpâ theologicâ jus alienum rigoroſum, & ſtrictè dictum lædit, ac damnum infert, illud jure naturæ reſarcire tenetur, tametſi exinde non ſit factus locupletior, aliàs pax, & tranquillitas in ſocietate humani generis conſervari haud poſſet. Ex violatione autem Juſtitiæ diſtributivæ per ſe non ori-

 tur

tur obligatio reſtituendi, *per ſe*, inquam, ſi enim uno, & eodem actu non tantùm juſtitia diſtributiva, ſed & commutativa violetur, ex illo haud dubiè naſcitur obligatio reſtituendi damnum illatum ei, cujus jus rigoroſum & ſtrictè dictum læſum eſt. Sic is, cui jus conferendi officia conceſſum eſt, tenetur Reipublicæ ad eligendum dignum ex juſtitiâ commutativâ, ac proinde ſi prætcrito digno contulerit officium indigno, & exinde Reſpublica damnum ſit paſſa, tenetur, ille hoc damnum Reipublicæ reſarcire, quamvis digno, quem præteriit, ad nihil teneatur. Grot. §. *1. & 3.* Leſs. *de J. & J. lib. 2. cap. 12. Dubit. 18. num. 123.*

II.

Deinde cavere debemus, ne ea, quæ diverſi generis ſunt, confundamus. Sic licèt civis, qui dignus eſt, non habeat jus rigoroſum, & ſtrictè dictum, ut ipſi officium vacans conferatur, verum tamen, & propriè dictum jus habet, ne in eo petendo per vim, aut dolum ab altero impediatur, ac proinde qui eum impedit, injuriam eidem infert, & tantum reſtituere tenetur, quantum valebat ſpes obtinendi officium, ſi petere non fuiſſet impeditus. Sic etiam, licèt nemo jus proprium habeat, ut ipſi aliquid in teſtamento legetur, verum tamen jus habet, ne teſtator per vim, aut dolum impediatur eidem legare, adeò ut, ſi fiat, vera rurſùs committatur injuria, & impediens ad reſtitutionem damni teneatur. Grot. *cit.* §. *3.*

III.

Lædimur autem per delictum in bonis vel internis, vel externis. Bona interna vel ſunt corporis, vel animi. Ad bona corporis pertinent vita, membra, & integritas virginalis, quæ læduntur per homicidium, mutilationem, & ſtuprum; quamvis enim nemo dominus ſit vitæ, & membrorum ſuorum, quivis tamen jus verum, & propriè dictum habet, ne in vita, aut membris ab altero lædatur, quia ſaltem cuſtos, adminiſtrator, & fructuarius eſt, iiſque ſalvâ ſubſtantiâ ad felicitatem propriam uti, & frui poteſt. Bona animi ſunt ſana ratio, libertas &c. quæ læduntur per pocula amatoria, & injuſtam ſervitutem. Bona externa reſpiciunt vel hono-

rem,

rem, quò pertinet bona fama, & exiſtimatio, quæ violatur per omnis generis contumelias, & injurias, vel patrimonium, quò ſpectant res omnes externæ ſive corporales, ſive incorporales. Adde Grot. §. *2.*

IV.

Et quidem non tantùm in re, ſed & in fructibus rei damnum patimur, adeóque malæ fidei poſſeſſor unà cum re etiam fructus, quos ex re alienâ percepit, reſtituere tenetur, tametſi fortè dominus eos percepturus non fuiſſet, aut poſtquam percepti fuerunt, caſu fortuito periêrint; nam hoc ipſo, quòd fructus ex re alienâ provenerint, illi ceſſerunt domino rei, quos eo invito non potuit conſumere, vel retinere, ac proinde ſi eos conſumpſit, ſciens, rem alienam conſumpſit, ſi retinuit, moram in reſtituendo commiſit, qui autem in morâ reſtituendi eſt, re poſt moram peremptâ ad æſtimationem ejus tenetur, niſi res eodem modo apud dominum interiiſſet. Deinde malæ fidei poſſeſſor etiam illos fructus reſtituere tenetur, quos probabiliter ipſe dominus percepturus fuiſſet, licèt ipſe eos non perceperit, quantum enim fieri poteſt, dominum indemnem ſervare, ac proinde hoc lucrum, quod ob ejus culpam ceſſat, compenſare tenetur. Planè impenſas utiles in rem factas, & quæ ad fructus percipiendos erant neceſſariæ, etiam malæ fidei poſſeſſor deducere poteſt, ne aliàs dominus cum alienâ jacturâ fiat locupletior. Grot. §. *4.*

V.

Sed & ſpes lucri ex noſtro æſtimatur, ut in ſemente ſpes meſſis, non quidem, quanti lucrum ſolidum foret, ſi id percepiſſem, ſed arbitrio boni viri, prout propior, aut remotior à ſperato eventu abfui, & prout plus, aut minus periculi ſupererat ad conſequendum id, quod ſperabam, niſi ab eo, qui damnum dedit, ſpes fuiſſet intercepta. Grot. §. *5.*

VI.

Neceſſe autem non eſt, ut damnum, quod alteri infertur, ſit voluntarium in ſe, ſed ſufficit eſſe voluntarium in ſuâ cauſâ. Unde, qui ex

ex culpabili inconſideratione non attendit ad damna prudenter opinabilia fortè ſecutura, perinde ad illa, quæ evenerunt, reparanda tenetur, ac ſi ea directè intendiſſet, veluti ſi quis in horreo ad caudam felis ſtramen alligaverit, & incenderit, unde ortum eſt incendium, quod ipſi ſufficienter eſt voluntarium, quatenus ipſa inconſideratio eidem eſt voluntaria, ac proinde per ſuam actionem jam eſt cauſa moralis damni. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. tract. 2. Contr. 5. num. 220.* adde Grot. §. *12.*

VII.

Placet jam in ſpecie videre, ad quid unus, aut alter teneatur, & quidem primò quæri poteſt, ad quid teneatur homicida injuſtus? ℞. Eum teneri imprimis ſolvere impenſas, ſi quæ factæ ſint in Medicos, & Chyrurgos, deinde teneri iis, quos occiſus ex officio alere ſolebat, puta parentibus, uxori, liberis, dare tantum, quantum illa ſpes alimentorum, ratione habitâ ætatis occiſi, valebat, vitæ autem in libero homine nulla fit æſtimatio, nec eo nomine aliquid reſtitui poteſt, reſtitutio enim locum non habet, niſi pro bonis, quæ pretio comparari poſſunt. Atqui vita, poſtquam amiſſa eſt, nullo pretio ampliùs comparari poteſt: ergo &c. Et quæſo, cui pro damno vitæ reſtitutio fieri deberet? Non utique occiſo; ſed neque uxori, & liberis, quia vita occiſi ad eos non pertinebat, ſed tantùm ratione alimentorum eorum intererat, ut is vivat: ergo eo, quod intereſt, præſtito nihil ampliùs exigere poſſunt. Aliud dicendum de ſervo interempto, cujus æſtimatio ſine dubio domino ſolvenda eſt, quia ſervi non minùs in patrimonio noſtro exiſtunt, ac res cœteræ. Quòd ſi quis alterum occidendo tantùm peccâſſet contra charitatem, veluti ſi citra ignominiam fugere potuiſſet, non autem fugerit, ac injuſtum aggreſſorem pro neceſſariâ defenſione ſuæ vitæ occiderit, talis, ut jam alibi dixi, uxori, & liberis alimentorum nomine nihil exſolvere tenetur. Grot. §. *13.* P. Haunold *cit. tract. 2. cap. 6. Contr. 5. per tot.*

VIII.

Qui injuſtè alterum vulneravit, aut mutilavit, itidem tenetur ad impenſas in curationem factas, & inſuper ad ſolvendam æſti-

matio-

mationem ejus, quod interim lucratus non eſt, & quod impoſterum minùs lucrari poteſt. Cicatricis autem, & deformitatis in libero homine tam parùm fit æſtimatio, quàm parùm fit in occiſo ipſius vitæ. Si verò ex cicatrice, aut deformitate damnum fluat pecuniarium, veluti ſi puellæ innuptæ facies adeò fœdata ſit, ut jam nubere non poſſit, niſi promiſſâ dote ampliore, illud non minùs, ac damnum operarum ceſſantium, & impenſæ in curationem factæ æſtimari debet. Grot. §. *14.* Dn. Gletle *de delictis. Part. 2. cap. 4.* §. *5. num. 12.*

IX.

Adulter, & adultera, ſi proles ex adulterio ſuſcepta ſit, tenentur non tantùm indemnem præſtare maritum ab alendâ prole, ſed etiam aliis liberis legitimis damnum reſarcire, quod patiuntur in hæreditate propter concurſum prolis adulterinæ, modò morali certitudine conſtet, prolem ex adulterino congreſſu ſuſceptam eſſe, nam aliàs in favorem matrimonii proles non tantùm in foro externo, ſed etiam interno præſumitur legitima, & in poſſeſſione legitimitatis exiſtit, ſtuprator virginis tenetur vitiatam ducere, ſi promiſſione matrimonii uſum corporis impetraverit, ſi verò vi oppreſſerit, aut metu injuſto, vel dolo eandem citra promiſſionem matrimonii ad ſtuprum induxerit, tenetur eidem tantum rependere, quanti minoris ipſi valet ſpes nuptiarum. Grot. §. *15.* P. Haunold *cit. cap. 6. Contr. 7. num. 688. & ſeqq. & Contr. 8. num. 699. & ſeqq.*

X.

Fures, & raptores tenentur non tantùm rem ſubtractam reſtituere cum ſuo incremento naturali v. g. equam cum hinnulo, ſed etiam damnum emergens, & lucrum ceſſans reſarcire. Quòd ſi res non ampliùs extet, ſed vel conſumpta ſit, vel furis, & raptoris negligentiâ, vel caſu fortuito periêrit, æſtimationem reddere tenentur, ſed qualem? A. §. *16.* putat, mediam. At ego non video, cur non poſſit exigi pretium ſummum, ſeu rigoroſum; ſi enim is, qui ſponte rem ſuam vendit, pretium ſummum exigere poteſt, multò magis id exigere poterit ille, qui propter delictum alterius invitus

vitus re ſuâ carere cogitur. In hac claſſe ponendi ſunt & illi, qui legitima vectigalia defraudant, item qui judicio injuſto, accuſatione injuſtâ, teſtimonio injuſto alteri damnum intulerunt.

XI.

Qui alterum ad promittendum vel vi injuſtâ coegit, vel fraude induxit, tenetur eundem in integrum reſtituere, quò pertinent etiam illi, qui pro eo, quod ex officio facere tenebantur, extorſerunt pecuniam v. g. ſi judex noluit adminiſtrare juſtitiam, niſi ipſi ſolvantur centum floreni. At, qui ipſe cauſa eſt, quòd vim, aut metum fuerit paſſus v. g. ſi injuſtus aggreſſor ab eo, quem aggreſſus eſt, ſit vulneratus, vel ſi quis metu accuſationis propter commiſſum delictum aliquid promiſerit, is damnum, quod ſentit, ſibi ipſi imputare debet. Sed nec quod metu belli publici expreſſum eſt, jure Gentium repeti poteſt, quia talis metus hoc jure pro juſto habetur. Grot. §. *17.* cum duobus ſeqq.

XII.

Ex neglectu tenentur Reges, & Magiſtratus, ſi ad inhibenda latrocinia, & piraticam non adhibent ea, quæ poſſunt, ac debent, remedia. Ubi in facto quæſitum eſt, ſi populus aliquis maritimus, vel ejus Rectores tempore belli quibusdam poteſtatem dediſſent, prædas in mari ex hoſte agendi, nonnulli autem eorum contra expreſſam prohibitionem ipſis factam res amicorum rapuiſſent, & deſertâ patriâ mari vagarentur, ac licèt fuerint revocati, non tamen reverterentur, ad quid hoc caſu talis populus, vel ejus Rectores teneantur? Reſpondet A. §. *20.* eos in plus non teneri, quàm ut noxios, ſi reperiri poſſint, puniant, vel dedant, & in bona eorum, quæ adhuc in patria habent, jus reddant; nec obeſſe, quòd malorum hominum operâ ſint uſi, quo minùs enim etiam malorum operâ utamur, vitari non poſſe, aliàs nullus colligi poſſet exercitus, ſufficere, quòd expreſsè ipſis prohibitum fuerit, ne amicis noceant, nullam ergo culpam populo, aut ejus Rectoribus imputari poſſe, ſine culpâ autem jure naturæ, & Gentium neminem teneri. Ita ferè A. & rectè.

XIII.

Dubium eſt, utrùm ex jure naturæ naſcatur obligatio reparandi damnum ab animalibus noſtris citra noſtram culpam alteri illatum? Affirmat Vasquez *de Reſtit. cap. 2. §. 2.* quem ſequitur Vitriar. hic. *Quæſt. 17.* At contraria ſententia omninò tenenda eſt; quia non datur obligatio naturalis, quam dari vix ullus agnoſcit, ut enim lex naturæ obliget, debet eſſe ſufficienter promulgata, & per ſe nota, independenter à ſcholaſticis ſubtilitatibus alioquin tam parùm obligat lex poſitiva non ſufficienter promulgata; ad quid enim natura introduceret obligationem, quæ ob invincibilem ignorantiam ferè omnium eſſet otioſa, & ſine culpâ ignoraretur? Atqui vix ullum reperias, qui obligationem agnoſcat reparandi damnum ab animali ſine culpâ ſuâ illatum: ergo ſignum eſt, hanc obligationem juri naturæ incognitam eſſe. Non adverſatur, quòd dominus omnem utilitatem ex animali ſuo percipiat, ac proinde æquum ſit, ut etiam ejus nomine teneatur; nam hæc ratio plus non probat, quàm, quòd lex civilis, quæ imperat, ut damnum ab animali datum reparetur, non ſit injuſta, obligationem autem naturalem neutiquam evincit, quia ſpectato jure naturæ non datur obligatio reparandi damnum, ſine omni culpâ theologicâ illatum. Certè, ſi res noſtra inanimata ſine noſtrâ culpâ alteri damnum dederit, veluti ſi tegula de tecto ceciderit, & prætereuntem læſerit, nemo dixerit, me obligatum eſſe, ut damnum reparem: ergo nec obligatus eſſe poſſum, ſi res noſtra animata ſinè noſtrâ culpâ alteri damnum dederit, quid enim, quæſo, in propoſito intereſt, utrùm animal, vel tegula, aut navis vi tempeſtatis funibus abrupta alteri damnum dederit? Confer. poſt Grot. §. *21.* P. Haunold. *Tom. 1. tract. 2. cap. 2. Controv. 4. num. 176. & ſeqq.* & Dn. Gletle *in Aſſert. Jurid. Aſſert. 25.*

XIV.

Poteſt etiam damnum dari, & ſæpè datur adverſùs honorem, & famam, vel verberibus vel contumeliis, maledictis, calumniis, irriſu, aliiſque ſimilibus modis. Ubi non minùs, quàm in furto, aliiſque criminibus ſecerni debet vitioſitas actûs ab effectu. Vitioſitati actûs in ſtatu civili reſpondet pœna, in naturali vindicta, ef-

fectui autem damni reparatio, quæ variis fit modis, puta, culpæ confeſſio deprecatione, exhibitione ſpecialis honoris, teſtimonio innocentiæ &c. Poteſt etiam, ſi læſus velit, damnum honoris, & famæ pecuniâ reparari; quamvis enim honor, & fama non ſint ex illis bonis, quæ pecuniâ comparari poſſunt, quivis tamen honoris, & famæ ſuæ dominus eſt; ergo poteſt læſus, ſi velit, honorem, & famam ſuam pecuniâ æſtimare. Grot. §. *ult.*

XV.

Quòd ſi plures ad damnum concurrant, etiam omnes, & ſinguli ad reſtitutionem, vel totius, vel partis damni tenentur. Dicitur autem ad damnum concurrere omnis ille, qui reverà in ſuo genere in damnum influit, tametſi ipſo etiam non influente illud nihilominùs fuiſſet ſecutum, eòquòd ille, qui damnum dedit, vel ſolus dediſſet, vel alii concurriſſent; nam de ratione cauſæ non eſt, ut illâ non poſitâ non ponatur effectus, ſed tantùm, ut illâ poſitâ ponatur effectus, idem enim effectus per multas cauſas poni poteſt, & ſi alii concurriſſent illi eodem modo tenerentur.

XVI.

Fit autem concurſus vel per actum poſitivum, vel negativum, ſeu omiſſionem. Poſitivè ad damnum concurrit *primò* is, qui jubet, vel mandat modò juſſionem vel mandatum re integrâ non revocaverit, qui enim ſeriò revocat, non ampliùs influit in damnum ab altero poſtea datum, ac proinde nec ad ullam reſtitutionem tenetur. Sed nec ille influit, qui ſcelus ſuo nomine ab alio patratum ratihabet, atque adeò nec hic in foro conſcientiæ ad reparandum tenetur. *Secundò* poſitivè ad damnum concurrit, qui ſuo conſilio, hortatu, precibus, vel promiſſione alium ad damnum inferendum permovit; & quamvis conſilium re integrâ revocetur, vim tamen movendi non amittit, quia favorem illius, cui datur, pro fine habet, in quo differt à mandato, quod reſpicit favorem mandantis, ac proinde ſi ſeriò revocetur, vim ſuam movendi perdit. *Tertiò* ad damnum poſitivè concurrit, qui conſenſum impertitur, modò ab ejus conſenſu pendeat, ut res fiat, vel non fiat: Si autem ab ejus conſenſu non pendeat, vel quia nullam habet auctoritatem, vel quia numerus ſuffragio-

fragiorum ſufficiens jam irrevocabiliter adeſt, is, qui conſentit, non cenſetur eſſe cauſa damni, nec ad reſtitutionem tenetur. *Quartò* poſitivè ad damnum concurrit, qui alium vel laudando animat, vel probris, vituperiis & irriſione impellit, & movet ad damnum inferendum. *Quintò* qui recurſum præbet, modò ita præbeat, ut moraliter cenſeatur cooperari ad damnum, vel inferendum, vel illatum non reparandum, veluti ſi furem duntaxat, non etiam alios recipiat, vel inſtrumenta ejus occultet, aut rem furtivam ſciens in cuſtodiam ſuam recipiat, ut eandem furi ſervet. *Sextò* denique poſitivè ad damnum concurrit, qui injuſtæ operationis, quâ alteri damnum infertur, particeps eſt, talis eſt, qui rem furto ablatam ſciens vendit, qui inſtrumenta pro aperiendis januis ſciens ſubminiſtrat, qui ſcalas applicat, qui vigilias agit &c.

XVII.

Quicunque igitur uno, vel altero modo poſitivè ad damnum concurrit, is damnum illatum reparare tenetur, vel totum, ſi totius cauſa fuit, vel partem, ſi partis tantùm damni cauſam dedit, veluti, ſi furanti equum ſuaſerit, ut etiam ephipium, & frænum accipiat. Planè quo ad eum, qui damnum dantem adjuvat, intereſt, utrùm concurrat ad idem damnum individuum, v. g. ad eandem domum incendendam, vel effringendam, ad eundem gregem abigendum &c. vel non. Qui cooperatur ad idem damnum individuum, tenetur in ſolidum, etiamſi ſocius conſtituiſſet ſolus damnum inferre, quia eſt cauſa partialis totius damni, & in totum vim confert, licèt partialem. Si verò non concurrat ad idem damnum individuum, ſed diſtinctum irroget, veluti ſi plures citra tractatum prævium vineam ingreſſi ſint, & quilibet partem corruperit, hoc caſu quilibet pro ſuâ tantùm parte tenetur, ſive enim phyſicè, ſive moraliter res conſideretur, nullus cenſetur integrum damnum dediſſe, niſi fortè ſe invicem impuliſſent, vel animâſſent, tunc enim utique ſinguli in ſolidum tenerentur.

XVIII.

Negativè ad damnum concurrit *primò* mutus, quo nomine in propoſito intelligitur ille, qui vel præcipiendo, vel conſulendo,

vel clamando, & ſtrepitum faciendo ex officio poterat, & debebat impedire damnum, non tamen impedivit. *Secundò* qui omittet opem, & operam, quâ poterat & ex officio tenebatur damnum impedire. *Tertiò* qui ex officio tenebatur manifeſtare malefactorem, & non manifeſtat. Dixi, *ex officio*, ac proinde ex Juſtitiâ commutativâ, qui enim ex charitate tantùm damnum proximi impedire debet, & non impedit, is peccat quidem, non tamen tenetur damnum reparare, quia ſola violatio juſtitiæ commutativæ fundat obligationem reſtituendi.

XIX.

Tenentur autem ad reſtitutionem primo loco cauſæ poſitivæ, & ſecundo demum loco cauſæ negativæ, nam cauſa poſitiva eſt potior, & magìs influit in damnum, quàm cauſa negativa, ac per conſequens etiam priore loco obligatur ad reſtitutionem. Inter ipſas autem cauſas negativas per ſe loquendo non datur ordo, ſed in defectu cauſarum, poſitivarum omnes æquè immediatè tenentur.

XX.

Inter eos verò, qui poſitivè ad damnum concurrunt, primo loco ante cauſam moralem tenetur cauſà phyſica principalis, qualis eſt, quæ ſuo, non alieno nomine effectum operatur. Ratio eſt, quia cauſa phyſica principalis primariò, cauſa autem moralis v.g. ſuadens, vel conſulens tantùm ſecundariò concurrit. Planè ſi cauſa moralis cauſam phyſicam dolo, vel fraude induxiſſet ad damnum dandum, hoc caſu cauſa moralis primo loco teneretur, quia propter injuriam cauſæ phyſicæ illatam eandem indemnem præſtare debet. Cauſa autem inſtrumentalis, ſive ſit phyſica, ſive moralis, non tenetur, niſi in defectum cauſæ moralis principalis, cujus nomine, & authoritate operatur, talis cauſa moralis eſt is, qui mandat, vel minis cogit, aut imperio, & auctoritate impellit. Planè ſi res ablata apud cauſam inſtrumentalem exiſteret, vel ab eâdem fuiſſet conſumpta, hoc caſu ipſa æquè immediatè teneretur, ac cauſa principalis.

XXI.

Poſt cauſam inſtrumentalem tertiò denique loco tenentur reliquæ cauſæ acceſſoriæ, & ſecundariæ, & quidem æquè immediatè. Ratio eſt, quia una non operatur ad damnum, tanquam inſtrumentum alterius, vel alterius nomine, ſed quæque per ſe in ſuo ordine influit in damnum, nec enim e. g. laudans ſervit conſulenti, vel ejus nomine agit, nec vice verſâ conſulens ſervit laudanti, aut ejus nomine agit: ergo æquum eſt, ut ſi executor non reſtituat, omnes in ejus locum immediatè ſuccedant, & pro ratâ concurſûs ad reſtitutionem teneantur; quamvis enim plures cauſæ æquè immediatè concurrant, & ad reſtitutionem obligatæ ſint, ſæpè tamen una magìs influit, quàm altera, ac proinde etiam illa, quæ magìs influit, conferre tenetur.

XXII.

Quòd ſi plures ſint cauſæ damni æquè principales, vel æquè ſecundariæ, quæ æqualiter ad totum damnum contuliſſe videntur, tunc ſingulæ tenentur ad æquales portiones, quia eodem modo ſunt cooperatæ, in defectum autem cœterarum quævis tenetur in ſolidum, quia quævis cooperata eſt ad totum damnum, ita tamen, ut ſi una ſolidum reſtituerit, eidem cœteræ pro ſuis partibus teneantur, quia jus, quod damnum paſſus habebat à ſingulis exigendi partem, translatum eſt in eum, qui pro ſociis ſatisfecit.

XXIII.

Similiter, ſi cauſa ſecundo loco obligata reſtituat, obligatur cauſa primaria illi cauſæ ſecundæ refundere id, quod pro eâ ſolvit, perinde, ut debitor principalis obligatur fidejuſſori. Si verò cauſa primo loco obligata reſtituat, reliquæ ſecundo loco obligatæ ad nihil tenentur, quia tantùm tenentur in defectum cauſæ primæ. Atque hæc pro inſtituti noſtri ratione ad Grot. *à §. 6. usque ad 12.* dicta ſufficiant, plura qui deſiderat adeat Theologos, præſertim verò Leſs., qui hanc materiam fuſè admodùm pertractat. Conferatur etiam P. Haunold. *de J & J. Tom. 1. tract. 2 cap. 3. Contr. 7. per tot.*

CAPUT XVIII.

De Jure Legationum.

DIctum hactenus eſt de iis, quæ nobis debentur ex jure naturæ, tranſimus ad jus Gentium voluntarium, ex quo inprimis deſcendunt jura legationum, quæ latè explicavimus *in J. P. U. P. 4. cap. 4.* §. *1. & 2.* quò lectorem remittimus.

CAPUT XIX.

De Jure Sepulturæ.

SUMMARIA.

I. *Cur mos ſepeliendi mortuos primùm fuerit introductus?*

II. *Sepultura debetur jure Gentium etiam inimicis, & hoſtibus.*

III. *Utrùm etiam debeatur propricidis?*

IV. *Utrùm propter negatam ſepulturam juſtè bellum ſuſcipi poſſit?*

I.

DEinde ex jure Gentium deſcendit etiam jus ſepulturæ. Quæ autem ratio fuerit, cur mos ſepeliendi mortuos primùm fuerit introductus non ſatis conſtat. Sunt, qui exiſtimant, occaſionem datam ex giganteâ feritate comedendi homines, cujus abolitæ ſignum eſſe ſepulturam. At conſtat, Adamum, primóſque homines ſepultos fuiſſe, antequam gigantes exiſterent. Alii mori ſepeliendi homines cauſam dediſſe putant verba, quæ habentur Geneſ. *cap. 3.* ubi Deus ad Adamum poſt commiſſum peccatum originale dixit: *in ſudore vultûs tui veſcêris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es,* quod per traditionem ab Adamo ad poſteros translatum fuiſſe credibile eſt. alii hoc veluti monumento ſpem reſurrectionis à primis humani generis parentibus poſteris conſignatam eſſe arbitrantur, ut non tam mortui, quàm interim tantùm dormire credantur. Alii ſepulturam inventam eſſe dicunt, ut removeatur fætor ex cadaveribus proveniens. Alii cauſam introductæ

troductæ conſuetudinis ſepeliendi mortuos in eo ponunt, quòd indignum viſum fuerit, corpus humanum, quod animæ rationalis ad imaginem Dei conditæ domicilium fuit, avibus, & quadrupedibus in eſcam cedere. At cur non etiam indignum viſum fuit, ut vermibus in eſcam cedat? Alii denique hanc rationem aſſignant, quòd contra dignitatem naturæ humanæ ſit, corpora defunctorum temerè abjicere, & paſſim injuriis, ac contumeliis inferendis, aut irriſioni exponere. Hinc officium ſepeliendi non tam homini, ſeu perſonæ, quàm potiùs humanitati, ſeu naturæ humanæ præſtari dicitur. Grot. §. *1. & 2.* & ibi Teſmor.

II.

Sepultura igitur nec inimicis, nec hoſtibus publicis invideri debet. Exempla, quæ exſtant in contrarium, communi judicio damnata ſunt. Sed nec facinoroſi ſepulturâ ſunt privandi. Ipſa ſanè lex divina olim Hebræis data patibulo ſuſpenſos eodem die ſepeliri jubet. *Deuteron. cap. 21. verſ. 23.* quam etiam legem Judæi ſemper exactiſſimè ſervârunt, & corpora eorum, qui ultimo ſupplicio affecti fuerant, ante ſolis occaſum humo mandárunt. Idem pleræque gentes fecerunt, & quidem apud Romanos corpora damnatorum, & morte punitorum non tantùm ipſorum cognatis, ſed & aliis quibusvis petentibus ad ſepulturam concedebantur. *lib. 1. & 3. ff. de Cadaver. punit.* Non tamen propterea damnandus eſt mos, vi cujus cadavera vel patibulo ſuſpenſa, vel rotæ implexa, aut palo ſuffixa ad terrorem aliorum inſepulta relinquuntur, nam ejusmodi exempla publica expoſcit utilitas. Nec adverſatur lex divina Hebræis data, quia non eſt moralis, ac proinde Chriſtianos haud obligat. A. §. *4.*

III.

Planè illos, qui vel ex conſcientiâ criminis, vel ex deſperatione ſibi ipſis mortem conſciverunt, multi ſepulturâ indignos eſſe arbitrantur, eò quòd in eos, qui mortem pro ſupplicio non habent, non poſſit aliud ſupplicium conſtitui. Solent tamen & hi, ſed brutorum inſtar à carnifice tumulari, nec enim aliam merentur ſepulturam, quàm aſininam, cùm mortem ſibi directè inferre graviſſimum

mum crimen ſit omni jure prohibitum. Memorant quidem hiſtoriæ, multas ſanctarum Virginum, ne tormentis adactæ Chriſti religionem ejurarent, vel pudicitiam amitterent, ultrò vel in rogum ardentem, non exſpectatâ judicis ſententiâ, ut S. Apollonia, vel in flumen ſe præcipitâſſe. At hoc fecerunt ex Divinâ inſpiratione. Si autem juſta, & gravis ſubſit cauſa, aliquid facere, vel omittere, ex quo mors tantùm indirectè, & per accidens ſecutura eſt, prohibitum non eſt, quia vetitum non eſt, ne homo vitam ſuam unquam periculo exponat, ſed tantùm, ne exponat absque juſtâ, & gravi cauſâ, aliàs non liceret cum periculo vitæ ſuffodere turres, & mœnia. Unde meritò Sambſon excuſatur à peccato, quia non intendebat ſe directè occidere, ſed tantùm blaſphematores Divini Nominis, qui ejus capturam idolis ſuis adſcribebant, & ea propterea laudabant, ac Sambſonem deludebant, & irriſui habebant; non poterat autem hoſce idololatras interficere, niſi ſe ipſum certiſſimo periculo mortis exponeret. Accedit, quòd Sambſon Columnas concuſſerit ex inſtinctu, & voluntate Divina, quem cùm invocâſſet, ad vindicandum honorem Divinum, eidem reddita eſt priſtina fortitudo. Vid. *Jud. cap. 16.* & ibi Lyran. Unde perperam nonnulli Hebræorum ex hoc collegerunt, quòd toties liceat ſe ipſum occidere, quoties quis videt, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei; nam primò Deo facile eſt, modis nobis incognitis probrum ſuum avertere. Deinde tametſi certò præviderí poſſit, nos impoſterum in probrum Dei victuros eſſe, non tamen propterea præſumi poteſt, aut debet, quòd Deus nobis facultatem det vitam abrumpendi, quia evidens foret periculum, ne ſæpè homo ſe ipſum occideret, putans ſubeſſe hanc cauſam, quæ tamen revera non ſubeſt; & malè omninò ad hoc probandum adducitur exemplum Saulis, qui gladio incubuit; falſum enim eſt, eundem reſipuiſſe, poſtquam Samuelis umbra eidem mortem prædixerat, contrarium enim colligitur *ex lib. 1. Paralipom. cap. 10. in fin.* licèt Hebræi hunc locum aliter interpretentur, ut videre eſt apud Lyran. *1. Reg. cap. 31.* Quid de factò Raziæ. *2. Machab. cap. 14.* judicandum ſit, aliis relinquo. Vid. Grot. §. *5.*

IV.

Cœterùm apud Græcos Sacrilegi, apud Athenienſes proditores patriæ ſepulturâ carebant. Quamvis autem veteres ob negatam ſepulturam juſtè bellum ſuſcipi poſſe putaverint, vix tamen aliter hoc admitti poteſt, quàm ſi exinde gravis contumelia in ipſam redundet Rempublicam. Sunt quidem adhuc plura, quæ nobis ex jure Gentium debentur, veluti libertas commerciorum, jus pignorationum, ne arma veneno inficiantur, & ſimilia, de quibus tamen partim alibi diximus, partim ſuo loco dicemus.

CAPUT XX.

De Pœnis.

SUMMARIA.

I. *Actus punitionis pro diverſitate motivi ad varias virtutes reduci poteſt.*

II. *Jus puniendi ei ſoli competit, qui publicam habet poteſtatem in delinquentem.*

III. *Is, quis punit, honeſtum finem intendere debet.*

I.

COnſideravimus hactenus facta, ut reparari poſſunt, ſupereſt, ut jam conſideremus ea, quatenus poſſunt puniri, aut vindicari, quam materiam fuſè explicavimus *in J. P. U. Part. 3. cap. 1. §. 2.* Unde impræſentiarum illa duntaxat tangemus, de quibus ibidem nihil diximus; & primò quidem A. §. 2. proponit dubium, utrùm actus punitionis referendus ſit ad juſtitiam commutativam, vel diſtributivam? Ubi rectè quidem refutat eos, qui punitionem referunt ad juſtitiam diſtributivam, quippe, quæ in bonis tantùm communibus inter membra communitatis diſtribuendis, habitâ ratione majoris, vel minoris dignitatis, occupata eſt. At propterea non ſtatim ſequitur, eam referendam eſſe ad Juſtitiam commutativam; poteſt enim actus punitionis ex diverſis motivis procedere,

cedere, & ideo etiam ad diverſas virtutes referri poteſt, & debet; nam ſi Judex delinquentem ideo puniat, ut eum emendet, vel, ut alii hoc exemplo à ſimilibus delictis perpetrandis abſterreantur, tunc is exercet actum charitatis proximi; ſi ideo, ut tanquam pars Reipublicæ hac ratione conſulat bono publico, & tranquillitati Communitatis, exercet actum juſtitiæ legalis, ſi ideo, ut conſulat bono patriæ, exercet actum pietatis in patriam, ſi ideo, quia leges id præcipiunt, exercet actum obedientiæ, ſi ideo, quia ratione officii, quod gerit, hoc debet Reipublicæ, exercet actum juſtitiæ commutativæ, ſi denique ideo, quia per ſe decens eſt, malefactorem puniri, & pœna per ſe congruit delicto, ſicut laus, & prœmium virtuti, ac honeſto, idque, ut rectus ordo ſervetur, & quod extra ordinem prolapſum eſt, ad ordinem revocetur, exercet actum juſtitiæ vindicativæ. Unde patet, eam eſſe virtutem ſpecialem diſtinctam ab omni aliâ virtute, quia habet motivum ſpeciale, & diſtinctum à motivis omnium aliarum virtutum, nulla enim alia virtus reſpicit honeſtatem illam, quæ eſt in æqualitate pœnæ cum delicto, ne hoc maneat impunitum, ſed recipiat id, quod ipſi quodammodo debetur, hinc per exceſſum opponitur huic virtuti crudelitas, per defectum verò nimia remiſſio, ſeu conniventia. Planè quamvis Juſtitia vindicativa ſit virtus ſpecialis, non tamen habet veram & propriè dictam naturam juſtitiæ, quia non reſpicit jus alterius, cùm reus criminis non habeat jus ad pœnam, ſed neceſſitate potiùs diſtringatur ejus ſuſtinendæ. Confer poſt Leſs. Clariſſ. Dn. P. Seybold. *Dicæomach. Part. 1. ſect. 5. §. 4. num. 7. & 8.*

II.

Jus puniendi ei ſoli competit, qui publicam habet poteſtatem in delinquentem. Poſſunt quidem etiam parentes liberos, & domini ſervos ſuos coërcere, ſi delinquant. Verùm de ejusmodi coërcitionibus privatis nobis in propoſito ſermo haud eſt. Diverſæ opinionis eſt *A.* qui §. 3. putat, conveniens quidem, non autem neceſſarium eſſe, ut delinquens puniatur à ſuperiore, niſi vox *ſuperioris* eo ſumatur ſenſu, ut is, qui malè egit, hoc ipſo ſe quovis alio inferiorem feciſſe, & quaſi ex hominum cenſu in cenſum beſtiarum, quæ homini ſubjacent, detruſiſſe videatur. Unde

conſe-

conſequens eſſe ait, ut ſaltem nocens ab æquè nocente non debeat puniri. At multùm is fallitur, velut *in J. P. U. cit.* §. 2. *num.* 7. oſtendimus. Et quamvis valdè indecorum ſit, & reverentiam Magiſtratibus, ac legibus debitam nimiùm, quantùm imminuat, ſi exactor juſtitiæ iisdem vitiis, quæ in aliis vindicatum it, obnoxius exiſtat; qui enim in aliis punit, quod ipſe committit, non tam iraſci vitiis, quàm eorum dulcedinem aliis invidere videtur, non tamen hoc ipſo is amittit poteſtatem publicam, ac proinde nocentem rectè punit. Puffendorf. *de J. N. & G. lib.* 8. *cap.* 3. §. 7.

III.

Debet autem is, qui punit, honeſtum finem reſpicere, qui duplex eſt, intrinſecus, & extrinſecus. Intrinſecus conſiſtit in eo, ut rectus ordo conſervetur, & quod extra ordinem prolapſum eſt, ad ordinem revocetur. Hunc finem reſpiciunt pœnæ, quas Deus peccatoribus poſt hanc vitam infligit. Extrinſecus verò ſtat in utilitate vel ipſius delinquentis, ut is emendetur, vel læſi, ut ne is poſthac tale quid patiatur, ſive ab eodem, ſive ab aliis, vel denique omnium, ut ne is, qui unum læſit, alios quoque lædat, neque alii impunitate illecti aliis quibusvis noceant. Qui igitur in ſolo ejus, qui punitur malo, quà tali, acquieſcit, contra charitatem peccat, & non actum juſtitiæ vindicativæ, ſed odii exercet. Vid. *J. P. U. cit.* §. 2. *num.* 19. & 20. Cœtera, quæ A. hoc *cap.* habet, prætereo, quia vel alibi jam fuerunt explicata, aut refutata, vel quia non magni ſunt momenti, & facilè ex alibi dictis refutari poſſunt. Ea autem, quæ à § 45. annectit, ad cathedram pertinent Theologicam.

CAPUT XXI.

De Pœnarum Communicatione.

SUMMARIA.

I. *Quomodo Rectores patientiâ ſe delicti alieni participes reddant?*
II. *Quomodo teneantur ex receptu?*

 III. Ci-

III. *Civitatis Rector electionem habet, utrùm nocentem dedere, vel punire malit.*

IV. *Quomodo ſubditi participes fiant delicti à Rectoribus commiſſi?*

V. *Quomodo differat pœna, quâ Univerſitas quà talis, & quâ ſinguli plectuntur?*

I.

Communicatio pœnæ profluit ex communitate delicti, qui enim particeps eſt delicti, etiam particeps eſt pœnæ. Sunt autem multi modi, quibus aliquis in partem delicti venit, quos ſuprà *cap. 17.* explicavimus. Ex illis autem, quibus in ſpecie Rectores aliorum participes fiunt delicti à ſubditis commiſſi, duo ſunt, qui maximum uſum habent, & conſideratione digni ſunt, ſcilicet patientia & receptus. Patientiâ ſe alieni delicti participem reddit ille, qui ſcit à ſubdito delinqui, nec tamen prohibet, cùm prohibere poſſet. Scire præſumitur, ſi ea, quæ à ſubditis fiunt, per ſe conſpicua, aut frequentia ſint. Non ſufficit autem ſola ſcientia, ſed inſuper requiritur, ut aliquis etiam prohibere poſſit, nec tamen prohibeat, nulla enim culpa imputari poteſt illi, qui quidem ſcit, prohibere autem non poteſt. Præſumitur autem, quòd ſuperior prohibere poſſit, niſi contrarium oſtendi queat, aut per ſe appareat. Grot. §. *1. & 2.*

II.

Ex receptu tenetur Civitas, vel ejus Rector, ut nocentem, ſi eapropter interpelletur, vel puniat, vel dedat, ſeu arbitrio interpellantis permittat, ſive nocens ſit ipſius ſubditus perpetuus, ſive temporarius, eò quod poſt commiſſum delictum ad eum confugerit. Neutrum ſi fecerit, delictum alienum probare videtur, & ab eo, qui delicto læſus eſt, bello vindicativo peti poteſt; qui enim læſus non eſt, jus vindicandi non habet, niſi volente læſo, quo caſu non proprio, ſed alterius nomine vindictam ſumit. Unde fallitur A. dum *in* §. *3. num. 2.* ſcribit, ita Civitatibus aliis earùmve Rectoribus jus eſſe, perſequi delicta, quæ ad ſocietatem humanam aliquo modo pertinent, ſicut in civitatibus de quibusdam delictis datur ſingulis actio popularis. At quanta, quæſo, in genere humano orietur confuſio, ſi quiſque delictum, etiamſi eo læſus non eſſet, punire,

nire, aut vindicare poſſet, nemo ampliùs ab altero ſecurus foret, perpetuis bellorum flammis arderet orbis, & cædes cædibus cumularentur, ac proinde in talem licentiam homines neutiquam conſenſiſſent, ſi in ſtatu meræ poſſibilitatis poſiti ab auctore naturæ fuiſſent conſulti, ut deſuper ferrent ſuffragium. Sed & in eo fallitur A. quòd putet, civitatem delicto læſam pœnæ, aut veriùs vindictæ expetendæ cauſâ (nam inter eos, qui vivunt in ſtatu naturali, pœna locum non habet, armatam fines alterius civitatis, apud quam nocens degit, intrare poſſe; nam ut vindicta juſta ſit, non ſufficit, eum, qui vindictam ſumit, jus vindicandi habere, ſed inſuper requiritur, ut etiam juſtum ordinem ſervet, qui conſiſtit in eo, ut ſi is, qui injuriam intulit, imperio civili, vel familiari ſubjectus ſit, querela primùm deferatur ad eum, cui ſubjectus eſt, & ſi hic jus non reddendo ſe alieni delicti participem fecerit, tunc demùm ad bellum vindicativum decurratur; quamvis enim in ſtatu naturali quivis juris ſui executor ſit, hoc tamen non aliter procedere videtur, quàm ſi aliâ viâ ſuum non poſſit obtinere.

III.

Habet autem populus, aut Rex, apud quem nocens degit, electionem, utrùm eundem dedere, vel punire malit, quamvis interdum, ut cumulatiùs ſatisfiat, ipſis ſontes depoſcentibus optio data legatur. Ita Ceritum legati, cùm agreſtium quidam Tarquinienſibus agrum circa Romanas ſalinas depopulantibus ſe comites adjunxiſſent, dixêre Romanis, *eos, ſeu dedi placeat, dedere ſe paratos eſſe, ſeu ſupplicio affici, daturos pœnas*, ut refert Liv. *lib. 7. cap. 20.* Nemo tamen dedendus eſt, niſi nocens eſſe compertus ſit, & ideo ſi de hoc non ſatis conſtet, cauſæ cognitio præmittenda erit: poſſet enim innocenti crimen eum in finem affingi, ut deditione factâ vindicta in illum exerceri valeat. Quòd ſi factum jure naturæ, aut Gentium prohibitum non ſit, utrùm illud in crimen incidat, vel non ex jure civili illius populi, unde quis venit, æſtimari debet. Planè aliquando eos, qui poſt commiſſum delictum in alienum territorium profugerunt, nec deditos, nec punitos, ſed finibus tantùm excedere juſſos fuiſſe legimus. Sic Perſeus Rex Macedonum apud Liv. *lib. 42. cap. 41.* Martio reſpondit, *ſe illos, qui Eumeni inſidiati dicebantur,*

ut primùm in Macedoniâ eſſe à Romanis admonitus comperiſſet, requiſitos ex regno abire juſſiſſe, & in perpetuum finibus ſuis interdixiſſe. Cœterùm jus hoc depoſcendi ad pœnas profugos poſt commiſſum delictum in plerisque Europæ partibus circa ea demum crimina uſurpatur, quæ ſtatum publicum tangunt, aut quæ eximiam habent facinoris atrocitatem, minora autem ſolent mutuâ diſſimulatione transmitti, niſi fœderis legibus propiùs quiddam convenerit. Vid. Grot. §. *4. cum duobus ſeqq.*

IV.

Quemadmodum autem Rectores ſe participes reddere poſſunt delictorum, quæ ſubditi committunt, ita vice verſâ etiam ſubditi in partem delictorum, quæ Rectores committunt, venire poſſunt, quod fit, ſi vel in crimen conſenſerint, vel ſi quid fecerint ex Rectorum imperio, aut ſuaſu, quod facere ſine facinore non poterant. Eodem modo etiam inter communitatem, & membra communitatis delictum communicari poteſt, ſi ſcilicet in delictum univerſitatis conſenſerint, qui autem non conſenſerunt, extra culpam ſunt, ac proinde nec puniri poſſunt in iis, quæ ipſorum propria ſunt. Hinc Alexander, cùm captis Thebis omnes Thebanos ſub coronâ vendidiſſet, illis libertatem reliquit, qui decreto circa exuendam Macedonum ſocietatem contradixerant, ut Plutarchus refert; certum enim eſt, neminem verè innocentem propter delictum alienum puniri poſſe, quamvis effectus pœnæ etiam ad innocentes pertingere poſ-

P. 3. c. 1. §. 2. n. 8. & 9. ſit, velut pluribus in J. P. U. fuit explicatum.

V.

Aliâ autem pœnâ afficitur univerſitas quà talis, aliâ ſinguli; nam ſingulorum pœna interdum eſt mors, cujus vicem in univerſitate ſuſtinet, ſi corpus univerſitatis diſſolvatur. Atque hoc modo ſi civitas eſſe deſinat, uſumfructum ei relictum velit morte finiri dixit. JCtus *in l. 21. ff. Quibusmod. uſufruct. vel uſ. amitt.* Deinde ſinguli quandoque pœnæ nomine in ſervitutem abſtrahuntur, univerſitas autem, quæ antea ſui juris erat, ſummo exuitur imperio, & in provinciam redacta ſervitutem civilem ſubit. Denique ſingulorum bona interdum confiſcantur, univerſitati autem

adimi

adimi ſolent ea, quæ ad illam quà talem pertinent, puta privilegia, arma, naves bellicæ &c. Grot. §. 7. Utrùm autem pœna ob delictum univerſitatis ſemper exigi poſſit, ſimiliter *cit.* §. 2. *num.* 13. *in J. P. U.* diſcuſſum fuit. Illud ſolùm adhuc addimus, nos in hoc *cap.* vocabulum *pœna* latiùs ſumpſiſſe, ut & vindictam comprehendat.

CAPUT XXII.

De Cauſis Injuſtis.

SUMMARIA.

I. *Qui nec cauſas juſtificas, nec ſuaſorias habent, feris beſtiis ſimiles ſunt.*

II. *Qui juſtam bellandi cauſam, perverſam autem intentionem habet, non tenetur ad reſtitutionem.*

I.

DIximus initio hujus libri cauſas bellorum alias eſſe juſtificas, alias ſuaſorias. Qui neutro cauſarum genere feruntur in bella, periculorum propter ipſa avidi, non homines ſed feræ ſunt, qui verò ſuaſorias habent, non autem juſtificas, prædones ſunt, & latrones, velut Alexandro magno recte Scythæ objecerunt. Solent quidem plerique, qui bellum inferunt, cauſas quasdam quaſi juſtificas proferre, quæ tamen ſæpè nonniſi vani ſunt prætextus, & figmenta, aut ſaltem ad rectam rationem expenſæ injuſtæ deprehenduntur, veluti ſunt metus ex creſcente vicini potentiâ, negatum matrimonium, ubi laxa eſt matrimoniorum copia, mutandæ ſedis amor titulus inventionis &c. de quibus egimus *in J. P. U. Part.* 4. *cap.* 1. §. 1. *a. num.* 6.

II.

Sæpè accidit, ut bello quidem juſta ſubſit cauſa, actioni tamen vitium accedat ex perverſâ intentione agentis, v. g. ſi is ambitioni ſuæ, vel inveterato odio velit ſatisfacere, quo caſu is quidem peccat, non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi intra juſtum lædendi,

aut

aut res hoſtiles rapiendi modum conſiſtat, quia non violat jus alterius. Grot. §. *ult.* Clariſſ. Dn. P. Seybold. *Dicæomach. Part. 3. ſect. 4. §. 10. num. 2.*

CAPUT XXIII.
De cauſis dubiis.

SUMMARIA.

I. *Quid, & quotuplex ſit dubium?*
II. *Quid, & quotuplex ſit opinio?*
III. *In bello ſaltem offenſivo non licet ſequi ſententiam probabilem rejectâ probabiliore.*
IV. *Referuntur modi, quibus vitari poſſit bellum.*

I.

IN moralibus non ſemper habetur certitudo, ſed intellectus ſæpè inter duo extrema fluctuat, ita, ut ob defectum ſufficientis motivi neutri parti aſſenſum præſtet, ſive deinde hæſitet in eo, utrùm hoc, vel illud jure permiſſum ſit, vel prohibitum, ſive hæſitet in facto v. g. utrùm res, quam alter poſſidet, ad ſe pertineat, quæ fluctuatio dubium vocatur; eſtque vel ſpeculativum, vel practicum. Speculativum dicitur, quod directè non verſatur circa honeſtatem humanæ operationis, practicum verò, quod directè circa honeſtatem humanæ operationis verſatur. Cum dubio ſpeculativo licet operari, ſi in practicum non tranſeat, quia cum hoc dubio ſtat dictamen ſaltem moraliter certum de honeſtate humanæ operationis, licèt enim ſpeculativè dubitem, an res, quam poſſideo, ſit mea, poſſum tamen practicè me reſolvere, quòd eandem mihi liceat retinere, quia jura in dubio volunt, meliorem eſſe conditionem poſſidentis. Cum dubio practico autem nunquam licet operari, ſi non deponatur, nam ut operatio honeſta ſit, præcedere debet dictamen practicum ſaltem moraliter certum de honeſtate operationis. Atqui ſtante Dubio practico implicat tale dictamen, quia evidenter repugnat, me dubitare de honeſtate operationis, ac ſimul formare judicium ſaltem moraliter certum de honeſtate ope-

rationis:

rationis: ergo &c. Planè ſi ex duobus unum neceſſariò ſit eligendum, de utroque autem dubitetur, utrùm licitum ſit, vel illicitum, in tali perplexitate licebit hoc, vel illud eligere, ſi paria eſſe videantur, ſi autem unum videatur eſſe magìs illicitum, quàm alterum, eligendum eſt minus, quia hoc in talibus circumſtantiis induit rationem boni. Grot. §. *2. num. 2.*

II.

Quòd ſi intellectus poſt examen non ampliùs in medio hæreat, ſed uni contradictionis parti, cum formidine tamen oppoſiti, aſſenſum præſtet, eſt, & dicitur opinio, eáque vel probabilis eſt, vel non probabilis, vel denique improbabilis. Probabilis porrò vel eſt ab intrinſeco talis, vel ab extrinſeco. Ab intrinſeco probabilis dicitur, quæ nititur motivo gravi, & prudenti, tali nimirum, quo vir cordatus, & prudens moveri poſſit ad aſſenſum non obſtantibus motivis, quæ de facto occurrunt in contrarium. Probabilitas autem extrinſeca deſumitur ab auctoritate. Non probabilis appellatur, quæ licèt falſi ſpeciem apertè non præſeferat, nullo tamen, aut levi fundamento nititur. Improbabilis denique vocatur, quæ colorem veri quidem habet, impingit tamen in principium certum.

III.

Quamvis autem per ſe loquendo quævis opinio certò probabilis fundet dictamen ſaltem moraliter certum de honeſtate operationis, tametſi ſententia contraria videatur eſſe probabilior, hoc tamen in bello ſaltem offenſivo non procedit, ſed neceſſe eſt, ut certus ſis rem, quam alter poſſidet, ad te pertinere, vel ſi non exiſtat in poſſeſſione, aut ſaltem te contradicente vacuam occupaverit poſſeſſionem, requiritur, ut cauſa tua, diſcuſſis, & perpenſis omnibus, videatur tibi probabilior, quàm partis adverſæ. Sed & ſi quis certus foret, ſe habere juſtam cauſam, ſufficientia tamen documenta non haberet, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis poſſet convincere, is bellum licitè inferre haud poſſet, quia non habet jus cogendi alterum, ut de poſſeſſione ſuâ decedat. Vid. *J. P. U. ſuprà cit. Part. 4. cap. 1.* §. *2. num. 5.* adde Grot. §. *11.*

IV.

De modis, quibus vitari poteſt, ne controverſiæ in bellum erumpant, veluti ſunt colloquium, compromiſſum, & ſors, cui
P. 4. c. 1. affine eſt ſingulare certamen, egimus in J. P. U. ubi ſimul oſten-
§. 6. per tot. & §. 1. n. 15. dimus, non poſſe quidem dari bellum utrinque juſtum, poſſe tamen fieri, ut neuter bellantium injuſtè agat, nam ut quis injuſtè agat, neceſſe eſt, ut etiam ſciat, id, quod agit injuſtum eſſe, multi autem id ignorant.

CAPUT XXIV.

De non temerè etiam ex juſtis cauſis ſuſcipiendo bello.

SUMMARIA.

I. *Ad bellum decurrendum non eſt, niſi gravis ſubſit cauſa.*

II. *Antequam ad bellum decurratur, duo in deliberationem veniunt.*

I.

MUlta ſanè ſunt, quæ à bello inferendo abſtrahere debent; *ſæva* enim res eſt bellum, & innumera ſecum mala trahit, quibus non tantùm nocentes, ſed potiſſimùm innocentes involvuntur, *in pace*, inquit Tacit. *lib. 1. Annal. cap. 48. cauſa, & merita ſpectantur, ubi bellum ingruit, innocentes, ac noxii juxta cadunt:* niſi ergò gravis ſubſit cauſa, abſtinendum eſt bello, quippe quod à juſtis non ſumitur, niſi neceſſariò, ab injuſtis ſpontè, *belligerare enim*, ut loquitur S. Auguſtinus *lib. 4. de Civit. Dei. cap. 15. malis quidem videtur felicitas, bonis autem neceſſitas.* Deinde facilè quidem ſuſcipitur bellum, ſed ægerrimè deſinit, nec in cujus poteſtate eſt initium, etiam eſt finis. Præterea anceps ſemper eſt alea belli, tametſi prælio viceris, non hoc ipſo viciſti bello, ſæpè quem fortuna initio belli extulit, poſtea depreſſit, & lætum initium triſtis excepit finis; & quamvis fortè validior ſis altero, non tamen tutò victoriam tibi promittere potes, ſæpè parva manus magnum fudit exercitum, non enim à multitudine militum, ſed à Deo pendet victoria, quem tibi faven-

faventem ſperare nequis, ſi temerè ad bellum proruperis, præſertim ſi Machiavellicis inſuper utaris fraudibus, odit enim Deus hoc genus hominum. Maximè autem ad bellum vindicativum non facilè decurrendum eſt, niſi enim injuria ſit gravis, & formalis, atque de hac certò conſtet, bellum vindicativum juſtum haud eſt. At rarò hæc concurrunt; ſæpè putatur eſſe injuria, ubi injuria non eſt, & quod eſt parvum, videtur eſſe magnum. Certè ut tota Respublica periculoſo involvatur bello propter ſolam vindictam, hoc non congruit officio Rectoris, multò minùs congruit officio Regis Chriſtiani maculam regiæ purpuræ non tam alienâ, quàm propriâ potiùs culpâ aſperſam effuſo tot hominum cruore velle delere. Maturâ igitur deliberatione opus eſt, antequam ad bellum decurratur.

II.

Duo autem ſunt, quæ in propoſito in deliberationem veniunt. Primum eſt, utrùm juſta ſubſit bellandi cauſa? Alterum utrùm majus ex bello emolumentum ſperandum, vel damnum ſit metuendum? Qui juſtam quidem bellandi cauſam, nullam autem boni exitûs ſpem habet, contra prudentiam, & officium Rectoris peccat, ſi bellum inferat, qui verò magnum ex bello emolumentum ſperat, nullam autem juſtam bellandi cauſam habet, contra juſtitiam peccat; utrumque grande peccatum eſt. Exacto igitur, & ſæpiùs repetito examine utrumque indiget. In primo conſulendi ſunt Theologi, & JCti, in altero Politici, in neutro Machiavelliſtæ. A. §. 5. iis, qui deliberant, in genere tres præſcribit regulas. *Prima* eſt, ſi res, de qua agitur, morali æſtimatione æqualem videatur habere efficaciam ad bonum, & ad malum, ita demum eligenda eſt, ſi bonum aliquantò plùs habeat boni, quàm malum mali. *Altera*, ſi videatur eſſe æquale bonum, & malum, quod à re, de qua quæritur, poſſit procedere, ita demum ea res eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum quàm ad malum major ſit. *Tertia*, ſi videatur & bonum & malum eſſe inæquale, nec minùs inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda eſt, ſi efficacia ad bonum major ſit collata efficaciæ ad malum, quàm ipſum malum eſt collatum bono, aut ſi bonum ſit majus comparatione mali, quàm efficacia ad malum comparata ad bonum. Ita Grot.

CAPUT XXV.

De cauſis belli pro aliis ſuſcipiendi.

SUMMARIA.

I. *Pro quibus bella ſuſcipi poſſint?*

II. *Utrùm aliquis teneatur proximum defendere cum cæde injuſti aggreſſoris?*

III. *Improbi ſunt, qui alicui militare volunt, ſive is juſtam, ſive injuſtam habeat bellandi cauſam.*

I.

QUæ cauſæ juſtæ ſunt illi, cujus res agitur, eædem etiam juſtæ ſunt iis, qui aliis opem ferunt. Poſſunt autem bella ſuſcipi primò pro ſubditis, ſive illi familiari, ſive civili imperio ſubſint, quia ſunt quaſi pars Rectoris. Secundò pro fœderatis. Tertiò pro amicis. Quartò denique pro quibusve hominibus, velut latiùs tractatum eſt *in J. P. U. cit. cap. 1.* §. *3. à num. 6.*

II.

Dubium eſt, utrùm aliquis teneatur alterum defendere, ſi is defendi non poſſit, niſi cum cæde injuſti aggreſſoris. Quod rectè quidem negat. A. §. *7. num. 2.* At ratio, quam is adducit, falſa eſſe videtur, ait enim, cùm is, qui invaditur, poſſit vitam invaſoris ſuæ præferre, credendum eſſe, invaſum hoc malle, quàm ut invaſor occidatur, præſertim cùm ex parte invaſoris majus ſit periculum damni irreparabilis, & ſempiterni. At etiam invaſus, niſi ſit in ſtatu gratiæ, in eo periculo verſatur. Deinde ut rectè Hennigeſ. advertit, longè firmior eſt præſumptio, quòd ſub manu latronis conſtitutus etiam cum cæde ejusdem velit evadere, & ad hoc omnium opem cenſeatur implorare. Ratio ergo illa eſt, quam reddit Leſſius *de J. & J. lib. 2. cap. 9. Dubit. 13. num. 92.* ſcilicet, quod ſi mala ſint paria, nemo teneatur alterum inferre, ut excludat alterum, præſertim cùm illud fieri nequeat, niſi horrendo modo occiſionis proximi. Certè nemo tenetur defendere vitam ſuam, ſi pri-

ſi privatus ſit per mortem alterius: ergo nec tenetur defendere vitam proximi per mortem alterius.

III.

Quamvis autem in J. P. U. dixerim, nequidem extraneos, ſi P. 4. c. 1.
poſt cœptum bellum nomen militiæ dare velint, ad examinandam §. 3. num.
belli juſtitiam obligatos eſſe, improbi tamen ſunt, qui ita ſunt con- 23.
ſtituti, ut alicui militare velint, ſive is juſtum gerat bellum, ſive injuſtum. Deinde tametſi militanti ſtipendium accipere haud dubiè licitum ſit, *quis enim*, inquit, Doctor gentium *1. ad Corinth. 9. verſ. 7. unquam militat ſuis impenſis?* Non immeritò tamen culpantur illi, qui ideo præciſè militant, ut ſtipendium accipiant, & quaſi bellum eſſet inter artificia, ex eo quæſtum faciant. Grot. §. *penult. & ult.*

CAPUT XXVI.

De cauſis juſtis, ut bellum geratur ab iis, qui ſub alieno imperio ſunt.

SUMMARIA.

I. *Utrùm ſubditi, ſi de juſtitiâ belli dubitent, abſque ulteriori inquiſitione militare poſſint?*

II. *Etiam in bello injuſto ſubditorum juſta defenſio eſſe poteſt.*

I.

IN conditione parendi poſiti ſunt filiifamilias, ſervi, ſubditi, quò etiam pertinent cives ſinguli, ſi cum corpore ſuæ civitatis comparentur. Hi vel adhibentur ad deliberationem de bello ſuſcipiendo, vel libera ipſis optio datur militandi, aut quieſcendi, vel denique ipſis præcipitur, ut militent. Primo caſu eaſdem regulas ſequi debent, quas illi, qui ſuo arbitrio pro ſe, aut aliis bella ſuſcipiunt. Altero caſu A. §. *2.* idem dicendum eſſe putat, quod verum quidem eſt, ſi quæſtio ſit, utrùm magìs expediat militare, vel quieſcere, ſi autem ſermo ſit de juſtitia cauſæ, ſufficit, ſi bona fide

 credant,

credant, eum, cui ſubjecti ſunt, juſtam bellandi cauſam habere, nec eandem examinare tenentur. Tertio caſu vel abſolutè judicant, cauſam belli injuſtam eſſe, vel de juſtitia belli dubitant. Si abſolutè judicent, cauſam belli injuſtam eſſe, tametſi fortè, errent, militare tamen non poſſunt, quia judicium erroneum de honeſtate operationis non minùs obligat, ne agamus contra ejus dictamen, quàm judicium verum. Si autem dubitent, poſſunt abſque ulteriori inquiſitione ſibi formare judicium practicum, quòd in dubio ſuperiori ſit parendum, niſi juſtitia belli ipſis adeò ſuſpecta foret, ut jam viderentur declinare in judicium quoddam morale, quo caſu utique ad indagandam veritatem eſſent obſtricti, velut dictum eſt *in J. P. U. ſuprà cit.* §. *3. num. 21. & ſeqq.* Diſſentit A. aitque, eum, qui contemplativè dubitat, debere judicio activo eligere partem tutiorem, eſſe autem partem tutiorem abſtinere bello, & ſi ſubditorum animis per cauſæ expoſitionem nequeat ſatisfieri, officium boni Rectoris eſſe, tributa potiùs extraordinaria ipſis imperare, quàm operam militarem, præſertim ſi non defuturi ſint alii, qui militent. At primò negamus partem tutiorem eſſe, bellò abſtinere; ſive enim ſubditi, quibus præcipitur, ut militent, bello abſtineant, ſive non abſtineant, exponunt ſe periculo peccandi. Si abſtineant, & bellum reverà ſit juſtum, peccant contra obedientiam ſuperiori debitam, quod cum gravi damno, & quandoque cum pernicie totius Reipublicæ conjunctum eſſe poteſt. Si non abſtineant, & bellum à parte rei ſit injuſtum exponunt ſe periculo injuſtè lædendi proximum. Deinde licet ſequi ſententiam probabiliorem, relictâ minus probabili; tametſi probabilior minùs tuta ſit, ut ſolidis rationibus probat Dn. P. Banholzer *de Rect. regul. mor. art. 6. per totum.* atqui ſententia, quæ tenet, in dubio ſuperiori parendum eſſe, eſt longè probabilior, quàm oppoſita: ergò quamvis in propoſito minùs tuta foret, in praxi tamen licet eandem ſequi. Igitur nec verum eſt, quod A. §. *4. num. 9.* ait, etiam Carnifici, qui damnatum occiſurus eſt, debere eſſe cognita merita cauſæ, ut ſatis ei conſtet, mortem ab eo commeritam; ſufficit enim, ſi eidem non conſtet, reum eſſe innocentem, & vel falſis teſtimoniis, vel odio, aut in gratiam alterius ad mortem damnatum.

II.

II.

Cœterùm quamvis Princeps bellum manifeſtè injuſtum gerat, ejus tamen ſubditi innocentes ſe adverſùs hoſtem, qui eos interficere vult, omnino defendere poſſunt; tametſi enim alter juſtum bellum gerat, jus tamen non habet innocentes directè occidendi, ac proinde ſi eos occidere velit, injuſtus eſt aggreſſor, qui jure interfici poteſt, ex quo tamen non ſequitur, dari bellum utrinque juſtum, quia non de bello ſed de certâ tantùm actione quæritur, quæ, licèt bellum ſit juſtum, injuſta eſt, ac per conſequens juſtè repellitur Grot. §. *ult.*

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quantum in bello liceat?

SUMMARIA.

I. *Quamvis diſſimulatio, & ſimulatio per ſe illicitæ haud ſint, mendacium tamen ſemper eſt prohibitum.*

II. *Omne falſiloquium formale eſt mendacium ſtrictè dictum, & jure tum Divino, tum naturali prohibitum.*

III. *Utrùm infantibus, & mente captis liceat falſum dicere?*

IV. *Utrùm ſit mendacium, ſi fictum ſermonem ad eum dirigam, qui intelligit eſſe fictum, tertius autem putat eſſe verum?*

V. *Utrùm ſit mendacium, ſi certum ſit eum, ad quem ſermo dirigitur, libertatis ſuæ in judicando læſionem non ægrè laturum eſſe?*

VI. *Utrùm ſummis Imperantibus liceat ſubditos falſo ſermone decipere?*

VII. *Utrùm pro conſervandâ vitâ innocentis licitum ſit falſiloquium?*

VIII. *Utrùm apud hoſtem liceat falſo ſermone uti?*

IX. *An, & quatenus reſtrictiones mentales prohibitæ ſint?*

I. Vi-

I.

Vidimus hactenus, quinam bellum gerere poſſint, & quibus ex cauſis geri poſſit. Supereſt, ut jam videamus, quid, & quantum in bello liceat? Ubi jus naturæ ſeparari debet à jure gentium; ſunt enim quædam, quæ ſuppoſitâ belli juſtitiâ jure naturæ licent, veluti fontes, aut arma veneno inficere, quæ tamen jure Gentium vetita ſunt; & vice verſâ multa ſunt, quæ jure Gentium externo licent, jure autem naturæ non licent. Hoc *cap.* A. de eo agit, quod jure naturæ in bello licet, & initio quidem regulas quasdam generales proponit, ex quibus cognoſci poteſt, quid in bello juſto liceat in hoſtes, deinde inquirit, quid liceat in eos, qui hoſtes non ſunt, aut ſaltem pro hoſtibus haberi nolunt, poſtea progreditur in ſpecie ad quæſtionem, an etiam dolis uti liceat in bello? ubi recte diſtinguit inter dolum, qui conſiſtit in actu negativo, & illum, qui conſiſtit in actu poſitivo. Prior vocatur diſſimulatio, & per ſe illicitus haud eſt. Poſterior conſiſtit vel in rebus, vel in ſermone. Ille ſimulatio: hic verò mendacium vocatur. Simulatio itidem per ſe illicita non eſt. Mendacium autem ſemper eſt prohibitum, velut de his omnibus latiùs egimus in *J. P. U.* ubi ſimul diximus, etiam amphibologico loquendi genere uti, niſi juſta adſit cauſa, prohibitum eſſe, quò proinde lectorem remittimus.

J. P. U. P. 4. c. 1. §. 5. n. 2. 3. & 4. cit. P. 4. c. 2. §. 4. n. 11. alleg. P. 4. c. 1. §. 4. à n. 2. cit. P. 4. c. 1. §. 4. à num. 2.

II.

Aliud autem eſt mentiri, aliud mendacium dicere. Mentiri ille demum intelligitur, qui loquitur contra mentem. Unde non mentitur, qui falſum dicit, quod bonâ fide verum eſſe credit. Mentitur autem, qui verum dicit, quod falſum eſſe putat; eſſentia enim mendacii conſiſtit in diſcrepantia verborum à mente loquentis. Putat quidem A. §. *11.* requiri ſimul repugnantiam cum jure exiſtente, ac manente ejus, ad quem ſermo dirigitur, quod jus ait conſiſtere in libertate judicandi, quam homines colloquentes ſibi invicem quaſi ex pacto quodam tacito debere intelliguntur, ſecùs non eſſe mendacium ſtrictè dictum, ſed falſiloquium, quod in nonnullis caſibus licitum ſit. At multùm is fallitur, veriſſimum enim eſt, omne falſiloquium formale eſſe mendacium ſtrictè dictum,

&

& jure tum divino, tum naturali prohibitum, cùm ejus turpitudo intrinſeca non tam conſiſtat in læſione libertatis judicandi, ſeu juris intelligendi mentem loquentis, quàm in abuſu verborum, quæ ad hoc ſunt inſtituta, ut mentis noſtræ conceptus iisdem exprimamus. Igitur ita uti ſignis externis, ut habeant falſam ſignificationem, & contradicant menti, non convenit naturæ rationali quà tali. Videamus jam in quibusnam caſibus A. falſiloquium licitum eſſe dicat.

III.

Primò ait, etiamſi aliquid dicatur infanti, aut amenti, quod falſam habet ſignificationem, in eo tamen culpam mendacii non eſſe, eò quòd in infantibus, & amentibus non ſit judicii libertas, ac proinde non poſſit illis circa libertatem judicandi injuria fieri. Ita §. *12*. At primò tametſi infantibus, & mente captis non fiat injuria, manet tamen, quòd ita abuti verbis, ut ſint falſa ſigna contra eorum inſtitutionem, turpe ſit, & naturæ rationali, quà tali diſconveniens. Deinde quicunque capax eſt, ut poſſit intelligere mentem loquentis, ille videtur etiam habere jus intelligendi. Atqui mente capti, & infantes v. g. quinque vel ſex annorum poſſunt intelligere mentem loquentis: ergo etiam videntur habere jus intelligendi, ac proinde ſi falſo ſermone decipiantur, ipſis fit injuria. Fortè tamen, qui infantes, & amentes ita fallunt, perſæpè à mendacio excuſari poſſunt ideo, quia facilè apparet, eos non ſeriò loqui, atque adeò nolle eos uti verbis tanquàm ſignis mentis ſuæ, licèt prævideant, infantes, & mente captos aliter intellecturos eſſe; *mendacia enim*, inquit, S. Auguſtinus *cauſ. 22. Quæſt. 2. can. 18. à mendacibus ſeriò aguntur, non joco, cùm autem, quæ non ſunt, joco dicuntur, non deputentur mendacia.* Sed hoc aliis examinandum relinquo.

IV.

Secundò ait, ſi fictum ſermonem ad eum dirigam, qui intelligit eſſe fictum, etiamſi tertius putet eſſe verum, nullum tamen eſſe mendacium, quod verum eſſe arbitror, nam reſpectu ejus, ad quem verba dirigo, perinde eſt, ac ſi eidem fabulam narrarem,

reſpectu tertii verò, cum quo non loquor, non habent rationem ſermonis, & ideo ſi ea perperam accipiat, ſibi imputare debet. A. §. *13.* Huc tamen malè refertur ſermo, quo Doctor Gentium *cap. 2. ad Galat.* reprehendit D. Petrum, non enim ficta, ſed vera erat illa reprehenſio. S. Auguſtin. *Epiſt. 8.*

V.

Tertiò ait, ſi certum ſit eum, ad quem ſermo dirigitur, libertatis ſuæ in judicando læſionem non ægrè laturum, ſed ob commodum aliquod, quod inde conſequitur, gratias potiùs eo nomine habiturum eſſe, mendacium ſtrictè dictum, ſeu injurioſum non committi, veluti ſi quis ægrotantem amicum falſâ perſuaſione ſoletur, vel in prælio labantes ſuorum animos fictò nuncio erigat, quo incitati victoriam, & ſalutem ſibi pariant, aut ante prœlium multitudinem hoſtium extenuet. §. *14.* At ex eo, quod in his, & ſimilibus caſibus non committatur mendacium injurioſum, perperam infertur, non committi mendacium; utique enim mentitur, qui aliquid ſeriò dicit tanquam verum, quod falſum eſſe ſcit, quid enim aliud eſt mentiri, quàm contra mentem loqui?

VI.

Quartò ait, falſiloquium ſummis Imperantibus licitum eſſe, ſi vi alti, & eminentis dominii, quod habent in omnia bona, & jura ſubditorum, ipſis libertatem judicandi, ſive bono ipſorum proprio ſive publico auferant. Exemplum fortè dari poſſe putat in Joſepho, qui Regiâ vice imperans fratres primùm quaſi exploratores, deinde quaſi fures fictè, nec ita ſentiens accuſavit. *Geneſ. cap. 42. & 44.* Et in Salomone, qui apud mulieres de partu litigantes *3. Reg. cap. 3. in fine* dixit: *dividite infantem vivum in duas partes*, quod tamen animo non ſentiebat. Ita Grot. §. *15.* Sed rurſus malè; nam eadem in propoſito ratio eſt, ac in priori caſu, nec exempla Joſephi, & Salomonis huc applicari poſſunt, quia dominium altum, & eminens non aliter exerceri poteſt, quàm ſi hoc neceſſitas, vel utilitas Reipublicæ exigat. At in neutro caſu ſuberat neceſſitas, vel utilitas Reipublicæ. Sanè Lyranus non excuſat Joſephum à mendacio. Utrùm Salomon excuſari poſſit, aliis relinquo.

VII.

VII.

Quintò ait, falſiloquium culpâ vacare, ſi vita innocentis, aut par aliquid aliter ſervari, nec alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti poſſit. Ita §. *16.* At ſemper manet, quòd contra mentem loqui diſconveniat naturæ rationali quà tali. Sanè *Joſue 2.* Raab haud dubiè mentita eſt, mentitæ etiam Pharaoni ſunt obſtetrices Hebræorum. *Exod. cap. 1.* dicitur quidem, Deum ipſis benefeciſſe, & domos ædificâſſe, ſed hoc non factum eſt propter mendacium, ſed quia timuerunt Deum, & parvulos Hebræorum non occiderunt.

VIII.

Sextò denique §. *17. num. 1.* approbat eorum ſententiam, qui dicunt, apud hoſtes licere falſo ſermone uti, & eô non malè referri putat dictum Jabeſitarum *1. Reg. cap. 11.* & Eliſæi. *4. Reg. cap. 6.* Sed licèt, ſi bellum ſit juſtum, hoſtibus non faciat injuriam, qui eos falſo ſermone decipit, & iis ita damnum infert, non tamen inde ſequitur, licitum eſſe hoſti mentiri. Jabeſitæ mentiti non ſunt, etiamſi dixerint: *manè exibimus ad vos*, ſubintelligi enim debet, niſi manè adventura ſint auxilia, nec enim aliter ſe ad hoſtem egreſſuros eſſe promiſerant, quàm ſub hac expreſſâ conditione, ſi intra ſeptem dies nemo ſit, qui eosdem defendat, certi autem erant, altero die adventura auxilia. Sed nec mentitus eſt Eliſæus, cùm enim milites, quos Rex Syriæ miſerat ad capiendum Eliſæum, à Deo cæcitate percuſſi eſſent, ut eum non agnoſcerent, rectè Propheta ipſis dixit: *non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas*, in qua ſcilicet poteritis invenire, & videre eum, quem quæritis. Nihil ergo hæc duo exempla ad rem faciunt. Hâc occaſione

IX.

Quæritur, quid dicendum ſit de reſtrictionibus mentalibus? Sunt autem quædam purè mentales, quando ſcilicet verba mente retenta nullo indicio externo deprehendi poſſunt, aliæ verò exteriùs ſenſibiles, quando nimirum verba mente retenta ex circumſtantiis perſonarum loci, temporis antecedentium, vel conſequentium

tium colligi poſſunt. Qui reſtrictione purè mentali utitur, reverà mentitur, ac proinde reſtrictiones mentales hoc ſenſu rectè improbat A. *cit.* §. *17. num. 3.* Ratio eſt, quia verba, quæ mente ita retinentur, ut nullo indicio externo deprehendi poſſint, apta haud ſunt ad mutuam hominum inter ſe communicationem: ergo perinde ſunt, ac ſi non eſſent. Reſtrictiones autem exteriùs ſenſibiles per ſe illicitæ haud ſunt, nec enim ſemper teneor mentem meam clarè exprimere; & licèt alter verba prolata in alio ſenſu accipiat, hoc tamen non mihi, ſed ſibi ipſi imputare debet, quia, ſi majori diligentiâ ad omnes advertiſſet circumſtantias, verum eorum ſenſum percipere potuiſſet.

CAPUT II.

De repreſſaliis, ſeu pignorationibus.

QUamvis jure naturæ nemo ex facto alieno teneatur, niſi ſit hæres, aut bonorum ſucceſſor, jure tamen Gentium introductum eſt, ut non tantùm in bello, ſed & extra bellum pro debitis ſummorum Imperantium tum perſonæ tum bona ſubditorum poſſint apprehendi, quæ apprehenſio, ſi fiat extra bellum, repreſſaliarum, ſeu pignorationum nomine inſignitur, quam materiam latè excuſſimus in *J. P. U. Part. 4. cap. 1.* §. *8.*

CAPUT III.

De Indictione belli publici.

MOribus Gentium receptum eſt, ut bello ſaltem offenſivo præmittatur indictio, de qua egimus in *J. P. U. dict. cap. 1.* §. *1. à num. 7.*

CAPUT IV.

De jure interficiendi hoſtes in bello publico.

QUæ A. hoc *cap.* tradit, à nobis explicata ſunt in *J. P. U. cit. cap. 1.* §. *4. à num. 6. &* §. *5. num. 1. & 9. uſque ad num. 15.*

CAPUT

CAPUT V.

De rebus vaſtandis.

SUMMARIUM.

Jure Gentium externo etiam res ſacræ, & religioſæ impunè vaſtari poſſunt.

SI merum jus Gentium externum reſpicimus, etiam res ſacræ, & Religioſæ impunè vaſtari poſſunt, tametſi nulla ad hoc cogat neceſſitas; licèt enim res ſacræ non ſint in commercio, & poſſeſſione privatorum, manent tamen in uſu hominum, & curantur inter ea, quæ ſunt univerſitatis, aut populi cujusque, nec res religioſæ mortuorum ſunt, ſed viventium, modò oſſa defunctorum non malè tractentur, nam hoc eſſet contra jus Gentium. Grot. §. *2. & 3.*

CAPUT VI.

De jure acquirendi bello capta.

SUMMARIUM.

Si de re bello captâ apud populum neutralem naſcatur controverſia, ex quonam jure illa ſit decidenda?

HOc caput explicatum fuit *in J. P. U.* §. *5. à num. 25. uſque ad num. 30.* Hoc ſolum addo, cùm ratione prædæ diverſi ſint po ulorum mores, ſi de re bello captâ apud populum bello non permixtum naſcatur controverſia, eam non ex legibus populi neutralis, ubi lis agitatur, ſed ex legibus, vel moribus illius populi, à cujus partibus res capta eſt, vel ſi nihil ejus probetur, ex jure Gentium communi decidendam eſſe, ut rectè Grot. §. *25.*

CAPUT VII.

De jure in captivos.

SUMMARIUM.

Bello injuſto capti tutâ conſcientiâ fugere, & laboris ſui mercedem accipere poſſunt.

Videa-

VIdeatur *J. P. U. ſæpè cit.* §. *5. num. 33. & ſeqq.* ubi diximus eos, qui bello injuſto capti ſunt, ſi detur occaſio, tutâ conſcientiâ fugere poſſe. Quòd ſi fugiant, etiam res ſuas ſubducere, aut laboris ſui mercedem accipere poſſunt, ſi quam ſupra alimenta præſtari æquum eſt, quia jure naturæ libertate ſuâ non exciderunt. Utrùm autem etiam domino jus ſuum externum exequenti illæſâ conſcientiâ reſiſtere queant, alia quæſtio eſt, quam A. §. *7.* negat, eò quòd hoc jus externum non ſolâ agendi impunitate, ſed & judiciorum tutelâ conſtet. Unde ſi domino vi reſiſtere liceret, liceret etiam reſiſtere Magiſtratui dominum tuenti, cùm tamen Magiſtratus ex jure Gentium dominum in illo dominio externo, ejusque uſu defendere debeat. Planè ſi dominus talem captivum occidere velit, is haud dubiè vi reſiſtere, & ſuam vitam defendere poteſt.

CAPUT VIII.

De Imperio in victos.

HOc quoque caput expoſitum fuit in *J. P. U. Part. 2. cap. unico.* §. *5. num. 1. & ſeqq.*

CAPUT IX.

De Poſtliminio.

SUMMARIUM.

Quid, & quotuplex ſit poſtliminium?

VOx poſtliminii ex *poſt*, & *limine* compoſita eſt, & ſignificat reditum ad idem limen, quæ enim ad hoſtem pervenerunt, quaſi ex ſuo limine exierunt, unde ſi poſtea ad idem limen redierunt, poſtliminio rediiſſe dicuntur. Eſt autem jus poſtliminii duplex, vel enim, quod ab hoſtibus captum fuerat, revertitur, vel recipitur. Vid. *J. P. U. cit. Part. 4. cap. 1.* §. *5. num. 41. & 42.*

CAPUT X.

De his, quæ fiunt in bello injuſto.

DE obligatione reſtituendi, quæ naſcitur, ſi bellum injuſtum ſit, dictum eſt *in J. P. U. ſæpè cit.* §. *5. à num. 5. uſque ad 9.*

CAPUT

CAPUT XI.

Temperamentum circa jus interficiendi in bello juſto.

De hoc actum eſt in *alleg.* §. *5. à num. 15. uſque ad 22.*

CAPUT XII.

Temperamentum circa vaſtationem.

ETiam de hoc dictum eſt *cit.* §. *5. num. 23. & 24.* optandum ſanè eſſet, ut nonnulli belli-Duces, & quidem Chriſtiani, hac in parte inſolentiam militarem magìs cohiberent, & non conniventibus oculis tolerarent, ut milites in terris hoſtilibus barbarorum more paſſim res ſibi obvias, nullâ cogente neceſſitate, nullóque ſuo bono confringerent, corrumperent, & devaſtarent, non minuunt hæc hoſtium vires, nec proprias augent, cogitare deberent, ancipitem eſſe belli aleam, & facilè Martem in ipſorum terris trophæa erigere poſſe, quod ſi fiat, talionem exſpectandam eſſe. At ſurdis fortè canitur fabula.

CAPUT XIII.

Temperamentum circa res captas.

SUMMARIUM.

In bello vindicativo bona ſubditorum capi non poſſunt, niſi delicti alieni ſe participes reddiderint.

DE hoc videatur *J.P.U. ſæpiùs cit.* §. *5. num. 30. 31. & 32.* ubi diximus, quamvis in bello reparatorio pro debitis ſummorum imperantium etiam bona ſubditorum ſint obligata ſecùs tamen id eſſe in bello vindicativo, niſi ſubditi ſe delicti alieni participes reddiderint. Putat quidem Ziegler. exorto bello omnes ſubditos cenſeri cauſam ſui Principis defendere, ac proinde, ob præſumptum conſenſum, & ipſos crimen contrahere, ac vindictæ ſubjacere. At rectè eidem contradicit Hennigeſ. Nam primò non ſtatim, quidquid faciunt Reges, cenſentur ſubditi approbare. Certè in dubio dilictum non præſumitur. Deinde, ut vindicta juſta ſit, neceſſe eſt, ut de injuriâ certò conſtet. Atqui de conſenſu, & approbatione ſubditorum non certò conſtat, ergo

ergo de illis vindicta ſumi haud poteſt. Tametſi igitur bellum vindicativum ponatur eſſe juſtum, res tamen ſubditorum jure naturæ capi nequeunt, & ſi fuerint captæ, naſcitur obligatio eas reſtituendi, ſi extent, vel ſi conſumptæ ſint, quatenus is, qui bonâ fide conſumpſit, exinde factus eſt locupletior.

CAPUT XIV.

Temperamentum circa captos.

DE hoc dictum fuit in *J. P. U. cit.* §. *5. num. 36. 37. & 38.* Nec operæ pretium eſt, ut plura addamus, cùm jure Gentium recentiori inter Chriſtianos recepto capti non ampliùs fiant ſervi capientium.

CAPUT XV.

Temperamentum circa acquiſitionem Imperii.

VIdeatur *J. P. U. Part. 2. cap. un.* §. *5. num. 5. & 6.* ubi plura moderationis exempla ex hoc *cap.* retulimus. At fruſtrà; hæc enim ad eos pertinent, qui bellum juſtum gerunt, eâ autem jam vivimus ætate, qua multi dantur ambitioſi, & regnandi libidine abrepti Imperantes, qui parùm curant, utrùm bellum, quod ſuſcipere volunt, ſit juſtum, vel injuſtum, id tantùm quæritur, utrùm ſit utile, *in armis ſe jus ferre*, ajunt, *& omnia virorum fortium eſſe.* Liv. *lib. 5. cap. 36. in ſummâ fortunâ id æquius, quod validius & ſua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem eſſe.* Tacit. *Annal. lib. 15. cap. 1. Pueros talis, viros juramentis fallendos eſſe*, ut Lyſardum apud Thucyd. dixiſſe referunt. *Si jus violandum ſit, regnandi causâ violandum eſſe.* Et quæ ſunt ſimilia ex Machiavelli ſcholâ deſumpta principia, quò pertinet votum Morvillerii, qui Regem Galliæ, cùm de bello Hiſpanis inferendo deliberaretur, ut Teſmar. ad Prolego: Grot. §. *3. lit. d.* refert, hiſce verbis eſt allocutus: *Bellum hoc juſtum, neceſſariúmve ſit, nec ne, diſputando non multùm immorabor, quòd ridiculum plerisque videatur, Principes & alios, qui Rempublicam tractant, quique jus utilitate, & occaſione metiri ſolent, ad has ſcrupuloſas quæſtiones hæſitare.*

CAPUT XVI.

Temperamentum circa ea, quæ jure Gentium poſtliminio carent.

De hoc dictum eſt in *J. P. U. Part. 4. cap. 1. §. 5. num. 43.*

CAPUT XVII.

De his, qui in bello medii ſunt.

MEdii in bello dicuntur, qui neutralitatem amplectuntur, quam materiam latè examinavimus in *J. P. U. ſæpius cit. Part. 4. cap. 2. §. 4.*

CAPUT XVIII.

De his, quæ in bello publico privatim fiunt.

Videatur *J. P. U. dict. Part. 4. cap. 1. §. 5. n. 44.*

CAPUT XIX.

De fide inter hoſtes.

SUMMARIA.

I. *Fides manente bello hoſti data ſervanda eſt.*
II. *Etiam tyrannis, piratis, latronibus, & rebellibus ſervari debet.*
III. *Quid ſi pirata, aut latro cauſam promiſſioni dederit?*
IV. *In bello publico exceptio metûs locum non habet.*
V. *Perfidus non eſt, qui propter defectum conditionis non præſtat promiſſum.*
VI. *Uti nec ille, qui utitur jure compenſationis.*

I.

TAmetſi per bellum ab amicitiâ, & ſocietate diſcedatur, ſi tamen manente bello hoſtes de aliquo inter ſe pacti ſint, fides data ſervanda eſt, quia paciſcendo hactenus à ſtatu diſſolutæ ſocietatis rurſus recedunt, & in ſocietatem redeunt, licèt de cœtero animum hoſtilem retineant. Qui ergo fidem datam violat, perfidiæ reus eſt, & hoſti injuriam infert, quia ex promiſſione novum eidem jus quæſitum eſt. Grot. §. *1.*

II.

Porrò etiam tyrannis, piratis, latronibus, & rebellibus fides data ſervanda eſt, quicunque enim communionem juris naturalis habent, illis ſervanda eſt fides. Atqui omnes enumeratæ perſonæ hoc ipſo, quòd ſint homines communionem juris naturalis habent: ergo &c. Grot. §. *2. 6. & 7. adde J.P.U. Part. 4. cap. 2.* §. *2. num. 20. & 21.*

III.

Quòd ſi pirata, aut latro metu injuſto cauſam dederit promiſſioni, promiſſio quidem valet, propter damnum tamen injuriâ datum tenetur promiſſarius promittentem liberare; & ſi vel ab eo, vel à tertio certum pro redemptione accepiſſet pretium, illud danti reſtituere debet, licèt enim tertiò metus non fuerit illatus, ac proinde ex hoc capite non naſcatur obligatio reſtituendi, naſcitur tamen ex eo, quòd pirata captivum ex juſtitiâ dimittere teneatur, ac proinde pro dimiſſione nihil poſſit accipere, cùm actio ex juſtitiâ debita non ſit res vendibilis, in quo perperam diſſentit Grot.

IV.

Planè in bello publico exceptio metûs locum non habet, niſi enim promiſſiones per bellum extortæ valerent, finis bello imponi non poſſet, niſi cum internecione unius populi. Quæ ergo tali bello promiſſa ſunt, jure Gentium invito eo, cui promiſſa ſunt, in irritum deduci haud poſſunt, uti enim bellum hoc jure utrinque pro juſto habetur, ita & metus tali bello incuſſus, niſi per talem actionem incuſſus ſit, quam ipſum jus Gentium improbat. Interim, qui bello injuſto promiſſionem ab altero extorſit, eundem jure naturæ cogere haud poteſt, ut ſtet promiſſis etiam juratis, licèt enim juramentum etiam vi injuſtâ extortum obligationem religionis inducat, jus tamen ex ſimplici promiſſione natum intra lineam juſtitiæ efficax non reddit, ſed hoc ſolum operatur, ut qui juratò promiſit, quantum in ipſo eſt, efficiat, ne Deum in teſtem alicujus falſitatis adduxerit. Grot. §. *11. & 12.*

V.

Poteſt tamen duobus modis fieri, ut quis non incurrat crimen perfidiæ, tametſi non præſtet id, quod promiſit. Primò propter defectum conditionis. Sic ſi unus non ſervet contractum, nec

alter

alter ſervare tenetur, cùm ſingula unius, & ejusdem contractûs capita aliis inſint per modum conditionis. Si autem promiſſa diverſi generis ſint, & citra mutuum reſpectum alio loco, & tempore facta, fides etiam perfido ſervanda eſt. Grot. §. *13. & 14. item lib. 2. cap. 13. §. 16.*

VI.

Secundò nec ille perfidus eſt, qui utitur jure compenſationis, & quamvis jure civili ſpecies cum ſpecie, aut ſpecies cum quantitate, vel quantitas cum quantitate diverſi generis v. g. vinum cum frumento compenſari haud poſſit, jure tamen naturæ, & Gentium etiam ſpecies cum ſpecie, aut ſpecies cum quantitate, vel quantitas cum quantitate diverſi generis compenſari poteſt, nam, ut alibi diximus, ſi id, quod noſtrum eſt, aut nobis debitum, non poſſim aliter conſequi, quàm ſi loco rei noſtræ, aut nobis debitæ rem aliam, quæ tantundem valet, debitori, vel injuſto detentori auferam, tunc poſſum eidem rem aliam æquivalentem auferre, quoties enim juſtitia commutativa non poteſt pertingere ad idem, fertur ad tantundem, quod morali æſtimatione eſt idem: ergo multò magìs poſſum id, quod penes me eſt, retinere. Nec intereſt, utrùm utrinque debeatur ex contractu, aut utrinque ex delicto, vel ex unâ parte ex contractū, & ex alterâ ex delicto, adeò, ut & debitum ex contractu cum eo, quod ab altero pœnæ, aut vindictæ nomine debetur, jure naturæ, & Gentium compenſari poſſit, modò debitum utrinque ſit liquidum, & purum, ac abſolutum, nam liquidum cum illiquido, & purum cum conditionato compenſari nequit, ut enim compenſatio locum habeat, neceſſe eſt, ut debitum utrinque ſit certum. Deinde compenſatio fieri debet inter easdem perſonas, quæ invicem ſunt creditores, & debitores, ſubditorum tamen bona pro eo, quod civitas debet, jure Gentium obligata eſſe intelliguntur, ut alibi dictum eſt. Grot. §. *15. & ſeqq.*

CAPUT XX.

De pace, ſorte, ſingulari certamine, arbitris, obſidibus, & pignoribus. J. P. U. P. 4. c. 2. §. 1. & 3. It. c. 1. §. 6.

CAPUT XXI.

cit.cap. 1. §. 7. & §. 5. n. 38. & ſeqq.

De induciis, commeatu, & captivorum redemptione.

Utrumque hoc *cap.* explicavi in J.P.U. quò lectorem remitto.

CAPUT XXII.

De fide minorum poteſtatum in bello.

SUMMARIA.

I. *An, & quatenus belliduces promittendo obligent ſummos Imperantes?*
II. *Si limites poteſtatis exceſſerint, ipſi quidem obligantur, non autem ſummi Imperantes.*
III. *Utrùm obligare poſſint ſuos ſubditos?*

I.

DUo ſunt, quæ in propoſito quæri poſſunt, Primum eſt, an, & quatenus belliduces promittendo obligent ſummos Imperantes? alterum, an obligare poſſint ſuos ſubditos? Primum, quod attinet, ſi id, quod belliduces fecerunt, ipſis mandatum ſit, vel ſaltem probabiliter ipſorum officio contineatur, ſummos Imperantes haud dubiè obligant. Si verò nec ipſis mandatum ſit, nec ipſorum officio contineatur, ſummi Imperantes ex ejusmodi factis, & promiſſis ſuorum Miniſtrorum neutiquam obligantur. Sic citra ſpeciale mandatum bellum cum pace commutare haud poſſunt, quia bellum finire, non eſt par belli gerendi, inducias autem in paucas horas, aut dies dare poſſunt. Sic oppida bello acquiſita concedere Ducum non eſt, quæ verò bello nondum quæſita ſunt, condonare poſſunt, quia deditio hominum, & urbium ſæpè fit ſub conditione non tantùm vitæ ſalvæ, ſed & libertatis, & bonorum. Grot. §. *2. item* §. *7. 8. & 9.*

II.

Si igitur belliduces limites ſuæ poteſtatis exceſſerint, ipſi quidem obligantur, non autem ſummi Imperantes, niſi poſtea id, quod actum eſt, expreſſè, vel tacitè ratihabeant, aut exinde locupletiores ſint effecti, nemo enim cum alienâ jacturâ locupletior fieri debet. Unde

Unde ab injuſtitiâ excuſari non poſſunt, qui ejusmodi pactiones ſuorum Miniſtrorum improbant, & tamen id, quod ex illis pactis habent retinent. Grot. §. *3*.

III.

Alterum, quod attinet, refert, utrùm belliduces ea promittant, quæ militibus imperare poſſunt, vel quæ ipſis imperare non poſſunt. Illo caſu haud dubiè milites ſibi ſubjectos obligant. Hoc autem caſu ſubditi non aliter obligantur, quàm ſi eorum conſenſus acceſſerit. Grot. §. *6*.

CAPUT XXIII.

De fide privatâ in bello.

SUMMARIA.

I. *Etiam fides à privatis in caſu neceſſitatis hoſti data ſervanda eſt.*
II. *Si fidem datam non ſervent, utrùm ab eo, cui ſubjecti ſunt, ad hoc cogi debeant?*
III. *Quomodo ejusmodi pacta privatorum interpretanda ſint?*

I.

NOn tantùm fides publica, ſed & quam ſinguli temporibus adducti hoſti dederunt, ſervanda eſt; extra caſum neceſſitatis quidem ſubditi jus paciſcendi cum hoſte non habent, ſi autem ad hoc ſumma cogat neceſſitas, id ipſis prohibitum non eſt, aliàs ſæpè cædes, & devaſtationes hoſtiles non poſſent evitari. Certè talia ſubditorum pacta, quibus majus, aut certius malum evitatur, etiam publico magìs utilia, quàm damnoſa ſunt, quia ſatius eſt, civem quocunque demum modo ſalvum eſſe, quàm perire, & ideò moribus omnium populorum approbantur. Sic valet pactum, quo ſubditi hoſti ad redimenda incendia promittunt tributa. Sic etiam valet promiſſio captivi de redeundo in captivitatem, quia nec civitatis, nec captivi conditionem deteriorem reddit. Sic quoque tenet pactum, quo capti ex captivitate dimiſſi promittunt, ſe adverſùs eum, qui ipſos in poteſtate habuit, non ampliùs militaturos eſſe, quia hoc, quod promittunt, jam eſt in manu hoſtis, niſi enim captus liberetur, periiſſe cenſendus eſt. Sic etiam valet promiſſio

captivi de non fugiendo, ut mitior cuſtodia obtineatur. Vid. Grot. *§. 5. item* §. *6. 7. & 8.* At

II.

QUid ſi privati fidem hoſti publico datam non ſervent, an ab eo, cui ſubjecti ſunt, ad hoc cogi debent? Affirmat A. §. *10.* & rectè; nam etiam de factis privatorum hoſtis hoſti jus reddere tenetur, veluti ſi privati hoſtium legatos violâſſent, aut contra inducias aliquid feciſſent; interim rara fortè erunt exempla, ſed propterea jus eſſe non deſinit.

III.

Sunt autem ejuſmodi pacta privatorum ita interpretanda, ut niſi abſurdi vitandi cauſâ, aut ex aliâ ſatis certâ mentis conjecturâ, à proprietate verborum non recedatur, in dubio verò interpretatio facienda eſt contra illum, qui legem dedit. Sic vitam pactus jus ad libertatem non habet, quia appellatione vitæ non continetur libertas. Sic non dicitur ad hoſtem rediiſſe, qui caſtris egreſſus, velut aliquid oblitus, in caſtra redîit, ut hac fallaciâ hoſtem deciperet, cui ſe rediturum eſſe juraverat, uti ille fecit apud Liv. *lib. 22. cap. 58.* Grot. §. *11. & ſeqq.*

CAPUT XXIV.

De fide tacitâ.

SUMMARIA.

I. *Non tantùm vocibus, & litteris, ſed etiam aliis ſignis fides obſtringi poteſt.*

II. *Qui colloquium petit, aut petitum admittit, tacitè pollicetur, collocuturos nihil hoſtile paſſuros eſſe.*

III. *Hodie vela candida ſignum ſunt petiti colloquii.*

I.

NOn tantùm vocibus, & litteris, ſed etiam aliis ſignis, aut facto fides obſtringi poteſt. Sic ſi transfugæ, vel exteri in alicujus populi, aut Regis fidem ſe dent, hoc ipſo tacitè ſe obligare cenſentur, quòd nihil adverſùs illum ſtatum, in quo præſidium quærunt, moliri velint. Inſigne ergo perfidiæ exemplum præbet

Sextus

Sextus Tarquinius Tarquinii ſuperbi filius minimus, qui ex compoſito ad Gabios confugit, & cùm ad ultimum ab iis bellidux lectus eſſet, ex primoribus civitatis alios clam, alios palam interfecit, alios autem in exilium egit, donec tandem Gabii ſine ullâ dimicatione ſe Regi Romano tradere fuerint coacti Liv. *lib. 1. cap. 53. & 54.* Grot. §. *1. & 2.*

II.

Sic etiam, qui colloquium petit, aut petitum admittit, is tacitè pollicetur, collocutores nihil hoſtile paſſuros eſſe, de cœtero autem ſub ſpecie colloquii hoſtem à belli conſiliis avertere, & ſua interim promovere perfidum non eſt, ſed dolis bonis annumeratur, unde etiam durante colloquio actus bellici continuari poſſunt, niſi ſimul de induciis conventum fuerit, quod plerumque accidere ſolet. A. §. *3. & 4.* & ibi Ziegler.

III.

Sunt etiam quædam ſigna muta, quæ ex conſuetudine ſignificant. Sic apud Macedones haſtarum erectio, apud Romanos ſcuta capiti impoſita ſigna erant ſupplicis deditionis. Hodie vela candida ſignum ſunt petiti colloquii. A. §. *5.*

CAPUT XXV.

SUMMARIA.

I. *Commendatur fides, & conſtantia in ſervandis promiſſis.*
II. *Adhortatio ad pacem quærendam.*
III. *Votum Authoris, & Scriptoris concluſio.*

I.

CОrrexit A. in bello ſuſcipiendo temeritatem, in gerendo crudelitatem, denique commendat fidelitatem, & conſtantiam in ſervandis promiſſis. Meritò ſanè, nam fide non tantùm Reſpublica quælibet, ſed & major illa Gentium ſocietas continetur, quâ ſublatâ omne inter homines tollitur commercium. Maximè autem Reges fidem, tanquam fundamentum juſtitiæ, religioſè colere debent, quia oportet, ut Deum, cujus in terris Vicarii ſunt, imitentur, Deus autem juſtus, & fidelis eſt. *Cæteris mortalibus*, inquit

quit Tiberius apud Tacit. *lib. 4. Annal. cap. 40. in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſa ſors eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda ſunt.* At, quæ fama, ſi Princeps ſit fœdifragus, ſi ſit perjurus? Deo & hominibus inviſum ſe reddit, qui pacis fœdera, præſertim jurata, perfidè rumpit; nemo quidem vult perfidus haberi, & licèt ſit, crimen tamen perfidiæ falſâ juris ſpecie tegere allaborat. At non ita ſtupidus eſt orbis, ut verum à falſo, juſtum ab injuſto nequeat diſcernere. Unde tantùm abeſt, ut hoc modo crimen perfidiæ à ſe amoliatur, ut magìs id novo crimine fraudulentiæ augeat, & ſe aliis inſociabilem reddat.

II.

Deinde adhortatur A. ad pacem quærendam in bello, ſervandam poſt bellum; nam bellum ſuſcipi non debet, niſi pacis cauſâ, qui alium ſibi finem proponit, pium bellum non gerit, etiamſi juſtam alioqui bellandi cauſam habeat, quia rectam intentionem non habet. Si ergo pax honeſta, & tuta haberi poteſt, ea repudianda haud eſt, tametſi remiſſione injuriarum, damnorum, & ſumptuum conſtet, ſi minùs, bellum fortiter, & ſtrenuè eſt proſequendum, quia pace minùs honeſtâ, & infidâ melius eſt. Si verò pax facta ſit, quamvis ſub duris conditionibus, ea ob fidei ſanctimoniam religioſè ſervanda eſt, & ſolicitè cavenda, non tantùm perfidia, ſed & quidquid animos exaſperat.

III.

Tandem hoc ſubjungit votum: *Inſcribat hæc Deus, qui ſolus hoc poteſt, cordibus eorum, quorum res Chriſtiana in manu eſt, & iisdem mentem divini, humanique juris intelligentem dicit, quæque ſemper cogitet, lectam ſe miniſtram ad regendos homines Deo chariſſimum animal.* Cum hoc voto & ego finio; utinam labor, quem in componendo hoc opere ſuſcepi, imprimis ad majorem DEI gloriam, tum verò ad ſtudioſæ juventutis, præſertim Catholicæ, utilitatem cedat.

)o(

PARER-

PARERGA

Ex

Jure Publico Imperii Romano-Germanici.

I.

AUrea Bulla, excepto fortè Cap. 1. non cum conſenſu omnium Ordinum, ſed tantùm Electorum à Carolo IV. fuit condita.

II.

Capitulationes Cæſareæ in forma hodierna cœperunt demum ſub Carolo V.

III.

Non habent rationem legis, ſed pacti.

IV.

Status Imperii Receſſibus non tantùm vi promiſſionis ſuæ, ſed & obligatione legali adſtricti ſunt.

V.

Super crimine fractæ pacis Religioſæ non tantùm coram Camerâ, ſed & coram Judicio Imperiali Aulico agi poteſt.

VI.

Regi Chriſtianiſſimo per Pacem Weſtphalicam in Alſatia plus ceſſum non fuit, quàm Suntgovia, Landgra-

viatus, & Præfectura Hagenovienſis, reſervatâ immedietate Statuum, & Nobilitatis inferioris Alſatiæ.

VII.

Sed nec per ſubſecutas Pacificationes Eidem plus ceſſum fuit, niſi ſolæ Civitates Argentinenſis, & Landavienſis.

VIII.

Status Imperii Romano-Germanici non eſt Ariſtocraticus.

IX.

Nec ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus.

X.

Nec irregularis.

XI.

Nec eſt Syſtema plurium Civitatum inæquali fœdere inter ſe connexarum.

XII.

Sed vera eſt Monarchia, quoad modum tamen exercendi certa Majeſtatis jura limitata.

XIII.

In Duces Circulorum etiam Principes Eccleſiaſtici eligi poſſunt.

XIV.

In Regem Romanorum non niſi Romano-Catholicus eligi poteſt.

XV.

Electores Eccleſiaſtici vocandi ſunt ad electionem Regis Romanorum, tametſi nondum à Pontifice ſint confirmati.

XVI.

XVI.

Electio poſt quadrimeſtre à die cognitæ vacaturæ facta impugnari non poteſt, etiamſi fortè unus Electorum ad eam non fuiſſet vocatus.

XVII.

Rex Romanorum vivente Imperatore electus non eſt nudus Vicarius Imperatoris, ſed ſummam poteſtatem, ſeu Majeſtatem habet.

XVIII.

Vicarii Imperii vacante Sede Imperiali nec de feudis Sceptriferis, nec de vexilliferis inveſtire poſſunt.

XIX.

De controverſiis Feudorum Regalium Imperator, etiam non adhibitis Paribus Curiæ, cognoſcere, & jus dicere poteſt.

XX.

Tempore Interregni Vicarii Imperii de ejusmodi controverſiis cognoſcere haud poſſunt.

XXI.

Camera nequidem in cauſis poſſeſſoriis Feudorum Regalium cognoſcere poteſt.

XXII.

Camera Jurisdictionem non habet ab Imperatore, & Statibus ſimul, ſed à ſolo Cæſare.

XXIII.

Status Imperii poſſunt ſuos ſubditos famæ reſtituere, ſi infamiam tantùm ex jure Juſtinianeo, vel Provinciali incurrerint.

XXIV.

Non tamen poſſunt vicis, & pagis ſibi ſubditis ſine conſenſu ſaltem tacito Cæſaris Jus civitatis dare.

XXV.

Nec extero ſe in clientelam tradere, licèt aliàs Jus Fœderum habeant.

XXVI.

Jus cudendæ monetæ non comprehenditur ſub territoriali Superioritate.

XXVII.

In Electoratibus ſæcularibus vi A. B. obtinet Succeſſio linealis agnatica, quâ deficiente in Regno Bohemiæ ſubſtituta eſt linealis cognatica.

XXVIII.

Poteſt tamen primogenitus juri ſuccedendi in Electoratu renunciare.

XXIX.

Non poteſt unus duos Electoratus ſimul obtinere.

XXX.

Civitates Imperiales Auſtregas Ordinationis non habent.

OMNIA AD MAJOREM DEI, DEIPARÆQUE GLORIAM.

Graviora errata primo obtutu deprehenſa.

IN TRACTATU I.

Pag. 4. n. 6. pro L. 103. legendum L. 18.

Pag. 54. n. 1. poſt verba: quia diverſis Juribus æquivalet, *omiſſum eſt*, at etiam Summum Imperium diverſis Juribus æquivalet:

Pag. 319. n. 41. poſt verba: qui enim in Actu repugnandi capti, *omiſſum eſt*, ſunt, jure capti

IN TRACTATU II.

Pag. 26. circa fin. poſt verba: in illis circumſtantiis permittat, *omiſſum eſt*, in quibus eandem permittit

Pag. 78. in princ. poſt verba: non verò eſſe debitum, *omiſſum eſt*, quamvis ultrò fatear, non eſſe debitum

Pag. 169. n. 13. poſt verba: alioquin tam parùm obligat, *omiſſum eſt*, quàm parùm obligat.

JC Sickingen Hohenburg, Fernando
189 Sebastiano L. B. de
S5 Jus naturae et gentium

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 03 07 02 004 0